BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
14
2 C
14

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

43.7.25.

43
6
25.

43

14-32 d 23

Cat. inscr.

ARISTOTELIS STAGIRITÆ

DE REPVBLICA LIB. VIII,

Interprete & Enarratore.

IO. GENESIO SEPVLVEDA CORDVBENSI.

Quibus iam adiecti ſunt.

KYRIACI STROZAE DE REPVB.
lib. duo: videlicet,
NONVS ET DECIMVS,
Græcè conſcripti, nunc ab eodem Stroza latinitate donati.

Collegij Romani Societatis Jesu

COLONIAE AGRIPPINAE,
In Officina Birckmannica ſumptibus Arnoldi Mylij.
ANNO CIↃ. IↃCI.
Cum gratia & priuilegio Sac. Caeſ. Maieſtatis.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

AD PHILIPPVM HISPA-
NIARVM PRINCIPEM
IO. GENESII SEPVLVEDAE IN LI-
BROS ARISTOTELIS DE REP. A SE
CONVERSOS ET ENARRATOS,
PRAEFATIO.

QVI de ſcientiarum doctrinarumq́; comparatione diſſerunt, Princeps clariſſime Philippe, horum vt arbitror, nemo qui quidem via & ratione philoſopharetur, dubitauit in earum genere, quæ res agẽdas attingunt, ciuili facultati tribuere principatũ. Quæ licet pateat latiſſimè, & ad omnem moralem doctrinam pertineat, propriè tamen hæc eſſe intelligitur, qua reges & principes viriq́; prudentes inſtructi, leges condunt, & regna reſpublicasq́; gubernant, vt Plato docet, qui eandem ſolet modo ciuilem, modo regiam facultatem nominare. Hanc Ariſtoteles octo libris qui Politica, hoc eſt de Rep. inſcribuntur, complexus eſt: atque ita perſecutus, vt nihil ad ſummam prudentiam atq; doctrinam reliqui feciſſe videatur. Nam primum vt via & ratione commentatio procedat, diligenter de domo & domeſtica facultate, quæ græcè dicitur Oeconomica, ſimulq́; de paranda rei familiaris multiplici ratione diſputat, & quæ ſit naturalis, quæ artificioſa, quæ honeſta, quæ turpis, quæ naturæ quoq; inimica, declarat. Deinde cũ tres ſint ſtatus Reip. qui iure laudãtur, Regnum, Status optimatum, & quæ cõmuni vocabulo Reſpublica dicitur, quomodo eorum quiſq; conſtituatur, & per mores ac inſtituta cõſeruetur, & quibus rebus viciſſim pereat & labefactetur, diuina quadã facultate perſequitur: quod idem facit in tribus alijs generibus, tyrannide, paucorũ potentia, & ſtatu populari, quæ aberrationes, & quaſi peccata rerum publicarum appellat, vt harum turpitudine, atque incommodis explicatis, & artibus, ac dolis quos ad eas inſtituendas & conſeruandas callidi homines adhibere ſolent expoſitis, contrariarum honeſtas & commoditates ſint notiores. Ac eiſdem omnifariam conſulendi, & cupidorum hominum & in bona repub. rebus nouis ſtudentium conatibus & fraudibus occurrendi ratio

magis intelligatur, tum de ratione legum ferendarum, déque earum diuerſitate & iuſtitia, quæ cuique Reipub. ſint ſalutares, quæ viciſsim perniciosæ, quæ planè ac ſimpliciter iuſtæ, quæ pro ratione ſtatus conſtituti, diuinitus edifferit. Nec enim in iis quæ diximus omnibus tradendis & explicandis, ieiuna oratione & aculeatis contortiúq; concluſiunculis vſus eſt, vt minuti quidam philoſophi ſolent, ſed per magnam copiam & ſermonis vbertatem omnia mirabili quadam & varia doctrina, præceptiuqúe ad omne virtutum genus, ipſamqúe vitam beatam pertinentibus referſit tanto ingenio, tantaq; ſolertia, vt in magna optimorum præceptorum frequentia nihil ferè tradat, in quo ad certiſsimam rationem non addat clara principum, gentium, ac rerump. in vtranque partem exempla, ſæpe ex reconditis hiſtoriis ſumpta, altiſsimeq; ex vetuſtate repetita. Hæc cum ita ſint, factum eſt tamen, neſcio qua fortuna ſiue temporum iniuria, vt tam præclarum opus interpretatione latina, quæ quidem iure nominetur, in hunc vſque diem penè caruerit. Vix enim eos in numero interpretū habendos puto, qui verbum verbo inepta quadam fidelitate reddunt: nec ſiquis parum in philoſophia & Ariſtotelica doctrina exercitatus, pleraque loca perperam, vt talibus neceſſe eſt, & præter auctoris ſenſum conuertat. Non dico ſi rudi hoc incultaq; oratione faciat, ſed etiam ſi ſe diſertum eſſe profiteatur, cuius hominum generis ineptiæ cum alienà inuadunt, ſolent eſſe magis inſignes. Cum igitur huius diuini de repub. operis cōmodiorem interpretationem animaduerterem à pleriſq; non ſine magna cauſa deſiderari, otium ad conandum, ſiquid aptius hac in parte mea cura & opera poſſet efficere, quod ad publicam ſtudioſorum vtilitatem pertineret, iam diu mihi dari cupiebam: idq; multis viris grauibus, & philoſophiæ ſtudioſis cohortantibus, propter quandam ſcilicet de ſtudiis meis opinionem, quam ſe percepiſſe dicebant ex quibuſdam eiuſdem philoſophi libris, quos Bononiæ, Romæq; in mea viginti duorum annorum Italica peregrinatione latinitate donaueram. Conuerteram enim duos de ortu & interitu libros: quatuor Meteorologicæ: quorum alteros ad Hadrianum Pontificem Max. alteros ad Carolum Cæſarem Imperatorem inuictiſsimum patrem tuum miſi, & libellos illos ad animantium naturam pertinentes, qui vulgo parui naturales nominantur: prætereaq; Clementis Septimi Pontificis maximi voluntate ac iuſſu, doctiſsimam Alexandri Aphrodiſienſis in duodecim Ariſtotelis de prima philoſophia libros enarrationem. Quæ cuncta opera iam pridem emiſſa, in lucem prodierunt. Sed cum optatum otium, de quo dixi, diu mihi neceſſariæ occupationes, & alia ſuſcepta ſtudia denegaſſent, nactus aliquando nonnihil laxamenti, negotium ſuſcepi, & Ariſtotelis de Repub. libros non ſolùm è græco in latinum ſermonem

nem veterum & caſtigatorum exemplarium fidem ſecutus conuerti, ſed eorum impeditiſsima quaque loca breuibus ſcholijs expedienda enarrandaq́; curaui. Quod opus ad te mitto, eo maiore cura ſtudióq; elucubratum, vt quæ noſtrum eſt, hac quoq; parte te dignum exeat in manus hominum. Neq; uero mihi interpretanti concilium fuit, vt ſententias ſolùm more paraphraſtis exprimerem, ſed vt vetere meo inſtituto, verba etiam quantum ratio latini ſermonis pateretur conſectarer. Nec enim meum eſſe, dum aliena interpretor, nec in Ariſtotele exprimendo Ciceronianus magis quam Ariſtotelicus videri volo. Magni enim refert Græcos rhetores, aut hiſtoricos, latine reddas: quorum eſt vt ſplendida & ornata oratio, ſic verbis popularibus compoſita, perſpicua & ſimplex, & ad popularem ſenſum accommodata: an philoſophos, præſertim Ariſtotelem; qui licet virili quadam elegantia & proprietate excellat, tamen vt res tractat obſcuras & vulgo ignotas, ſic verbis ſæpe neceſſario vtitur nouis, aut populo inauditis, ceterióq; doctis etiam hominibus inuſitatis. Et quod veteres etiam annotarunt, obſcuritatem interdum affectat, ne philoſophia contemnatur, ſi tardis aut pigris hominibus optimarum rerum cognitio ſine labore contingat. Et dubias orationes ex induſtria facit, quæ in varios ſenſus trahi poſsint. Quas ſi quis interpres in ſingulos contrahat, ineptiſsime faciat, ablata ingenijs iudicandi libertate, quæ non aliter relinquitur, quam ſi verba etiam interpres latina, tamen non barbara fidelitate conſectetur: & quam erat græcè, tam multiplicem orationem latinè relinquat. Quæ difficultates faciunt vt ſæpe interpres non poſsit Ariſtotelicus eſſe, & idem Ciceronianus, quamquam ego ſatis Ciceronianus mihi eſſe viderer, ſi quod elaboraui fuiſſem aſſecutus; vt in hoc ſcribendi genere, plana & perſpicua, quantum res patitur, oratione vterer. Res enim de quibus philoſophi diſſerunt, vt Cicero ipſe tradit, dicere ornate velle, puerile eſt: planè & perſpicuè expedire poſſe, docti & intelligentis viri. Idemq́; Cicero alio in loco. Dialecticorum, inquit, verba nulla ſunt publica, ſuis vtantur: & id quoque commune eſt omnium fere artium: aut enim noua ſunt rerum nouarum facienda nomina, aut ex alijs transferenda. Quod ſi Græci faciunt qui in his rebus tot iam ſæcula verſantur, quanto id magis nobis concedendum eſt, qui hæc nunc primum tractare conamur? Quæ Ciceronis præcepta ſatis ſuperq́; declarant, qualis eſſe debet oratio philoſophi Ciceroniani, plana ſcilicet & dilucida, ab omni fuco aliena, & res ſuis nominibus more philoſophorum appellans, vt ens exempli gratia, eſſentia, ſpecies & qualitas, & ſimilia non magis refugiat, quàm qui de agricultura ſcribit porcas dicere, & liras atque lirare, quæ propria ſunt agricolarum vocabula. Vt ſiquis Ioannis Scoti ſententiam de relationibus explicare velit, ineptiſsime faciat, & pueriliter, Ci-

*ceronis ſententia, ſi verba noua quæ ille rebus nouis ætate inuentis impoſuit a-
ſpernetur, & ſpineta uelit rhetoricis ſtragulis exornare. Cui ſimile faciunt
qui Ariſtotelica interpretantes, de verborum ornatu magis quàm de rebus
ſoliciti, præpoſteram alieno loco eloquentiæ laudem pueriliter affectant, pro-
pria interdum vocabula ineptis circuitionibus explicantes, nihil aliud quàm
philoſophiæ venerandam formam, & quaſi faciem fuco & calamiſtris inep-
tiſſimè deturpantes: quorum eſſet tolerabilior ineptitudo, ſi hoc facerent ſal-
uis eius quem interpretantur philoſophi ſententijs: nec eas paſſim pudendis
lapſibus deprauarent, vt quidam nobis adoleſcentibus, cuius errores dicato et-
iam libello taxauimus: & alij poſtea eandem viam non magis, vt video, felici
ter ingreſſi. Sed redeo ad noſtram horum de Repub. librorum interpretatio-
nem: de cuius editione iam mihi cogitanti, nuntiatum eſt duas nouas inter-
pretationes prodiuiſſe ab interpretibus emiſſas, qui ſe tum diſertos & vtra-
que lingua peritos, tum diu in philoſophia exercitatos eſſe profiterētur. Quo
nomine cum ætati noſtræ de tanta felicitate gratularer, ac fore ſperarem vt
horum induſtria me reliquo labore, ac edendi cura liberaret: codices nactus
cœpi diligenter latina cum græcis conferre, vt meo quoque ſenſu de interpre-
tum diligentia & virtutibus iudicarem. Sed ne te teneam, non fuit longe pro
grediendum, vt ſtatuerem quantum his interpretationibus tribuendum eſſe
putarem: tantumq́ abfuit vt me à mearum lucubrationum editione deter-
rerent, vt fuerint potius ad edendum cohortatæ, exiſtimantem fore vt noſter
hic labor Latinis philoſophis tanto magis vtilis, atq; adeo neceſſarius eſſe vi-
deatur, cum pleraq; loca à nobis illuſtrata expeditaq́; perſpexerint, in quibus
noui iſti interpretes parum, niſi ego magis hallucinor, videntes offenderunt:
ac cæteros incurrere neceſſe eſt, qui alterutrum ſecuti fuerint, in tanta du-
ctorum cæcitate. Nec ego nunc lapſus commemoro, qui poſſunt exemplaribus
impreſſis aſſignari, quæ ipſi ſecuti ſunt multis locis deprauata: ſed in quibus ni-
hil eſt tale, quo ſuam culpam transferre queāt: quod facilè (vt arbitror) per-
ſpiciet, ſi quis paulò modo doctior noſtram cum illorum interpretationib. ad
græcam Ariſtotelis quaſi libram examinare & conferre, noſtraq́ue ſcholia
legere tanti putauerit. Non igitur dubitauimus hos Ariſtotelis libros de
repub. à nobis conuerſos ac enarratos emittere, tuoqué nomini dicare, dum
te, cuius ſtudiorum pater Carolus Auguſtus me adiutorem eſſe voluerat, cole-
re vellem eo munere, quod eſſet ad ſtudia quæ te maximè decent, ex omnibus
accommodatiſſimum. Scio enim multos magna doctrina viros de Principis
inſtitutione, adminiſtrationequé regni libellos edidiſſe: tamen certum ha-
beo, vt in reliquis philoſophiæ partibus, ſic in hac quæſtione cæteros philoſo-
phos ab Ariſtotele prudentia, copia & grauitate longè fuiſſe ſuperatos. Qui-*

cunque

cunque igitur te tum pia patris ſapientiſsimi prouiſio, tum diligens prudentium & optimorum virorum cura, quos tibi ab ineunte ætate magiſtros morum eſſe voluit, in viã qua itur ad omne genus virtutis induxerint: & per eã tu pro tua maxima & præclara indole libentiſsime fueris progreſſus. Tamen hoc præclarum & prudentiſsimum de Rep. opus. ſi legere per otium non grauaberis, plurimum, mihi crede, cum ad omnem prudentiam, tum ad regiam facultatem iuuabit. Nam vt cæteras eius multas & magnas commoditates omittam, quæ ſit optima Principis educatio, quæ Regis dignitas, quod munus & officium, qui finis propoſitus, quæ optima ratio ciuitates & populos adminiſtrandi, & ſe ſibiq; ſubiectos mortales beatos & felices efficiendi, nuſquam ab aliquo philoſophorum nec pari grauitate & ſolertia traditum reperies, nec copioſius aut vberius explicatum.

Vale.

ARISTO-

ARISTOTELIS DE REPVBLICA LIBER PRIMVS,

Interprete & enarratore

IOANNE GENESIO SEPVLVEDA CORDVBENSI.

CAPVT I.

QVVM 1 omnem ciuitatem ſocietatem quan-
1. dam eſſe, 2 omnémque ſocietatem boni cuiu-
2. ſpiam cauſa conſtitiſſe, videamus, (omnia
nanque eius 3 quod ſpeciem boni prȩfert gra-
3. tia, omnes agunt) dubitari non poteſt, quin o-
mnes ſocietates ad bonum aliquod ſpectent,
ſed ea maximè, & ad id quod in bonis princi-
patum tenet, quæ cunctarum eſt facile prin-
ceps, & 4 alias omnes complectitur: hęc autē eſt ciuitas appellata, ci-
uiliſque communitas. Errant igitur, qui ciuilem, & regium homi-
4. nem, itemq; patrem familias, & dominum, eūdem eſſe putant, dum
eos intereſſe non ſpecie, ſed multitudine & paucitate differre exi-
ſtimēt: vt ſi paucis prȩſit, dominus eſſe intelligatur: ſi pluribus, pa-
ter familias: ſi pluribus etiam nunc, ciuilis, aut regius: quaſi magna
domus nihil differat à parua ciuitate. Nec illud ſit diſcrimen in-
ter ciuilem & regium, quod rex eſſe intelligatur, 5 cum ipſe præ-
5. eſt: ciuilis, cum pro 6 rationibus huiuſmodi doctrinæ, modò prȩeſt,
6. modò paret imperio. Hęc autem non eſſe vera planius fiet, ſi priſti-
nam 7 differendi rationem in hac quoque diſputatione tenueri-
mus. Nam vt in cæteris rebus neceſſe eſt compoſitum vſque ad in-
7. compoſita ſecare, (hæc 8 enim ſunt totius partes minimæ) ſic intu-
entes ea, ex quibus ciuitas conſiſtit, horum inter ſe diſcrimina cla-
8. rius perſpiciemus: & 9 ſi dicta ſingula ad artem & præcepta reuoca-
ri poſſunt, non latebit. Siquis igitur ab initio res quomodo naſcan-
9. tur intueatur, vt in cæteris rebus, ſic optimè in his ea ratione philo-
ſophabitur. Primùm 10 igitur omnium marem & fœminam, quo-
10. rum alter alterius indiget ſocietate, copulari neceſſe eſt procrean-
di cauſa: idque non conſilio, ſed natura, quemadmodum in 11
11. cæteris animantibus, & ſtirpibus vſu venit, quibus natura inſi-
tus

tus eſt appetitus alterum ſui ſimile relinquendi. Sed eos conſociari neceſſe eſt ſalutis cauſa, quorum alter natura præeſt, alter paret: præeſt autem natura, ac dominus natura eſt, qui valet intelligentia 12 præuidere: qui verò corpore hæc 13 facere poteſt, is ſubiectus 12. 13.
eſt atque natura ſeruus. quo fit vt idem domino ſeruóque condũcat: itaque fœmina & ſeruus diſtincti ſunt natura. Nihil enim natura ſimile facit 14 gladio Delphico, quem fabri ærarij faciunt ob in- 14.
opiam: ſed vnum ad vnum. nam ita demum optimè perficitur inſtrumentum quodque, ſi non pluribus, ſed vni duntaxat operi ſeruiat. Cæterum apud 15 Barbaros mulier & ſeruus eodem habentur 15.
loco: propterea quòd inter illos nemo natura tenet imperium, ſed eorum ſocietas eſt ſeruæ, & ſerui. quocirca poetæ par eſſe dicunt, vt Græci Barbaris dominētur: quaſi Barbarus hoc natura ſit, quod ſeruus. Ex his igitur 16 duabus ſocietatibus prior eſt domus: rectéque Heſiodus 17 poeta dixit: 16. 17.

Sit domus inprimis, vxorq́; & taurus arator.

Nam bos pauperibus pro ſeruo eſt. Societas igitur naturalis in conſuetudinem quotidianam conſtituta domus eſt, quos 18 Charondas ὁμοσιπύους quaſi ex eodem penu viuentes appellat: Epimenides autem Cretenſis ὁμοκάπνους velut vtentes eodem foco. Prima verò ſocietas vſus non quotidiani gratia ex pluribus domibus conſtituta vicus eſt. Vicus autem maximè ſecundum naturam colonia 19 eſſe videtur ex domo deducta, quos quidam collactaneos vocant, filiáſque, natosque natorum. Quocirca initio ciuitates regio imperio gubernabantur, & gentes etiam nunc, propterea quòd ex regio imperio parentibus conſtituebantur. Omnis enim domus ab eo qui maximus natu eſt, tanquam à rege gubernabatur, ac 20 proinde coloniæ ob cognationem. Et hoc eſt illud quod Homerus ait: 18. 19. 20.

Iure ſuos quiſque, vxores, natosq́; gubernat.

Sparſim enim, & ad hunc modum antiquitus habitabant. ita cum homines partim etiam nunc, partim antiquitus Regibus parerent, factum eſt, vt Deos quoque regio imperio gubernari omnes homines dicant, qui Deorum vt formas, ſic etiam vitas ſuis eſſe ſimiles arbitrabantur.

Io. Geneſij Sepulueda

SCHOLIA IN LIBRVM PRIMVM ARISTOTELIS *de Republica.* CAPVT I.

CVM ſtatuiſſemus hoc Ariſtotelis opus de Republica à nobis è Graeco in Latinum ſermonem conuerſum ſcholijs etiam breuibus enarrare, illud quoque viſum eſt, non Latinorum ineptam cõſuetudinem imitari, minutis & inutilibus partitionibus implendi chartas, ne parum multa dixiſſe videantur, ſed Graecorum commodiorem rationem moremqué ſequi, praeſertim eorum, qui non omnia, nec pluribus verbis ſed quae obſcuriora videntur, & paucis ſolent explicare. quanquã nos erimus hoc etiam breuiores, tum quia multa ſunt quae tam apertè & lucidè latinè reddenda curauimus, vt nihil indigeant enaratione: tum quia haec noſtra ſcholia vt non doctiſſimis philoſophis ſcribimus. & omni humanitate perpolitis: ſic nec prorſus indoctis aut tardis, quibus ad hoc tanquam iter conficiendum non modò eſſent expedienda ſalebra, ſed vehiculum etiam molliter ſtratum ſuppeditandum. nec tamen grauati ſumus locis opportunis, praeſertim ad ſectionum, quibus ſingulos libros diſtinguẽdos putauimus, capita paucis ſummatim cõplecti, quae pluribus verbis ab Ariſtotele differuntur, vt hac quoq; ratione ſtudioſorũ labori conſuleremus. Solẽt autẽ tum alij Graeci enarratores, tũ Aphrodiſienſis Alexander initio cuiuſcũq; libri de authore diſputare, vero an falſo nomine & titulo Ariſtoteli tribuatur. Nã vt Homeri carminibus multi verſus adulterini ſuppoſiti fuerãt, quos Ariſtarchus magno iudicio reiecit: ſic Ariſtoteli multa opera falſo adſcripta, quae tũ ex doctrina & ratione philoſophandi dignoſci poſſunt, tũ ex charactere: quae omnia fecerũt, vt nemo (quod ſciam) de hoc opere, quod Politica, hoc eſt de Republica inſcribitur, Ariſtotelis eſſe dubitauerit: cũ libros Ethicorum quidam, quorum fuit Marcus Tullius, nõ Ariſtotelis, ſed filij Nicomachi opus eſſe putauerint. Initiũ tamen commentationis de Republica ii deſumit Ariſtoteles, vt ciuitatem doceat, vt eſt omnium ſocietatum ſeu communionum optima & perfectiſſima, ſic ad optimum finem referri: itaq; diuerſam eſſe rationem domus adminiſtrandae ab ijs, quibus ciuitas & regnum gubernatur: & item ab ea, qua dominus ſeruis imperat: & has omnes inter ſe differre ſpecie, non, vt Plato putauit, multitudine & paucitate ſubiectorum.

1 Cum omnem ciuitatem ſocietatem quandam eſſe. *Quod graecè κοινωνία dicitur ab Ariſtotele, hoc interpres modò* ſocietatem *conuertit modò* communitatem, ſeu communionem: *quoniam eadem eſt vtriuſque nominis vis & intelligentia.*

2 Omnem

2 Omnem ſocietatem boni cuiuſpiam cauſa conſtitiſſe videamus. *Omnis, inquit, ſocietas ſiue communitas propter bonum aliquem finem conſtituta eſt. Simili huic principio exorſus eſt libros Ethicorum.* Omnis ars, & omnis diſciplina bonum quoddam appetere videtur. *quod, vt obiter quorundam errorem refellamus, non eſt ſic accipiendum, quaſi omnia vnum, & idem bonum appetant, vt quidam falſo putant, ad vltimum finem ſūmumq; bonū referentes, & ſic illud exponentes,* Bonum eſt, quod omnia appetunt: *quorū error conuincitur eiuſdē Ariſtotelis teſtimonio libro primo Ethicorū Eudemiorū, vbi ſic ſcriptū videmus:* Omnia *inquit*, vnū quoddā bonū appetere nō eſt verū: nā ſuū propriūq; bonū res quęq; appetit.

3 Quod ſpeciem boni præfert. *id eſt, quod bonum eſſe videtur non enim ſemper homines in agendo ad bonum finem ſpectant, cum fallantur nonnunquam errore mentis, aut morum vitio: ſemper tamen agunt ad aliquid, quod bonum eſſe videtur ſpectantes. Vnde Ariſtoteles libro tertio de anima:* Bonum *inquit*, vel apparens bonum eſt appetibile.

4 Et alias omnes complectitur. *Nam cum multæ ſint ſocietates, vt domus & vicus, omnes complectitur* ciuitas, *ſeu ciuilis communitas.*

5 Cum ipſe præeſt. *Cum ciuitatem aut populos ſuo arbitratum oderatur: Nam cum ex præſcripto legum reſpublica geritur, non tam qui tenet imperium praeſſe ſiue imperare dicitur, quàm leges, vt eſt in tertio huius operis libro cap. xij. Deſignat autem hoc in loco Platonem, à quo hæc traduntur in libro, qui* Ciuilis *inſcribitur.*

6 Pro rationibus huiuſmodi doctrinæ. *id eſt, ciuilis facultatis.* Rationes *autem & leges variæ, tum imperandi, tum imperio parendi: pro ratione reipublicæ multis in locis explicantur in hoc opere.*

7 Si priſtinam differendi rationem. *ſi qua via & ratione in cæteris operibus ſolemus, hoc quoq; in loco philoſophabimur. Similibus verbis & ſenſu vſus eſt in huius libri capite ſexto. Solet enim Ariſtoteles in omnibus ferè diſputationibus à primis principijs rerū, quas tractādas ſuſcepit, exordiri: vt in libris de phyſico auditu à* materia *&* forma *naturalē doctrinā exorditur. & de animalibus diſputaturus, prius de* anima *diſſerit, & partib. animaliū.*

8 Hæc enim ſunt totius partes minimæ *Nam totum poteſt in partes compoſitas diuidi, vt animal in caput, pectus, atque pedes: & hæ rurſus in alias, donec ad prima elemēta, quæ minimæ, id eſt ſimpliciſſimæ partes dicūtur. Sic ciuitas in vicos diuiditur: vicus in domos, domus in marē, fœminā, & ſingulares homines, qui partes ſunt incōpoſitæ, nō quidē ſimpliciter, & quaten⁹ ſūt res naturales. ſic.n. ſuas habēt partes, vt cætera animalia, ſed quaten⁹ ſūt ciuitatis partes: caput.n. aut brachiū, ciuis nō eſt, nec dicitur pars ciuitatis.*

9. Si dicta) *quæ pertinent ad Regem, ad ciuilem hominem, ad dominũ, & patrem familias. nam de his ſingulis ſeparatim præcipit, ad artemq; ſingula refert.*

10. Primum igitur omnium. *Hucuſq; præfatus iam, vt doceat quid ciuitas ſit, eandémq; declaret natura conſtare, & homines, duce natura viuendi cauſa dum alter alterius ope indiget, in vnum locum vnámque ſocietatem conuenire, prius differit de partibus ciuitatis, domo, & vico: porro quia domus perfecta ex liberis ſeruiſq; conſtat, ſcilicet ex marito & vxore, patre & filijs, domino & ſeruis, has omnes ſocietates natura conuenire docet, & vicum eodem modo, qui domibus conſtat, & eſt tanquam colonia ex domo naturaliter deducta. Ita cũ ciuitas ex vicis domibuſqué conſtet, ſitq; finis dictarũ omnium, ſocietatem & communionem fieri tradit, vt ciuitas multo etiam magis natura conſiſtit, cum ſit finis illarum: natura enim cuiuſcunque rei in fine ipſius maximè ſita eſt atque cernitur.*

11. In cæteris animantibus & ſtirpibus.) *Non eſt hoc referendum ad copulationem maris & fœminæ, licet in quibuſdam arborum generibus ſimile quiddam fieri notetur, & mas in ipſis atque fœmina nominentur: ſed ad appetitum procreandi, qui communis eſt ſtirpibus, hoc eſt plantis cum animalibus: quoniam appetitus naturalis, non ratio & conſilium, virum cum muliere coniungit. Vt autem virum & fœminam appetentia naturalis conſociat, ſic ſalutis ratio dominum natura, & natura ſeruum coniungit. Nam mutuo adiumento viuere poſſunt, & vtriuſque ſaluti conſulere. Itaque vtriuſque commoditas & ſalus in eo conſiſtit, vt alter imperet, alter faciat imperata, pro adiumentis, quibus inſtructi ſunt à natura. Dominus enim ingenio ſolertiáque ualet, ſeruus viribus corporis.*

12. Intelligentia præuidere *Futura & conſentanea, & vtilia proſpicere: quod pertinet ad prudentiam.*

13. Hæc facere.) *Quæ dominus facienda eſſe præuiderit, atque imperauerit.*

14. Gladio Delphico.) *Gladius delphicus erat ferreum inſtrumentũ multis vſibus accommodatum, qualia nũc circunferuntur, quæ ſimul gladij, ſimul ſtyli ſunt & acus, & item limæ.*

15. Apud Barbaros.) *Græci cæteras omnes nationes Barbaros nominabant: quæ diſtinctio licet propriè ad ſermonem initio referretur, tamen quia Græci omnium humaniſſimam ſuam gentem eſſe putabant, conſuetudo inualuit, vt appellatione Barbarorum incultos & inhumanos ſignificarent.*

16. Ex his duabus ſocietatibus.) *Quarum altera eſt, viri, & vxoris: altera domini & ſerui: prior eſt domus, id eſt, quæ conſtat viro & vxore.*

17. Heſiodus poeta *in opere quod inſcribitur* ἔργα καὶ ἡμέραι.

18. *Quos*

18. Quos Charondas. *Catanenſis hic fuit, quæ ciuitas eſt in Sicilia, qui libro ſecundo inter legum latores nominatur. Epimenides autem Cretenſis, quo adiutore in condendis legibus Solon vſus fuiſſe traditur, & à nonnullis inter ſeptem ſapientes nominatur.* Collactancos *interpres conuertit, quod græcè eſt,* ὁμογάλακτας, *quaſi eodem lacte vtentes, id eſt ab eadem ſtirpe procreatos.*

19. Colonia. *propriè intelligitur, cum ex aliqua ciuitate, nimiaq́ multitudine pars deducitur ad alteram vrbem ſiue oppidum incolendum. Vt Corduba colonia fuit Romanorum Patritia cognominata, propterea quod in eam nobiles tantum, & patritij deducti fuerunt. Cuius ſimile eſt, cum ex vna domo redundante altera prodit, & item plures, quæ vicum efficiunt.*

20. Ac proinde coloniæ. *Qua ratione domus, quæ regio imperio ab eo, qui eſt natu maximus gubernatur, eadem colonia, id eſt quilibet vicus, qui eſt tanquã colonia domus, ab eo qui eſt natu maximus adminiſtratur, quaſi à rege: propter cognationem domorum, quæ ad vnum principum refertur: Quod fit etiam nunc in Italia, præſertim in ea parte, quæ nũc dicitur* Lombardia, *antiquitus* Gallia Ciſalpina, *& maximè inter plebem ruſticanam. Fit enim ſæpe vt quaterna, & quinæ, & interdum plures domus cognatorum à ſingulis natu maximis velut regio imperio gubernentur.*

CAPVT II.

Complurium 1 autem vicorum perfecta 2 conſociatio ciuitas 1. 2.
eſt, quæ iam ad omnis propemodum copiæ finem peruenit, quæ
cum 3 viuendi gratia fiat, tum 4 recte viuendi gratia cõſiſtit. Ita cũ 3. 4.
priores conſociationes per naturam ineantur, efficitur, vt ciuitas o-
mnis natura conſiſtat. 5 Hæc enim eſt illarum finis: natura verò fi- 5.
nis eſt: 6 qualis enim res quæq; eſt generatione perfecta, talem eſſe 6.
dicimus eius naturam, vt hominis, equi, atque domus. Præterea,
id cuius gratia cætera fiunt, finiſque, res optima eſt: copia verò &
finis eſt, & res optima: quo planum fit, ciuitatem natura conſiſtere,
7 & hominem natura eſſe ciuile animal. Et 8 qui non fortuna, 7 8.
9 ſed natura alienus eſt à ciuitate, hũc 10 aut improbũ eſſe aut homi 9. 10.
ne præſtantiorem. 11 Vt qui ab Homero per cõtumeliam dicitur: 11.

Iure, tribuq́ domoq́ carens.

Nam ſimul ac talis quiſq; natura eſt, bellãdi cupidus eſt: 12. 13 ve- 12. 13.
lut expers cõiugij, vt 14 in volucribus. Homo autẽ animal eſt omni 14.
ape, omnique animante gregali ciuilius: quod hinc intelligi poteſt,
quoniã natura, quæ 15 ſoli ex animantibus homini ſermonem tri-
buit, nihil (vt ſæpe diximus) facit fruſtrà. Vox igitur quoniam 15.

doloris ac iucunditatis eſt nota, cæteris quoq; animantibus data eſt. Hactenus enim ipſorum natura proceſſit, vt moleſti atq; iucundi ſenſum habeant, & hæc inter ſe ſignificare queant. Sermo verò datus eſt homini ad vtile & inutile, ac proinde iuſtum & iniuſtum declarandum. Hoc enim præcipuum datum eſt homini præ cæteris animantibus, vt ſolus boni & mali, iuſti & iniuſti, & cęterorum ſenſũ
16 habeat: 16 quarum rerum cõmunio, domum ciuitatemq́; facit. Ve-
17. runtamẽ 17 ciuitas, quàm domus, & quiſq; noſtrũ prior eſt natura: nam totum neceſſariò prius eſt parte: quoniam ſi totum pereat, nec pes erit, nec manus, pręter quàm 18 nomine tenus: vt ſiquis lapidea
18 quæ eſt, manum vocet: huic enim ſimilis fuerit emortua manus. Cuncta verò opere, ac poteſtate definiuntur. Itaq; cum talia eſſe deſierint, non eadem eſſe dicenda ſunt, ſed idem nomen ſortita. Ciuitas igitur & natura eſt haud dubiè, & cuiq; noſtrũ antecedit. Si enim quiſq; ſeparatus ſibi nõ ſufficit, perinde ſe nimirum habebit in totum, ac cęterę partes. qui verò eſſe in ſocietate nequit, aut nihilo indiget propter copiam, is pars ciuitatis non habetur. itaq; aut beſtia eſt, aut deus. Omnes igitur homines in hãc ſocietatem natura ſunt propenſi: quam qui primus conſtituit, is auctor extitit maximorum bonorum. Vt enim homo perfectionem nactus, animãtium eſt optimus: ſic cum à lege iuſtitiaque diſceſſit, omniũ peſſimus habetur. Importuniſſima eſt enim armata iniuſtitia. at homo prudentia &
19. virtute armatus eſt à natura, 19 quibus maximè poteſt in res cõtrarias vti. Itaq; impiè nefarius atque immaniſſimus abſq; virtute fit: &
20. 21. in venerem & gulã turpiſſimus. 20 Iuſtitia verò res eſt ciuilis. 21. Ius
22. enim ordo eſt ciuilis communionis. 22 ius autem atq; iudicium, iuſti dijudicatio.

Scholia in Caput II.

1 COMPLVRIVM autem vicorum. *Explicata domus viciq; ratione, ciuitatem docet communionem eſſe perfectam, ex compluribus vicis conflatam, iam per ſe ſufficiẽtem, & copioſam, nihil aut perparum indigentem, externis alienisve opibus ad vitam degendam. qua cũ finis ſit rerum natura exiſtentium, id eſt domus, & vici, ipſa multo etiam magis natura conſiſtit, cum natura cuiuſque res in fine magis cernatur. Itaque homo natura propenſus eſt vt viuat in ciuili ſocietate: vt indicat ſermo homini à natura datus, qui ſolitario ſuperuacaneus eſſet. A qua ſocietate ſiquis abhorreat, natura hunc improbum eſſe ait, & ſeditionum, belliq; cupidum, authore Homero: cui tan-*

tum

tum tribuere ſolet Ariſtoteles in omni ſermone, vt cum eius citat ſententias, non hominis teſtimonia, ſed dei cuiuſpiam oracula proferre videatur.

2. Perfecta conſociatio. *Non quæuis vicorum cõgregatio ciuitas eſt, ſed* perfecta, *quæ conſtat ex varijs hominum ordinibus, diuitum & pauperũ: habetq́ agricolas & opifices, vt poſtea docebit: & copiam rerum, quæ faciunt ad vſus vitæ non ſolum neceſſarios, ſed etiam liberales: hæc eſt enim quæ græcè dicitur αὐτάρκεια.*

3. Viuendi gratia fit. *propter vſus vitæ neceſſarios coguntur homines in oppidum vnum conuenire, quoniam alter alterius indiget auxilio.*

4. Rectè viuendi gratia cõſiſtit. *Finis eius proprius, & maximè naturalis eſt, vt in ipſa rectè viuatur ac liberaliter, vt ipſe libro quarto declarabit.*

5. Hæc eſt enim illarum finis. *Ciuilis ſocietas eſt finis illarum ſocietatũ, domus ſcilicet, & vici.*

6. Qualis enim quiſq; eſt. *Declarat id quod dixerat*, natura finis eſt: *idcirco enim natura dicitur cuiuſcunque rei finis, quoniam finis cuiuſcunq; rei eſt, vt ad perfectionem in ſuo genere perueniat finita generatione Generari autẽ & fieri res dicitur, donec augeſcere deſinit, vt in rebus naturalibus idẽ eſt finis & forma. de generatione animalium libro primo cap. 1. Forma autem cuiuſq; rei perfectio eius eſt. Tũc igitur obtinet ſuam naturam, cum ad perfectionem peruenit. Nã vt eſt in primo libro Ethicorũ,* Vt res naturales ſe optimè habẽt, ſic ſe naturaliter habent. *Puer enim quanquã ſit animal rationis cõpos, tamen cum nõ habeat perfectas corporis & animæ vires, nondũ eſt adeptus naturã humanam. vt nũc loquimur: quippe quæ in perfectione cõſiſtit. Vnde idẽ Ariſtoteles in libro de inceſſu animaliũ:* Vt ſe inquit, res melius habet, ſic ſe habet per naturam.

7. Et hominẽ natura eſſe ciuile animal *Hac quoq; ratione docet ciuitatẽ natura conſiſtere, quòd homo natura ciuilis eſt, id eſt propenſus, vt viuat cũ multis, & in ciuili communitate, vt quædam animalia natura cõueniunt, gregatimq́; viuunt, vt apes, formicæ & columbæ: quam hominis promtatem probat ſermonis argumento, qui fruſtrà datus eſſet homini à natura, ſi non in communitate, ſed ſeparatim ei viuendum eſſet.*

8. Qui non fortuna. *Vt ſiquis eſſet in ſolitudinem relegatus.*

9. Sed natura. *Id eſt promtate naturali.*

10. Aut improbus.) *id eſt maleficus natura ſeditioſus, ac bellãdi cupidus, vt probat authore Homero, qui nono libro Iliados ſic loquentẽ Neſtorem facit.* Iure tribuque, domoq; carens. *Nam talẽ hominem ſeditioſum eſſe dicit.*

11. Vt qui ab Homero. *Iliados libro nono.*

12. Velut expers coniugij, vt in volucribus. *In codicibus*

impreſ-

impreſſis ab Aldo mutilatus eſt hic locus: in emendatiorib. verò manu ſcriptis, quos ſecutus eſt interpres, ſic ſcriptum eſt, ἅτε περ ἄζυξ ὢν ὥς ἐν τοῖς πεττοῖς Homo, inquit, ciuilem ſocietatem natura refugiens, aut præſtantior eſt homine, vt philoſophi quidam, qui contemplandi cauſa (quæ res vitam deorum imitatur: vt ipſe tradit Ethicorum libro decimo) in agros & ſolitudines ſecedebant.

13. Velut expers coniugij.) id eſt ſolitarius.

14. Vt in volucribus.) Nam in hoc genere ſoliuaga ſunt aues omnes maleficæ, vt aquila, & accipiter.

15. Soli ex animantibus ſermonẽ tribuit) Ex rebus à natura homini tributis, ad communitatẽ pertinentibus, probat hominem natura eſſe gregalẽ & ciuilem: alioqui fruſtrà ea fuiſſent ei tributa à natura, quæ tamẽ nihil facit fruſtrà.

16. Quarum rerum.) Boni & vtilis, atque iuſti. nam propter harũ rerũ communionem & ſocietatem, homines tum in domum, tum in ciuitatem vnam conueniunt.

17. Ciuitas quàm domus, & quiſq; noſtrũ prior eſt.) Docuit ciuitatem natura conſiſtere, hoc eſt per naturam homines in vnã ciuitatẽ cõuenire. nunc eandem natura potiorem eſſe declarat, quàm domum parteſq; domus. Eſt igitur, inquit, prior, id eſt potior. nã perfectum prius eſt natura, quã imperfectũ: primo de cœlo. & author rerũ prius totum tanquã finem conſiderat, & ſibi proponit, quã partes: quanuis efficiendo exordiatur à partibus. Nã quod generatione poſterius eſt, hoc prius eſt natura: De Phy. auditu libro octauo, & Metaphy. 1.

18. Nomine tenus.) id eſt æquiuocè.

19. Quibus maximè poteſt in res cõtrarias vti.) In bonũ & in malũ, oppoſitum alibi dicere videtur. libro enim ſecundo magnorũ moraliũ, Fieri inquit nõ poteſt, vt virtute quiſq; male vtatur: quod vtiq; verũ eſt. virtus enim, ſiquis ea velit in malum abuti, virtutis nomen amittit, ac eodẽ modo prudentia, quæ & ipſa virtus eſt, ſed intellectualis pertinens ad intellectum practicum ſiue actiuũ. Virtus enim aut ex virtute factũ nihil eſſe poteſt, quod non habeat omnes ſuos numeros: hoc eſt res attributas, quæ vulgus philoſophorum, circumſtantias vocat, vt ipſe docet Ethicorum libro ſecũdo. Sed virtus dupliciter intelligitur: vno modo propriè, vt definitur Ethicorum ſecũdo. Habitus electiuus in mediocritate ad nos velata cõſiſtens ratione definitus. itaq; virtus nõ eſt, quæ à recta ratione diſcedit: & hoc modo nemo poteſt abuti virtute in malũ, & turpitudinẽ. Altero modo impropriè habitus quidã, quo qui præditus eſt, facilè poteſt ea facere, quæ viri probi per virtutẽ veram

ram faciunt. Vt abſtinere à voluptatibus corporis, pecunias largiri, & pericu- la intrepidè ſubire, etiam ſi malo id animo faciat, & ad prauum finē ſpectās: & tali virtute facilè fieri poteſt, vt homo prauus & iniuſtus ad malum & ad turpitudinem abutatur. Non enim qui iuſta facit, vt eſt in Ethicorum ij. lib. ſtatim iuſtus eſt: nec temperans, qui temperata, ſed qui iuſta & tempera- ta iuſtè facit & temperatè, id eſt ſeruatis rebus attributis, ſeu circunſtanti- bus. Eadem eſt prudentiæ ratio, quæ ſi propriè accipiatur, ac, vt in ſexto Ethi- corum definitur, verus habitus agendi cum ratione in ijs, quę homini bona & mala ſunt. *Nemo poteſt abuti prudētia ad malum: quippe quæ vir- tutum eſt tanquam architectus, eiſq; agenda præſcribens: vt eſt in primo li- bro magnorum moralium.* Nam prudentis, *inquit*, eſt optima expete- re, & optimè agere. *Sed interdum prudentia dicitur impropriè, ſcilicet ſo- lertia quædam in rebus agendis rem expediendi, & ad finem, qualemcunque ſibi propoſuit, perducendi. De qua ſolertia quæ græcè* δεινότης *appellatur, eſt in Ethicorum ſexto, & in magnorum moralium libro primo: & hoc modò fa- cilè poteſt homo iniuſtus abuti prudentia, ſcilicet impropriè dicta: talis enim, calliditas & aſtutia verius & proprius diceretur. Itaque virtutes naturales & prudentiam naturalem hoc in loco deſignat: de quibus eſt in libro primo magnorum moralium, vel habitus acquiſitos virtutibus ſimiles.*

20 Iuſtitia res ciuilis eſt. *Eſt enim virtus quæ maximè omnium refertur ad alterum. Nam iuſtitia, quæ virtutem omnem complectitur, hoc differt à virtute: quod virtus talis quidam habitus ſimpliciter intelligitur: iuſtitia talis habitus, ſed ad alterum relatus, vt traditur Ethicorum libro quinto.*

21 Ius enim ordo eſt. *Probat iuſtitiam pertinere ad ciuitatem:* nā ius *(inquit)* ordo eſt ciuilis communitatis, *quoniā id iure fieri dicitur, quod fit conuenienter ordini, & inſtitutioni ſocietatis ciuilis.*

22 Ius autem atque iudicium. *Quod græcè eſt* δίκη, *id latinè, modò ius, modò iudicium ſonat. Quare interpres vnum vocabulum, vt ſæpe fit à Cicero- ne, duobus interpretatur.* Ius igitur, *inquit*, atque iudicium eſt, dijudica tio iuſti. *Nam id iuſtum eſſe dicitur, quod iure fit: id iniuſtum, quod contra ius. Cum igitur iuſtum maximè iuſtitiam attingat (nam iuſtitiæ munus eſt iuſtum, iuſtéq; facere) planè intelligitur iuſtitiam virtutem eſſe ciuilem.*

CAPVT III.

1 Sed quoniam ciuitas quibus ex partibus conſiſtat, expoſuimus: 1.
neceſſe fuerit pri' 2 de ratione rei familiaris diſſerere. Omnis enim 2.
ciuitas ex domibus conſtat: 3 domus verò partes, ſunt ea, ex quibus 3.
domus ſtatim conſiſtit. Domus autem perfecta ex ſeruis ac liberis

conſtat. Sed quoniam in minimis de re quaque primùm inquirendum eſt: Primæ verò ac minimę partes domus ſunt dominus & ſeruus, maritus & vxor, pater atque filij: de his tribus quid & quale ipſorum quodque ſit, diſſerere conuenit. Hęc autem ſunt herilis facultas & maritalis.
4. cultas & maritalis. 4 (Nam fœminæ mariſque conſociatio nomine vacat.) Tertia, quòd filiorum effectiua facultas: nam & hæc non proprio vocabulo nominantur: vocentur tamen hæ tres, quem-
5. admodum eas appellauimus 5 Eſt autem pars quædam, quæ rei familiaris ratio quibuſdam eſſe videtur, alijs eius maxima pars: quæ res quomodo ſeſe habeat, conſiderandum nobis eſt: de facultate dico, quæ pecuniaria nominatur. Sed prius de domino atque ſeruo
6. diſſeramus, vt cognoſcantur tum ea, 6 quæ pertinent ad vſum neceſſarium, tum ſi quid ad intelligendum præcipi his de rebus poſſit commodius, quam quæ nunc homines opinantur. Nam quibuſdam dominatus ſcientia quædam eſſe videtur, atque eadem eſſe ratio rei familiaris, & herilis: itemque ciuilis & regia facultas, vt initio memorauimus. Alij verò dominari præter naturam eſſe exiſtimant: nam lege factum eſſe, vt hic ſeruus, ille ſit liber: cum nihil natura differant. ita cum ſit violentum, non eſſe iuſtum. Quoniam igitur res familiaris pars domus eſt, efficitur vt rei familiaris parandæ ratio, pars ſit domeſticæ rationis. Nam ſine rebus neceſſa-
8.7. rijs, nec viuere datur, nec 7 rectè viuere. Vt autem in 8 artibus definitis neceſſe eſt ad opus perficiendum, vt ſua cuique ſuppetant inſtrumēta: ſic res habet in ijs, quæ rei familiaris partem attingunt. Inſtrumentorum autem quædam inanima ſunt, quædam anima-
9. ta: vt 9 gubernatori clauus, inanimum inſtrumentum eſt: proræ curator, animatum: in artificijs enim miniſter pro inſtrumento eſt.
10. eodemque modo 10 poſſeſſio inſtrumentum eſt ad vitam agendam: & res familiaris inſtrumentorum multitudo: & ſeruus ſuppellex animata: omniſque miniſter eſt velut inſtrumentum inſtrumentis præfectum. Nam ſi poſſet inſtrumentum quódque vel iuſſu alterius, vel ſuo antecedente ſenſu munus ſuum obire, vt de fabricis Dedali & tripodibus Vulcani memorant, quos poeta tradit ſua ſponte, ſuoque motu in diuinum certamen proceſſiſſe: ſic radij per ſe texerent, ac plectra citharam pulſarent, haud ſa-
11. ne vel architecti miniſtros, vel domini ſeruos deſiderarent. 11 Quæ igitur inſtrumenta vocantur, hæc faciendi ſunt inſtrumenta: poſſeſſio autem inſtrumentum agendi. Nam à radio quiddam aliud

Illud præter vſũ eius exiſtit:à veſte verò & lecto, vſus dũtaxat percipitur.Præterea quoniã 12 factio differt ab actione, & vtraq; indi- 12.
get inſtrumentis, idcirco neceſſe eſt, vt hęc eodẽ diſcrimine diſtent. Cum autem vita actio ſit,non factio,efficitur vt ſeruus adminiſter ſit ad actionem.Cæterum poſſeſſio perinde dicitur atque pars. Nã pars non ſolum alterius eſt pars,ſed omnino alterius,ac eodem modo poſseſsio. Itaq; 13 dominus ſerui dominus eſt duntaxat,nõ item 13.
eſt illius:ſeruus autem non tantum eſt domini ſeruus,verum etiam eſt omnino illius.Ex quibus plane intelligitur,quę ſit natura facultaſq; ſerui.Nam qui natura non eſt ſuus,ſed alterius, homo tamen, hic eſt natura ſeruus.eſt autem alterius homo,quicunq; cum homo ſit,ab alio veluti ſuppellex poſſidetur.Suppellex autem inſtrumentum eſt 14 actiuum,& ſeparatum.15 Cæterum ſit ne quiſquã natura 14. 15.
talis,an nemo prorſus,& vtrum cuiquam melius ſit,ac iuſtius vt ſeruiat,an ſecus:ſitq; omnis ſeruitus præter naturam,deinceps differẽdum eſt.Neque verò difficile fuerit tum ratione,tum 16 vſu rerum 16.
quid in hac quæſtione verum ſit,perſpicere atque intelligere. Nam imperare,& parere, 17 nõ in neceſſarijs modò, ſed etiam in rebus v- 17.
tilibus habẽtur:& ab ipſo ſtatim ortu quædam ita differunt, vt hæc ad parendum,illa ſint ad imperandum nata: multaque genera ſunt tum imperantium, tum etiam ſubditorum. porro imperium ſemper eo melius eſt, quo habetur in meliora, exempli gratia: Imperium quod in hominem habetur, melius eſt,quàm quod in belluam. nam opus eo potius eſt, quo perficitur à melioribus . Cum autem hoc imperat, illud paret.horum opus quoddam exiſtit. Nam quæ ex pluribus conſiſtunt, dum quiddam vnum commune ſiue ex continẽtibus, ſiue ex partitis efficitur,in his omnibus tum quod præeſt, tum quod huic ſubiectum eſt, apparet, quod 18 ex om- 18.
ni natura rebus animatis adeſt.nam in ijs, quæ vitæ ſunt expertia, imperium quoddam velut concentus ineſt. Sed hæc quæſtio alienior eſſe fortaſſis huic loco videatur. Animal verò primum ex anima & corpore conſiſtit: ex quibus illa imperium habet à natura, hoc autem eſt ſubiectum. quid autem naturæ ratio poſcat, non ex corruptis & deprauatis æſtimandum eſt : ſed ex ijs quæ naturam integriorem retinent. quocirca hominem tum corpore, tum anima rectiſsimè affectum ſpectare oportet, in quo id manifeſtè apparet. nam in vitioſis ſeu deprauatis ſæpe corpus in animam imperium habere videtur : propterea quòd malè, &

præter naturam ſeſe habent. Vt igitur ſuprà memorauimus, primùm in animali imperium, tum herile, tũ etiã ciuile intueri licet. nam corpori animal herili, appetitui verò mens imperio ciuili rogioque præeſt. quibus in rebus dubitari non poteſt, quin naturale ſit, commodumque corpori, vt animæ pareat: parti verò perturbationibus obnoxiæ, vt menti obtemperet, partique rationem obtinenti: ęqualitatem autem, vel oppoſitam imperandi rationem, omnibus eſſe pernicioſam. Ruſusque in homine, & cæteris animantibus eodem modo. Nam cicures animantes natura ſunt feris potiores: eis tamen omnibus commodius eſt, vt hominis imperio pareant: hoc enim eſt ipſis ſalutare. Præterea ſi mas & fœmina conferantur, ille natura potior eſt, & imperans: hæc deterior & ſubiecta, eodemq; modo vt ſeſe res habeat 19 in cunctis hominibus, neceſſe

19. eſt. 20 Qui ergo tanto ſunt inferiores, quãtum diſtat ab anima cor-

20. pus, & ab homine bellua, hoc autem modo affecti ſunt, quorum opus eſt corporis vſus, ex quibuſque hic fructus maximus percipitur: hi ſunt natura ſerui, quibus optimum eſt vt hoc imperio gubernentur, 21 quemadmodum ijs, quæ ſuprà diximus. eſt enim na-

21. tura ſeruus, is qui 22 alterius eſſe poteſt, ac proinde alterius eſt: qui-

22. que hactenus rationis eſt particeps, vt 23 rationem ſentiat tantum,

23. non etiam habeat. Cætera enim animalia rationem non ſentiunt, ſed affectibus ſeruiunt. vſus autem parum differt. ab vtriſq; enim, hoc eſt à ſeruis & à cicurib. animantibus, corpore iuuamur ad vſus neceſſarios. Sed licet natura velit corpora quoq; liberorum diuerſa, ac ſeruorũ facere: vt hæc robuſta, ſint ad vſus neceſſarios: illa recta & ad talia munera obeũdum inutilia, ſed ad vitam ciuilem, quæ

24. partim in bello, partim in pace verſatur accommodata. 24 Sæpè ta-

25.26. men accidit oppoſitum, vt 25 alij corpora, 26 alij animos ingenuorum habeant. Neq; verò dubium eſt, quin ſi corpore tantum excel

27. lerent quantum 27 deorum imagines, omnium iudicio digni viderentur, quib. ſeruiretur ab ijs, quibus ea corporis dignitas non contingeret. Quod ſi verum eſt in corpore, quanto id iuſtius ſtatuetur in animo. Sed non perinde facile eſt animi pulchritudinem perſpicere, ac corporis venuſtatẽ cernere. Non eſt igitur dubitabile, quin homines quidam ad libertatem nati ſint, alij ad ſeruitutem, quibus hoc ipſum vt ſeruiant commodum eſt atque iuſtum.

Scholia

Scholia in Caput III.

1 Sed quoniam ciuitas.*Vt teneat ordinem inſtitutum, antequam de ciuitate diſſerat, de domo , & partibus eius diſputat: quæ partes tribus potiſſimum ſocietatibus facultatibusq́ȝ cõtinentur, herili, maritali, & filiorum procreatrice. Sed primùm omnium de herili, quæ ad dominũ ſeruumq́ȝ pertinet, ad hanc enim pertinet res familiaris, & ſeruus, qui pars eſt rei familiaris, & vtrunqȝ inſtrumentum ſeu inſtrumenta ad vitam agendam.*

2 De ratione rei familiaris.*De adminiſtratione domus, quæ græcè dicitur* ὀικονομία.

3 Domus vero partes ſunt.*Vetuſtorum exemplariũ fidem ſecutus eſt interpres hoc in loco. nam impreſſa pro* ὀικίας *perperam habent* ὀικονομίας.

4 Nam fœminæ.*Tribus facultatibus contineri dicit rationem rei familiaris, herili, maritali, & filiorum procreatrice. quarũ duas poſteriores proprio nomine carere dicit, licet ipſe docendi gratia alteram,* γαμικὴν *à nuptijs: alteram* τεκνοποιητικὴν *à procreandis filijs, nouis vocabulis nominauerit. Eſt tamẽ hic locus deprauatus in codicib. impreßis: in vetuſtis verò quos ſecutus eſt interpres, ſic ſcriptũ eſt:* ταῦτα δ᾽ ἐστὶ δεσποτικὴ καὶ γαμική. ἀνώνυμον γὰρ ἡ γυναικὸς καὶ ἀνδρὸς σύζευξις καὶ τρίτον τεκνοποιητικὴ καὶ γὰρ αὐτὴ.

5 Eſt autem pars quædam.*Pecuniariam facultatem, quæ in parandis opibus verſatur, quibuſdam idem eſſe videri ait, quod œconomicã, Platonẽ deſignans: alijs potiſſimam eius partem, quam tamen ipſe poſtea docebit, aut non pertinere ad patrem familias, cuius officij magis eſt diuitijs vti, quàm parare, aut non eſſe partem potiſſimam domeſticæ facultatis.*

6 Quæ pertinet ad vſum neceſſarium. *In doctrinis practicis, hoc eſt, ad res agendas pertinentibus. cuiuſmodi eſt omnis diſciplina moralis & ciuilis, pleraqȝ diſſeruntur, & conſiderantur agendi gratia, & propter vſum quẽ res neceſſario deſiderat: quædam ſciendi duntaxat, & cõtemplationis cauſa. Quorum vtrunqȝ ſæpe Ariſtoteles in his moralibus ciuilibusq́ȝ doctrinis facit: quanquam earum finis nõ eſt cognitio, ſed actio vt traditur Ethicorũ primo.*

7 Recte viuere.*Liberaliter, & ex virtute viuere.*

8 Artib. definitis.*Quæ in re certa & quaſi materia determinata verſãtur.*

9 Gubernatori clauus. *Gubernator propriè apud Latinos eſt, qui nauim clauo, hoc eſt temone, quaſi freno gubernat. Nã cæteri moderatores, per trãſlationem & huius ſimilitudinem, gubernatores vocantur.*

10 Poſſeſsio.*Res poſſeſſa, vt non ſolum prædium quodqȝ, ſed etiã ſuppellex intelligatur. nam* κτῆμα *verbum græcum, quod interpres poſſeſſione vertit, vtrunqȝ ſignificat, vt* κτῆσις *totam rem familiarem ſeu patrimonium.*

11 Quæ inſtrumẽta vocãtur. *Cõmuni cõſuetudine: nã prædia & ſuppellectilia, licet reuera ſint agẽdi inſtrumenta, nõ tamen ſolẽt inſtrumẽta vocari.*

12 Factio ſpecie differt ab actione. *Diſcrimen agendi & faciendi in fine conſiſtit, vt apertius magnorum moralium libro primo declaratur. nam faciendi finis aliud eſt præter factionem, vt domus finis eſt ædificandi: agendi verò nihil niſi actio ipſa. Vt canendi voce aut fidibus, finis nihil aliud eſt, quàm ipſe cantus.*

13 Dominus ſerui dominus eſt. *Id eſt ratione ſerui dicitur dominus, ad ſeruumq́ refertur: & vt philoſophi quidam loquuntur, eſt correlatiuus ſerui, non tamen eſt res ſerui, quaſi à ſeruo poſſeſſa. Vt ſeruus eſt res domini, quemadmodum equus, aut domus.*

14 Actiuũ & ſeparatum. *Pertinet ad agendũ, & eſt ſeparatum ab agente, nec enim coniunctum eſt, vt pars inſtrumentaria, vt pes aut manus.*

15 Cęterum ſit ne quiſquam. *Poſtquam ſeruus quid ſit definiuit, quærere aggreditur, num ſit quiſquã tali conditione natus, vt ipſum natura ad ſeruiendum genuerit: prius tamen in vniuerſum docet, multas eſſe & varias imperandi, & parendi rationes: aliter enim rex imperat præſtq́: aliter ciuilis magiſtratus: aliter dominus: & has differentias non ſolùm eſſe hominibus inter ipſos ſed etiam per horum ſimilitudinem in alijs, vt animæ, & corpori, rationi, & appetitui: quin etiam formæ & materiæ in rebus inanimatis: tum quoſdam homines eſſe ad ſeruiendum natos docet, cum declarat eos eſſe natura ſeruos, qui ſunt ingenio tardiſſimi, nihil habentes ſolertiæ, corpore tamen validi ad obeunda miniſteria neceſſaria: vt domini natura & ad imperandum nati, qui valent ingenio atq́ ſolertia, & ſunt imbecilli corpore, quorum vtriſque idem conducit: ſcilicet vt qui valet ſolertia, imperet: qui corpore, is faciat imperata.*

16 Vſu rerum. *Rebus ipſis, quæ fieri in vita hominum cernuntur.*

17 Non in neceſſarijs modò.) *Non ſolùm neceſſarium eſt ad vitam degendam, vt dominus imperet res neceſſarias, ſerui faciant imperata, ſed etiam eſt vtriſque commodum & vtile.*

18 Ex omni natura.) *Animal multifariam conſiderari poteſt, vt ſubſtantia quædam, vt corpus naturale, vt res animata, quæ ſunt diuerſæ naturæ: quocunq́ igitur modo cõſideretur, & ex quacunq́ natura, apparebit in eo imperans, & huic ſubiectum: quia in omni re ex materia, & forma cõpoſita. Forma eſt quaſi tenens imperiũ, materia velut ſubiecta: quæ res harmoniã, ſiue cõcentum imitatur. in quo concentu vox aliqua cæteris dominari dicitur, vt in accentib. acutus dominans appellatur, ait ex omni natura: dicit, vt ſubaudiamus maximè. Nam cum id in cæteris quoq́ naturis notetur, maximè tamen*

men

men apparet in natura animalis.

19 In cunctis hominibus. *Etiam viris inter ipſos.*

20 Qui ergo tanto ſunt inferiores. *Cæteris ſcilicet prudentioribus.*

21 Quemadmodũ ijs quæ ſuprà diximus. *Corpori & belluæ: vt hæc homini, illud obtemperet animæ. Nam ſimilis eſt vtrorumq; ratio.*

22 Alteri⁹ eſſe poteſt. *Qui æquo animo ſe alterius poteſtati ac imperio permittit ſalutis cauſa, vt illius ſolertia & ingenio, ſuo verò labore viuat: quæ ratio facit, vt alterius ſit. Eſt enim natus, vt ſit in alterius poteſtate.*

23 Rationẽ ſentiat. *Sentit atq; intelligit, quid ſibi faciendum ab intelligẽte per ſolertiam imperetur, quod belluis non contingit: non tamen habet tantum rationis, quantum ſatis eſt, vt ſuo conſilio & arbitratu commodè poßit vitam agere.*

24 Sæpe tamen accidit oppoſitũ. *Non enim ſemper natura quod vult petitq; aſſequitur: quia quandoq; incommoda materia, alijsq; difficultatibus impeditur, vt cum hominem gignere conata, monſtrum edit.*

25 Alij corpora. *Duntaxat ſcilicet, non animam homini libero conuenientem, qui nec ad imperandum, nec ad ſeruiendum ſunt apti.*

26 Alij animos. *Prudentiam, & intelligentiam: corpus autem deforme.*

27 Deorum imagines. *Pulcherrima ſigna. Solent n. fictores, pictoresq; in deorũ ſignis & imaginibus fabricãdis aut pingendis omnem Symmetriæ atq; commenſus, & pulchritudinis rationẽ tenere, quantũ ingenio & arte cõſequi poſſunt. quam pulchritudinis & proceritatis rationẽ Aethiopes ſequi in mãdandis imperijs, ſeu magiſtratibus, & Indos in regibus deligendis traditũ eſſe à quibuſdam, ipſe refert in quarto & ſeptimo huius operis libro.*

CAPVT IIII.

1 NEQVE verò difficile eſt intelligere, qui his contraria tradunt, eos quoque rectè quodam modo ſentire. Nam ſeruire & ſeruus bifariam dicitur: 2 quidam enim lege ſeruus eſt, & lege ſeruit. Nam lex conuentum quoddam eſt, ſeu publicus conſenſus, quò 3 quæ bello ſuperantur, hæc victorum eſſe dicuntur. Sed hoc iuſtum à pleriſque legum peritis 4 tanquam orator de lege contra leges lata in ius vocatur, velut pergraue ſit, & iniquũ: vt qui vim afferre poteſt, ac viribus præſtat, huius ſeruus ſubiectuſque fiat is, cui fuerit vis illata. Sed hoc in loco alij aliter ſentiunt, etiam ex ſapientibus, cuius controuerſiæ ac rationum diuerſitatis cauſa in eo eſt, quòd virtus adiumẽtis inſtructa vim afferre maximè poteſt, & ſemper

ſemper quod vincit,id bono quodam excellit:itaque non ſine vir-
tute vis afferri,ſed controuerſia de iure duntaxat eſſe videtur Idcir-
5. co enim 5 quibuſdam beneuolentiam ius eſſe:alijs hoc ipſum,vt qui
6. ſuperior eſt,imperium teneat, iuſtum eſſe videtur. Nam 6 ſi hæ ra-
tiones diſiungantur,alteræ nec vim habent,nec probabilitatē: qua-
ſi qui virtute præſtat, hunc non oporteat imperium tenere ac do-
minari. Ad ſummam,nonnulli iure quodam,vt ſibi videntur, perti
naciter innitentes (lex enim ius quoddam eſt) ſeruitutem ex bello
* natam iuſtam eſſe ſtatuunt,*non tamen omnino dicunt: tum quia
fieri poteſt vt bella ſint ab iniuſtis initijs profecta, tum quoniam
qui ſeruitute indignus eſt, hunc eſſe ſeruum nemo dixerit. Alio-
quin vſu veniret, vt qui nobiliſſimi eſſe videntur, ſerui eſſent, ſer-
7. uorúmque filij,ſi forte capti venderentur. Eis igitur 7 non hos, ſed
barbaros ſeruos dici placet. qui cum ita diſſerunt, nihil aliud quæ-
runt, quàm natura ſeruum, de quo nobis eſt ab initio ſuſcepta di-
ſputatio. Eſt enim neceſſe dicere, nonnullos eſſe, quorum quidam
vbiq; ſunt ſerui, alij nuſquam: Ac eodem modo de nobilitate diſſe-
runt: ipſos enim non domi tantùm nobiles eſſe putant, ſed vbique:
Barbaros autem domi duntaxat eſſe nobiles. 8 Tanquam ſit ge-
8 nus quoddam hominum in quo alij nobiles & ingenui ſimpliciter
9. habeantur,alij non ſimpliciter.vt 9 Helena Theodectis ait:

Vtrinque diuum ſtirpe me quis heu ſatam
Seruam vocare poßit,aut dignum putet?

Quod cum dicunt, nulla re alia ſeruitutem ac libertatem, itemque
10. nobiles,& ignobiles, quàm virtute,& vitio definiunt: 10 Nam vt ex
homine hominem,ex belluis belluam: ſic ex bonis bonum genera-
ri putant. At hoc efficere vult quidem natura ſæpe, non tamen po-
teſt. quo plane intelligitur, rem non temere in controuerſiam ve-
11. niſſe,& 11 quoſdam non eſſe natura ſeruos,nec alios liberos : ſed in
quibuſdam id eſſe definitum, quorum vt hic ſeruiat, ille domine-
tur, vtrique conducit & iuſtum eſt: oportetque vt hic ſubiectus ſit:
ille imperio,quod vtrique natura conuenit,fungatur,ac proinde e-
tiam herili: quod ſi prauè fiat,inutile fuerit ambobus Nam parti, ac
toti,itemque corpori,& animæ,idem conducit. Seruus autem pars
12. quædā domini eſt,vt pars quędam corporis animata, 12 ſeiuncta ta-
men.quo fit, vt communis quædam vtilitas & amicitia ſeruo cum
domino ſit, quibus quidem ea conditio eſt à natura tributa. Nam
qui non eo modo,ſed lege,aut vi ſerui ſunt,aut viciſſim domini, in

13 his

13 his contrarium vſu venit. Quo intelligitur, non hoc eſſe domi- 13.
natum, quod principatum ciuilem, nec omnia imperia (14 vt qui- 14.
buſdam placet) idem eſſe inter ipſa: hoc enim eſt in liberos natura,
illud in ſeruos . Et domeſtica adminiſtratio, quæ græcè œco-
nomica dicitur, 15 monarchia eſt: quippe ab vno domus quæ- 15.
que gubernatur. Ciuilis aut gubernatio imperium eſt in liberos, &
pares. Dominus igitur non ſcientia, ſed eo quòd talis ſit, cenſetur:
nec item ſeruus, aut liber, quanquam eſt ſcientia quædam heri-
lis, & quædam ſeruilis. Seruilem dico, qualem Siracuſanus ille do-
cebat. Quidam enim Siracuſis mercede pueros vulgaria miniſteria
docebat: quorum inſtitutio patet latius: pertinet enim ad coquorũ
artem, & cætera talia miniſtrandi genera. Nam ſunt alia honora-
tiora, 16 alia magis neceſſaria & (vt eſt in prouerbio) ſeruus ſer- 16.
uo præſtat, & dominus domino . Tales igitur artes omnes ſunt
ſeruiles. Herilis autem ſcientia eſt, quæ ſeruis vtitur. Nam domi-
nus non eò cenſetur, quòd ſeruos paret, aut habeat, ſed quòd ſeruis
vtatur, cuius ſcientia nihil magnum, nihil gloriandum habet. Nam
quæ ſeruus facere, hæc dominus vt imperare ſciat, oportet. Qua-
re quibus ea moleſtia carere licet, hi procuratori 17 honorem hũc 17.
tradunt, ipſi Reipublicæ adminiſtrationi ſeſe dedunt, aut Philo-
ſophiæ vacant. Ars autem parandi opes, diuerſa eſt ab hac vtraq;
facultate, vt 18 iuſta quædam belli gerendi ratio, ſeu venatoria: ac 18.
de ſeruo quidem, dominoq; hactenus.

Scholia in Caput IIII.

1 NEQVE verò difficile eſt. *Quãquam ſunt nonnulli natura ſerui, tamen non temere (vt docet) à quibuſdam traditum eſt, Seruitutem eſſe rem violentam. Nã cum ſeruus dupliciter dicatur, natura, vt declaratum eſt, & lege: ſiquis bello captus ſit, qui ſeruitutem violentam rem eſſe tradunt, hi de hac poſteriore diſſerunt, quæ iniuſta eſſe videtur, cum ius non ex vi exiſtere videatur, ſed ex beneuolentia & voluntate eorum, qui ſe ſalutis & commoditatis gratia virtute præſtantibus cõmittunt, atq; ſubijciunt. Cæterũ lex illa eo iure defenditur ab alijs, quoniam qui vincit, is virtute quadam præſtat. Eſt autem rationi & naturæ conſentaneum, vt qui virtute ſuperior eſt, is virtute inferioribus imperet, ac præſit. Sed hæc ratio infirma eſt, quia fieri poteſt, tum vt bellum ex iniuſtis cauſis fuerit ſuſceptum, ac proinde ſeruitus inde nata ſit iniuſta: tũ vt victor vna bellica virtute hoc eſt fortitudine præſtet, ac ſuperet, & multis ac potioribus ſuperetur, vt iuſtitia, humanitate, ac prudẽtia, quæ vir-*

tutes potiores ſunt & magis imperio digna.

2 Quidam enim lege ſeruus eſt. *Lege ciuili, aut gentium, non nata ex conditione cuiuſq; naturali.*

3 Quæ bello ſuperantur. *Oppida & homines.*

4 Tanquam orator. *Solent oratores interdum in republica, populo perſuaſo, legem ferre iniquam, & contrariam iuſtis inſtitutis, moriq; maiorum, præſertim cum facti fuerint duces, & aſſentatores populares, qui græcè δημαγωγοὶ nominantur, de quibus multa in hoc opere fit mentio. Vt igitur hos quidam interdum reos faciunt, obijciūtq; eis in iudicio, quòd legem iniquam contra iuſtas leges tulerint: Sic quidam legum periti id iuſtum, ſiue ius accuſant, quo lex inducta eſt, quæ bello victos & captos ſeruos eſſe ſancit victorum capientium.*

5 Quibuſdā beneuolentia ius eſſe videtur. *Nam cum reges magiſtratus ſuffragio populorum deliguntur, atque eis propter excellentem virtutem, quæ ſua ſponte amabilis eſt, populorum voluntate imperium defertur: aut homo hebes, & natura ſeruus, ſalutis cauſa ſe ſubijcit prudentiori, & natura domino ad ſeruiendum, ipſa populorum hominumq; beneuolentia ius facere videtur. Id enim ius eſt, quod ciuitatibus populisq; & hominibus placet cōſenſu quodam, qui ſæpe à natura proficiſcitur.*

6 Si hæ rationes diſiungantur. *Vt ſit vis à virtute ſeparata. hoc enim certum eſt oportere, ac iuſtum eſſe, vt qui virtute præſtat, is teneat imperium, & ſit dominus.*

* Non tamen omnino dicunt. *In vulgatis exemplaribus deprauatè legitur ἅμα δ᾽ οὔ φασι, pro ὅλως δὲ οὔ φασι, vt in vetuſtis legitur: eſt autem ſenſus,* Qui ſeruitutē ex bello natam iuſtam eſſe dicunt, iure quodam peculiari nitūtur *(legem videlicet, quæ ius quoddam eſt)* & vna virtute. *Non tamē omnino dicunt, id eſt nō nitūtur iure vniuerſali, & quod habeat omnes numeros, ſitq; omni ex parte iuſtum. nam quatenus lege nitūtur, iuſtum eſſe videtur: quatenus verò legi obſunt, alia grauiora, non eſt iuſtum. Vt ſiquis in republica imperium ſibi deberi dicat, vt præſtātiori, propterea quòd diuitijs aut genere præſtet: hic enim non vniuerſo, ſed iure quodā nititur. Nam qui locupletior eſt, aut nobilior, is potior ac præſtātior eſt, hac quidem parte, non tamen omninò ac vniuerſè: nam fieri poteſt, vt virtute ſuperetur, aut prudentia, quæ maiorem habet dignitatem, atq; præſtantiam, vt ipſe declarabit.*

7 Nō hos, ſed barbaros. *Qui cum nobiles eſſent, & natura domini, ad imperandumq; nati, bello capti fuerunt: ij non ſerui ſunt iſtorū ſententia, ſed illi duntaxat, qui hebetes tardiq; ſunt, & imperio inepti, cuiuſmodi barbari homines habentur.*

8 Tanquam

8 Tanquam ſit genus quoddam hominum. *Homines videtur in duas partes,quæ genera vocat,diſtribuere:alterã mediocriter intelligentiũ & prudentium:alteram eorum, qui inſigniter ſunt vel ſolertes,& ingenioſi,vel tardi & obeſi.in quo genere poſteriore ſolertes & ingenioſos vbiq; nobiles ac dominos eſſe iſtis placebat,etiam ſi fuiſſent bello capti:hebetes autem & barbaros domi tantum,id eſt in ſua quemq; ciuitate nobiles haberi,ſcilicet qui natus ſit honeſto loco,non tamen extra patriam,præſertim,ſi quis bello fuiſſet in ſeruitutem redactus.*

9. Helena Theodectis. *Helena apud Theodecten, qui fuit poeta tragœdiarum ſcriptor, Platonis & Ariſtotelis diſcipulus.*

10 Nam vt ex homine. *hoc dicit propter Helenæ exẽplum, quæ dum ſe diuina ſtirpe procreatam eſſe dicit,maioribus ſe ſimilem eſſe videri vult.*

11. Quoſdam non eſſe natura ſeruos. *Sic enim græcè legitur in emendatis exemplaribus, καὶ οὐκ εἶναι. Eſt autẽ ſenſus,* quoſdã nec ſeruos, nec dominos eſſe natura, *ſcilicet qui mediocrem habent intelligentiam.in alijs id eſſe definitum,in ijs videlicet qui egregiè ſunt vel hebetes vel intelligẽtes, quorum alteri natura ſerui ſunt,alteri domini.*

12. Seiuncta tamen. *Non vt crus aut brachium,quod non eſt à corpore ſeparatum.*

13. His contrariũm vſu venit. *Eſt enim mutuum odium inter ipſos, & vtilitas diuerſa.*

14. Vt quibuſdam placet. *Platonem deſignat in libro de regno.*

15. Monarchia eſt. *Ac proinde in impares.*

16. Alia magis neceſſaria. *Non enim opera & munera hoc ſunt honoratiora & nobiliora,quo magis neceſſaria,ſed contra:vt in ſcientijs nobiliſsima quæq; minus eſt neceſſaria,vt habetur primo libro de prima philoſophia.*

17. Hunc honorem. *Officium & curam ſeruis imperandi, quod licet non magnum ſit, tamen non vacat honore.*

18. Iuſta quædam belli gerendi ratio. *Nam qui per bellum iniuſtum opes quærit,is non bellum,ſed latrocinium exercet.*

Caput V.

1 SED iam vniuerſè de omni re familiari, & pecuniaria, ſiue 1.
quæſtuaria ratione 2 inſtituto nobis modo diſſeramus. Seruus e- 2.
nim pars quædam rei familiaris eſt. Primùm igitur omnium illud in controuerſiam vocari poteſt, vtrum quæſtuaria ratio eadem ſit, atq; rei familiaris adminiſtratio,an quędam ipſius pars,vel eiuſdem adminiſtra. Tum ſi adminiſtra,num quemadmodum ars

efficiendi radios textorum arti, ſic ipſa ſeruit rei familiaris admini-ſtrationi, an vt æraria ſtatuariæ. Non enim eodem modo vtraq; miniſtrat, ſed altera inſtrumenta, altera materiam ſuggerit: voco autem materiam, ſubiectum, ex quo opus conficitur, vt textori lanæ quaſi materia, ſubijciuntur: æs autem ſtatuario. Non igitur hoc eſt rei familiaris adminiſtratio, quod quæſtuaria facultas: huius enim munus eſt opes parare: illius, vt paratis vtatur. Nam quæ facultas domeſticis opibus vtetur, niſi quæ rem familiarem adminiſtrat? ſit autem illa pars quædam huius facultatis, an in genere alio conſiſtat, non vacat controuerſia, cum ſit munus eius, qui parãdis opibus ſtudet, vnde petendæ ſint opes conſiderare. Quæſtus autem atque diuitiæ, multas partes complectantur. quare primùm quæritur, Num agricultura, ac in vniuerſum cibariorum prouiſio & comparatio, pars quædam ſit quæſtuariæ rationis, an genere quodam alio contineatur? veruntamen cibariorum multa ſunt genera, vnde multæ viuendi rationes, tum cæterorum animantium, tum etiam hominum extiterunt. Nam cum ſine cibo viuere non detur, ciborum diſcrimina varias animantium viuendi rationes efſecerunt. Belluarum enim quædam gregatim viuunt, aliæ diſperſæ vagantur, prout ciborum ratio poſtulat. propterea quòd aliæ carnibus animalium, aliæ fructibus, quædam omni cibatu viuunt. Itaque natura (prout ratio poſtulat) facilè parandi cibum quem genus quodque animantium conſectatur, vitas eorum diſtinxit. Sed quoniam non idem eſt cuiq; iucundum, ſed alijs alia, idcirco tum carniuora, tum quæ fructibus viuunt, varias inter ſe viuendi rationes ſequuntur, atque homines eodem modo. Horum enim vitæ multis diſcriminibus euariant: quorum qui pigerrimi ſunt, hi pecori ſtudent, & vita gaudent paſtorali, propterea quòd eis cibus ex placidis animantibus, in otio ſine labore contingit: qui cum pecora paſtionis gratia loca neceſſariò mutent, ipſi quoque eadem affectare coguntur, tanquam viuam agriculturam exercentes. Quidam ex venatione viuunt: ſed alij ex alia, hoc eſt, quidam prædas agendo, alij
3. piſcando, qui 3 lacus ſcilicet & paludes, ac fluuios accolunt, marévе piſcationibus accommodatum. Sunt qui aucupio alantur, aut ferarum venatione: ſed maxima pars hominum è terra viuit, & fructibus vrbanis. Itaque viuendi rationes,
4. 4 quæ quidem inſitam operationem habent, nec per commercium, aut mercaturam victum ſuppeditant, hæ ferè ſunt paſtorum, agricolarum, prædonum, piſcato-

ria,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ria, item & venatoria: nonnulli tamen 5 temperatam ex his gene- 5.
ribus vitam cum iucunditate degunt, indigentiam vitæ, qua maxi-
mè deficit, ne quid deſideretur, explentes: vt quidā paſcendo pecori
dant operam, ſimúlque prædantur: alij terram colunt, & venationi-
bus exercentur, cæteraſque viuendi rationes, prout eſt vſus, perſe-
quuntur. Atque hęc quidem ratio parandi opes, cunctis à natura tri
buta eſſe videtur, vt in ipſa ſtatim prima generatione: ſic cū ad per-
fectam ætatem peruenerunt, quoniam in ipſa generatione prima
quædam animalia ſimul pariunt alimentum, quantum ſatis ſit, do-
nec quod genitum eſt, ipſum ſibi cibum parare queat, vt in 6 ver- 6.
miparis, ouiparisve fieri notamus: quæ verò animal pariunt, hæc in
ſe cibum habent lactis ſcilicet, vocati naturam, quò filij modò geni-
ti ad tempus aliquod alantur, vt liceat eodem modo de adultis iu-
dicare, putaréque ſtirpes animalium, tum cæteras animantes homi-
num cauſa fuiſſe procreatas cicures, vt his homines tum ad alios
vſus, tum ad cibum vtantur. Feras autem ſi non omnes, at certè plo-
raſque, vt eis alantur, iuuenturq; tum ad veſtes, tum ad inſtrumen-
ta cętera comparanda. quòd ſi natura 7 nihil imperfectum, nihil te- 7.
merè fruſtraque facit: ipſas omnes feras hominum cauſa factas, na-
tura fuiſſe neceſſe eſt. quo fit, vt opes bello etiam parandi ratio à na-
tura quodammodo proficiſcitur. Nam eius pars eſt venatoria facul-
tas, qua vti conuenit, cum in belluas, tum in eos homines, qui cum
ſint ad parendum nati, imperium recuſant: eſt enim huiuſmodi bel-
lum natura iuſtum. 8 familiaris igitur adminiſtrationis pars eſt ge- 8.
nus vnum quæſtuariæ, qua opes conuenienter naturæ comparan-
tur, 9 quæ vel ſuppetere debet, vel res ab ipſa comparari, quę condi, 9.
reponique ſolent neceſſariæ ad vitam, & ad ciuitatis, aut domus ſo-
cietatem tuendam accommodatæ. Ex his enim veræ diuitiæ con-
ſtare videntur: quippe quarum copia non eſt ad rectè viuendum in-
finita: vt Solon ait in carminibus:

Finis opum poſitus non eſt mortalibus vllus.

Eſt enim poſitus vt cæteris artibus, quoniam nullius artis inſtru-
mentum infinitum eſt, vel numero, vel magnitudine. diuitiæ au-
tem multitudo eſt domeſticorum, & ciuilium inſtrumentorum.
Ac eſſe quidem naturalem quandam parandi opes facultatem, tum
patribus familias, tum ciuitatum præfectis, & quam ob cauſam, ex-
plicauimus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM. EMANUELE

præter naturam ſeſe habent. Vt igitur ſuprà memorauimus, primùm in animali imperium, tum herile, tũ etiã ciuile intueri licet. nam corpori animal herili, appetitui verò mens imperio ciuili regioque præeſt. quibus in rebus dubitari non poteſt, quin naturale ſit, commodumque corpori, vt animæ pareat: parti verò perturbationibus obnoxiæ, vt menti obtemperet, partique rationem obtinenti: ęqualitatem autem, vel oppoſitam imperandi rationem, omnibus eſſe pernicioſam. Rurſusque in homine, & cæteris animantibus eodem modo. Nam cicures animantes natura ſunt feris potiores: eis tamen omnibus commodius eſt, vt hominis imperio pareant: hoc enim eſt ipſis ſalutare. Præterea ſi mas & fœmina conferantur, ille natura potior eſt, & imperans: hæc deterior & ſubiecta.
19. eodemq; modo vt ſeſe res habeat 19 in cunctis hominibus, neceſſe
20. eſt. 20 Qui ergo tanto ſunt inferiores, quãtum diſtat ab anima corpus, & ab homine bellua, hoc autem modo affecti ſunt, quorum opus eſt corporis vſus, ex quibuſque hic fructus maximus percipitur: hi ſunt natura ſerui, quibus optimum eſt vt hoc imperio gubernentur, 21 quemadmodum ijs, quæ ſuprà diximus. eſt enim na-
21. tura ſeruus, is qui 22 alterius eſſe poteſt, ac proinde alterius eſt: qui-
22. que hactenus rationis eſt particeps, vt 23 rationem ſentiat tantum,
23. non etiam habeat. Cætera enim animalia rationem non ſentiunt, ſed affectibus ſeruiunt. vſus autem parum differt. ab vtriſq; enim, hoc eſt à ſeruis & à cicurib. animantibus, corpore iuuamur ad vſus neceſſarios. Sed licet natura velit corpora quoq; liberorum diuerſa, ac ſeruorũ facere: vt hæc robuſta, ſint ad vſus neceſſarios: illa recta & ad talia munera obeũdum inutilia, ſed ad vitam ciuilem, quæ
24. partim in bello, partim in pace verſatur accommodata. 24 Sæpè ta-
25. 26. men accidit oppoſitum, vt 25 alij corpora, 26 alij animos ingenuorum habeant. Neq; verò dubium eſt, quin ſi corpore tantum excel
27. lerent quantum 27 deorum imagines, omnium iudicio digni viderentur, quib. ſeruiretur ab ijs, quibus ea corporis dignitas non contingeret. Quod ſi verum eſt in corpore, quanto id iuſtius ſtatuetur in animo. Sed non perinde facile eſt animi pulchritudinem perſpicere, ac corporis venuſtaté cernere. Non eſt igitur dubitabile, quin homines quidam ad libertatem nati ſint, alij ad ſeruitutem, quibus hoc ipſum vt ſeruiant commodum eſt atque iuſtum.

Scholia in Caput III.

1 Sed quoniam ciuitas.*Vt teneat ordinem inſtitutum, antequam de ciuitate diſſerat, de domo, & partibus eius diſputat: quæ partes tribus potiſſimum ſocietatibus facultatibusq́; cõtinentur, herili, maritali, & filiorum procreatrice. Sed primùm omnium de herili, quæ ad dominũ ſeruumq́; pertinet, ad hanc enim pertinet res familiaris, & ſeruus, qui pars eſt rei familiaris, & vtrunq; inſtrumentum ſeu inſtrumenta ad vitam agendam.*

2 De ratione rei familiaris.*De adminiſtratione domus, quæ græcè dicitur* ὀικονομία.

3 Domus vero partes ſunt.*Vetuſtorum exemplariũ fidem ſecutus eſt interpres hoc in loco. nam impreſſa pro* ὀικίας *perperam habent* ὀικονομίας.

4 Nam fœminæ.*Tribus facultatibus contineri dicit rationem rei familiaris, herili, maritali, & filiorum procreatrice. quarũ duas poſteriores proprio nomine carere dicit, licet ipſe docendi gratia alteram,* γαμικὴν *à nuptijs: alteram* τεκνοποιητικὴν *à procreandis filijs, nouis vocabulis nominauerit. Eſt tamẽ hic locus deprauatus in codicib. impreſſis: in vetuſtis verò quos ſecutus eſt interpres, ſic ſcriptũ eſt:* ταῦτα δή. ἐστι δεσποτικὴ καὶ γαμικὴ. ἀνώνυμον γὰρ ἡ γυναικὸς καὶ ἀνδρὸς σύζευξις καὶ τρίτον τεκνοποιητικὴ καὶ γὰρ αὕτη.

5 Eſt autem pars quædam.*Pecuniariam facultatem, quæ in parandis opibus verſatur, quibuſdam idem eſſe videri ait, quod œconomicã, Platonẽ deſignans: alijs potiſſimam eius partem, quam tamen ipſe poſtea docebit, aut non pertinere ad patremfamilias, cuius officij magis eſt diuitijs vti, quàm parare, aut non eſſe partem potiſſimam domeſticæ facultatis.*

6 Quæ pertinet ad vſum neceſſarium. *In doctrinis practicis, hoc eſt, ad res agendas pertinentibus. cuiuſmodi eſt omnis diſciplina moralis & ciuilis, pleraq; differuntur, & conſiderantur agendi gratia, & propter vſum quẽ res neceſſario deſiderat: quædam ſciendi duntaxat, & cõtemplationis cauſa. Quorum vtrunq; ſæpe Ariſtoteles in his moralibus ciuilibusq́; doctrinis facit: quanquam earum finis nõ eſt cognitio, ſed actio vt traditur Ethicorũ primo.*

7 Recte viuere.*Liberaliter, & ex virtute viuere.*

8 Artib. definitis.*Quæ in re certa & quaſi materia determinata verſãtur.*

9 Gubernatori clauus. *Gubernator propriè apud Latinos eſt, qui nauim clauo, hoc eſt temone, quaſi freno gubernat. Nã cæteri moderatores, per trãſlationem & huius ſimilitudinem, gubernatores vocantur.*

10 Poſſeſſio.*Res poſſeſſa, vt non ſolùm prædium quodq;, ſed etiã ſuppellex intelligatur. nam* κτῆμα *verbum græcum, quod interpres poſſeſſione vertit, vtrunq; ſignificat, vt* κτῆσις *totam rem familiarem ſeu patrimonium.*

11 Quæ inſtrumēta vocātur.*Cõmuni cõſuetudine:nā prædia & ſuppellectilia,licet reuera ſint agēdi inſtrumenta, nõ tamen ſolēt inſtrumēta vocari.*
12 Factio ſpecie differt ab actione. *Diſcrimen agendi & faciendi in fine conſiſtit,vt apertius magnorum moralium libro primo declaratur. nam faciendi finis aliud eſt præter factionem,vt domus finis eſt ædificandi:agendi verò nihil niſi actio ipſa.Vt canendi voce aut fidibus,finis nihil aliud eſt,quàm ipſe cantus.*
13 Dominus ſerui dominus eſt.*Id eſt ratione ſerui dicitur dominus,ad ſeruumq; refertur:& vt philoſophi quidam loquuntur,eſt correlatiuus ſerui, non tamen eſt res ſerui, quaſi à ſeruo poſſeſſa.Vt ſeruus eſt res domini,quemadmodum equus,aut domus.*
14 Actiuũ & ſeparatum.*Pertinet ad agendũ,& eſt ſeparatum ab agente,nec enim coniunctum eſt,vt pars inſtrumentaria,vt pes aut manus.*
15 Cęterum ſit ne quiſquam.*Poſtquam ſeruus quid ſit definiuit,quærere aggreditur,num ſit quiſquã tali conditione natus, vt ipſum natura ad ſeruiendum genuerit:prius tamen in vniuerſum docet,multas eſſe & varias imperandi,& parendi rationes:aliter enim rex imperat præeſtq;:aliter ciuilis magiſtratus:aliter dominus:& has differentias non ſolùm eſſe hominibus inter ipſos,ſed etiam per horum ſimilitudinem in alijs,vt animæ, & corpori,rationi,& appetitui:quin etiam formæ & materiæ in rebus inanimatis:tum quoſdam homines eſſe ad ſeruiendum natos docet, cum declarat eos eſſe natura ſeruos, qui ſunt ingenio tardiſſimi,nihil habentes ſolertiæ,corpore tamen validi ad obeunda miniſteria neceſſaria: vt domini natura & ad imperandum nati,qui valent ingenio atq; ſolertia,& ſunt imbecilli corpore,quorum vtriſque idem conducit:ſcilicet vt qui valet ſolertia,imperet:qui corpore,is faciat imperata.*
16 Vſu rerum.*Rebus ipſis,quæ fieri in vita hominum cernuntur.*
17 Non in neceſſarijs modò.) *Non ſolùm neceſſarium eſt ad vitam degendam, vt dominus imperet res neceſſarias, ſerui faciant imperata, ſed etiam eſt vtriſque commodum & vtile.*
18 Ex omni natura.) *Animal multifariam conſiderari poteſt, vt ſubſtantia quædam,vt corpus naturale,vt res animata,quæ ſunt diuerſæ naturæ:quocunq; igitur modo cõſideretur,& ex quacunq; natura,apparebit in eo imperans,& huic ſubiectum:quia in omni re ex materia,& forma cõpoſita. Forma eſt quaſi tenens imperiũ,materia velut ſubiecta : quæ res harmoniã,ſiue cõcentum imitatur. in quo concentu vox aliqua cæteris dominari dicitur,vt in accentib. acutus dominans appellatur,aut ex omni natura:dicit,vt ſubaudiamus maximè.Nam cum id in cæteris quoq; naturis notetur, maximè tamen*

men

nien apparet in natura animalis.

19 In cunctis hominibus.*Etiam viris inter ipſos.*

20 Qui ergo tanto ſunt inferiores.*Cęteris ſcilicet prudentioribus.*

21 Quemadmodú ijs quæ ſuprà diximus.*Corpori & belluæ: vt hæc homini, illud obtemperet animæ. Nam ſimilis eſt vtrorumq; ratio.*

22 Alteri⁹ eſſe poteſt.*Qui æquo animo ſe alterius poteſtati ac imperio permittit ſalutis cauſa, vt illius ſolertia & ingenio, ſuo verò labore viuat: quæ ratio facit, vt alterius ſit. Eſt enim natus, vt ſit in alterius poteſtate.*

23 Rationé ſentiat.*Sentit atq; intelligit, quid ſibi faciendum ab intelligēte per ſolertiam imperetur, quod belluis non contingit: non tamen habet tantum rationis, quantum ſatis eſt, vt ſuo conſilio & arbitratu commodè poßit vitam agere.*

24 Sæpe tamen accidit oppoſitū. *Non enim ſemper natura quod vult petitq́; aſſequitur: quia quandoq; incommoda materia, alijsq́; difficultatibus impeditur, vt cum hominem gignere conata, monſtrum edit.*

25 Alij corpora.*Duntaxat ſcilicet, non animam homini libero conuenientem, qui nec ad imperandum, nec ad ſeruiendum ſunt apti.*

26 Alij animos.*Prudentiam, & intelligentiam: corpus autem deforme.*

27 Deorum imagines.*Pulcherrima ſigna. Solent.n. fictores, pictoresq́; in deorū ſignis & imaginibus fabricādis aut pingendis omnem Symmetriā atq; commenſus, & pulchritudinis rationē tenere, quantū ingenio & arte cōſequi poſſunt. quam pulchritudinis & proceritatis rationē Aethiopes ſequi in mādandis imperijs, ſeu magiſtratibus, & Indos in regibus deligendis traditū eſſe à quibuſdam, ipſe refert in quarto & ſeptimo huius operis libro.*

CAPVT IIII.

1 NEQVE verò difficile eſt intelligere, qui his contraria tra- 1.
dunt, eos quoque rectè quodam modo ſentire. Nam ſeruire & ſer-
uus bifariam dicitur: 2 quidam enim lege ſeruus eſt, & lege ſeruit. 2.
Nam lex conuentum quoddam eſt, ſeu publicus conſenſus, quò
3 quæ bello ſuperantur, hæc victorum eſſe dicuntur, Sed hoc iu- 3.
ſtum à plerisque legum peritis 4 tanquam orator de lege contra le- 4.
ges lata in ius vocatur, velut pergraue ſit, & iniquū: vt qui vim affer
re poteſt, ac viribus præſtat, huius ſeruus ſubiectuſque fiat is, cui
fuerit vis illata. Sed hoc in loco alij aliter ſentiunt, etiam ex ſapi-
entibus, cuius controuerſiæ ac rationum diuerſitatis cauſa in eo
eſt, quòd virtus adiumētis inſtructa vim afferre maximè poteſt, &

ſemper

13 his contrarium vſu venit. Quo intelligitur, non hoc eſſe domi- 13.
natum, quod principatum ciuilem, nec omnia imperia (14 vt qui- 14.
buſdam placet) idem eſſe inter ipſa: hoc enim eſt in liberos natura,
illud in ſeruos. Et domeſtica adminiſtratio, quæ græcè œco-
nomica dicitur, 15 monarchia eſt: quippe ab vno domus quæ- 15.
que gubernatur. Ciuilis autem gubernatio imperium eſt in liberos, &
pares. Dominus igitur non ſcientia, ſed eo quòd talis ſit, cenſetur:
nec item ſeruus, aut liber, quanquam eſt ſcientia quædam heri-
lis, & quædam ſeruilis. Seruilem dico, qualem Siracuſanus ille do-
cebat. Quidam enim Siracuſis mercede pueros vulgaria miniſteria
docebat: quorum inſtitutio patet latius: pertinet enim ad coquorũ
artem, & cætera talia miniſtrandi genera. Nam ſunt alia honora-
tiora, 16 alia magis neceſſaria & (vt eſt in prouerbio) ſeruus ſer- 16.
uo præſtat, & dominus domino. Tales igitur artes omnes ſunt
ſeruiles. Herilis autem ſcientia eſt, quæ ſeruis vtitur. Nam domi-
nus non eò cenſetur, quòd ſeruos paret, aut habeat, ſed quòd ſeruis
vtatur, cuius ſcientia nihil magnum, nihil gloriandum habet. Nam
quæ ſeruus facere, hæc dominus vt imperare ſciat, oportet. Qua-
re quibus ea moleſtia carere licet, hi procuratori 17 honorem hũc 17.
tradunt, ipſi Reipublicæ adminiſtrationi ſeſe dedunt, aut Philo-
ſophia vacant. Ars autem parandi opes, diuerſa eſt ab hac vtraq;
facultate, vt 18 iuſta quædam belli gerendi ratio, ſeu venatoria: ac 18.
de ſeruo quidem, dominoq; hactenus.

Scholia in Caput IIII.

1 NEQVE verò difficile eſt. *Quãquam ſunt nonnulli natura ſerui, tamen non temere (vt docet) à quibuſdam traditum eſt, Seruitutem eſſe rem violentam. Nã cum ſeruus dupliciter dicatur, natura, vt declaratum eſt, & lege: ſiquis bello captus ſit, qui ſeruitutem violentam rem eſſe tradunt, hi de hac posteriore diſſerunt, quæ iniuſta eſſe videtur, cum ius non ex vi exiſtere videatur, ſed ex beneuolentia & voluntate eorum, qui ſe ſalutis & commoditatis gratia virtute præſtantibus cõmittunt, atq; ſubijciunt. Cæterũ lex illa eo iure defenditur ab alijs, quoniam qui vincit, is virtute quadam præſtat. Eſt autem rationi & naturæ conſentaneum, vt qui virtute ſuperior eſt, is virtute inferioribus imperet, ac præſit. Sed hæc ratio infirma eſt, quia fieri poteſt, tum vt bellum ex iniuſtis cauſis fuerit ſuſceptum, ac proinde ſeruitus inde nata ſit iniuſta: tũ vt victor vna bellica virtute hoc eſt fortitudine præſtet, ac ſuperet, & multis ac potioribus ſuperetur, vt iuſtitia, humanitate, ac prudẽtia, quæ vir-*

tutes potiores ſunt & magis imperio digna.

2 Quidam enim lege ſeruus eſt. *Lege ciuili, aut gentium, non nata ex conditione cuiuſq; naturali.*

3 Quæ bello ſuperantur. *Oppida & homines.*

4 Tanquam orator. *Solent oratores interdum in republica, populo perſuaſo, legem ferre iniquam, & contrariam iuſtis inſtitutis, moriq; maiorum, præſertim cum facti fuerint duces, & aſſentatores populares, qui græcè δημαγωγοὶ nominantur, de quibus multa in hoc opere fit mentio. Vt igitur hos quidam interdum reos faciunt, obijciuntq; eis in iudicio, quòd legem iniquam contra iuſtas leges tulerint: Sic quidam legum periti id iuſtum, ſiue ius accuſant, quo lex inducta eſt, quæ bello victos & captos ſeruos eſſe ſancit victorum capientium.*

5 Quibuſdā beneuolentia ius eſſe videtur. *Nam cum reges magiſtratus ſuffragio populorum deliguntur, atque eis propter excellentem virtutem, quæ ſua ſponte amabilis eſt, populorum voluntate imperium defertur: aut homo hebes, & natura ſeruus, ſalutis cauſa ſe ſubijcit prudentiori, & natura domino ad ſeruiendum, ipſa populorum hominumq; beneuolentia ius facere videtur. Id enim ius eſt, quod ciuitatibus populisq; & hominibus placet cōſenſu quodam, qui ſæpe à natura proficiſcitur.*

6 Si hæ rationes diſiungantur. *Vt ſit vis à virtute ſeparata. hoc enim certum eſt oportere, ac iuſtum eſſe, vt qui virtute præſtat, is teneat imperium, & ſit dominus.*

* Non tamen omnino dicunt. *In vulgatis exemplaribus deprauatè legitur ἅμα δὴ οὐφασι, pro ὅλως δὲ οὐφασὶ, vt in vetuſtis legitur: eſt autem ſenſus,* Qui ſeruitutē ex bello natam iuſtam eſſe dicunt, iure quodam peculiari nitūtur *(legem videlicet, quæ ius quoddam eſt)* & vna virtute. *Non tamē omnino dicunt, id eſt nō nitūtur iure vniuerſali, & quod habeat omnes numeros, ſitq; omni ex parte iuſtum. nam quatenus lege nituntur, iuſtum eſſe videtur: quatenus verò legi obſunt, alia grauiora, non eſt iuſtum. Vt ſi quis in republica imperium ſibi deberi dicat, vt præſtātiori, propterea quòd diuitijs aut genere præſtet: hic enim non vniuerſo, ſed iure quodā nititur. Nam qui locupletior eſt, aut nobilior, is potior ac præſtātior eſt, hac quidem parte, non tamen omninò ac vniuerſè: nam fieri poteſt, vt virtute ſuperetur, aut prudentia, quæ maiorem habet dignitatem, atq; præſtantiam, vt ipſe declarabit.*

7 Nō hos, ſed barbaros. *Qui cum nobiles eſſent, & natura domini, ad imperandumq; nati, bello capti fuerunt: ij non ſerui ſunt iſtorū ſententia, ſed illi duntaxat, qui hebetes tardiq; ſunt, & imperio inepti, cuiuſmodi barbari homines habentur.*

8 Tanquam

8 Tanquam ſit genus quoddam hominum. *Homines videtur in duas partes, quæ genera vocat, diſtribuere: alterã mediocriter intelligentiũ & prudentium: alteram eorum, qui inſigniter ſunt vel ſolertes, & ingenioſi, vel tardi & obeſi. in quo genere poſteriore ſolertes & ingenioſos vbiq; nobiles ac dominos eſſe iſtis placebat, etiam ſi fuiſſent bello capti: hebetes autem & barbaros domi tantum, id eſt in ſua quemq; ciuitate nobiles haberi, ſcilicet qui natus ſit honeſto loco, non tamen extra patriam, præſertim, ſi quis bello fuiſſet in ſeruitutem redactus.*

9\. Helena Theodectis. *Helena apud Theodecten, qui fuit poeta tragœdiarum ſcriptor, Platonis & Ariſtotelis diſcipulus.*

10 Nam vt ex homine. *hoc dicit propter Helenæ exẽplum, quæ dum ſe diuina ſtirpe procreatam eſſe dicit, maioribus ſe ſimilem eſſe videri vult.*

11\. Quoſdam non eſſe natura ſeruos. *Sic enim græcè legitur in emendatis exemplaribus,* καὶ οὐκ εἶναι. *Eſt autẽ ſenſus,* quoſdã nec ſeruos, nec dominos eſſe natura, *ſcilicet qui mediocrem habent intelligentiam in alijs id eſſe definitum, in ijs videlicet qui egregiè ſunt vel hebetes vel intelligẽtes, quorum alteri natura ſerui ſunt, alteri domini.*

12\. Seiuncta tamen. *Non vt crus aut brachium, quod non eſt à corpore ſeparatum.*

13\. His contrariũ vſu venit. *Eſt enim mutuum odium inter ipſos, & vtilitas diuerſa.*

14\. Vt quibuſdam placet. *Platonem deſignat in libro de regno.*

15\. Monarchia eſt. *Ac proinde in impares.*

16\. Alia magis neceſſaria. *Non enim opera & munera hoc ſunt honoratiora & nobiliora, quo magis neceſſaria, ſed contra: vt in ſcientijs nobiliſsima quæq; minus eſt neceſſaria, vt habetur primo libro de prima philoſophia.*

17\. Hunc honorem. *Officium & curam ſeruis imperandi, quod licet non magnum ſit, tamen non vacat honore.*

18\. Iuſta quædam belli gerendi ratio. *Nam qui per bellum iniuſtum opes quærit, is non bellum, ſed latrocinium exercet.*

Caput V.

1 SED iam vniuerſè de omni re familiari, & pecuniaria, ſiue 1.
quæſtuaria ratione 2 inſtituto nobis modo diſſeramus. Seruus e- 2.
nim pars quædam rei familiaris eſt. Primùm igitur omnium
illud in controuerſiam vocari poteſt, vtrum quæſtuaria ratio ea-
dem ſit, atq; rei familiaris adminiſtratio, an quędam ipſius pars, vel
eiuſdem adminiſtra. Tum ſi adminiſtra, num quemadmodum ars

efficiendi radios textorum arti, ſic ipſa ſeruit rei familiaris adminiſtrationi, an vt æraria ſtatuariæ. Non enim eodem modo vtraq; miniſtrat, ſed altera inſtrumenta, altera materiam ſuggerit: voco autem materiam, ſubiectum, ex quo opus conficitur, vt textori lanæ quaſi materia, ſubijciuntur: æs autem ſtatuario. Non igitur hoc eſt rei familiaris adminiſtratio, quod quæſtuaria facultas: huius enim munus eſt opes parare: illius, vt paratis vtatur. Nam quæ facultas domeſticis opibus vtetur, niſi quæ rem familiarem adminiſtrat? ſit autem illa pars quædam huius facultatis, an in genere alio conſiſtat, non vacat controuerſia, cum ſit munus eius, qui parãdis opibus ſtudet, vnde petendæ ſint opes conſiderare. Quæſtus autem atque diuitiæ, multas partes complectantur. quare primùm quæritur, Num agricultura, ac in vniuerſum cibariorum prouiſio & comparatio, pars quædam ſit quæſtuariæ rationis, an genere quodam alio contineatur? veruntamen cibariorum multa ſunt genera, vnde multæ viuendi rationes, tum cæterorum animantium, tum etiam hominum extiterunt. Nam cum ſine cibo viuere non detur, ciborum diſcrimina varias animantium viuendi rationes effecerunt. Belluarum enim quædam gregatim viuunt, aliæ diſperſæ vagantur, prout ciborum ratio poſtulat. propterea quòd aliæ carnibus animalium, aliæ fructibus, quædam omni cibatu viuunt. Itaque natura (prout ratio poſtulat) facilè parandi cibum quem genus quodque animantium conſectatur, vitas eorum diſtinxit. Sed quoniam non idem eſt cuiq; iucundum, ſed alijs alia, idcirco tum carniuora, tum quæ fructibus viuunt, varias inter ſe viuendi rationes ſequuntur, atque homines eodem modo. Horum enim vitæ multis diſcriminibus euariant: quorum qui pigerrimi ſunt, hi pecori ſtudent, & vita gaudent paſtorali, propterea quòd eis cibus ex placidis animantibus, in otio ſine labore contingit: qui cum pecora paſtionis gratia loca neceſſariò mutent, ipſi quoque eadem affectare coguntur, tanquam viuam agriculturam exercentes. Quidam ex venatione viuunt: ſed alij ex alia, hoc eſt, quidam prædas agendo, alij
3. piſcando, qui 3 lacus ſcilicet & paludes, ac fluuios accolunt, maréve piſcationibus accommodatum. Sunt qui aucupio alantur, aut ferarum venatione: ſed maxima pars hominum è terra viuit, & fructibus vrbanis. Itaque viuendi rationes, 4 quæ quidem inſitam opera-
4. tionem habent, nec per commercium, aut mercaturam victum ſuppeditant, hæ ferè ſunt paſtorum, agricularum, prædonum, piſcato-

ria,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ria, item & venatoria: nonnulli tamen 5 temperatam ex his generibus vitam cum iucunditate degunt, indigentiam vitæ, qua maximè deficit, ne quid deſideretur, explentes: vt quidã paſcendo pecori dant operam, ſimúlque prædantur: alij terram colunt, & venationibus exercentur, cæteraſque viuendi rationes, prout eſt vſus, perſequuntur. Atque hęc quidem ratio parandi opes, cunctis à natura tributa eſſe videtur, vt in ipſa ſtatim prima generatione: ſic cũ ad perfectam ætatem peruenerunt, quoniam in ipſa generatione prima quædam animalia ſimul pariunt alimentum, quantum ſatis ſit, donec quod genitum eſt, ipſum ſibi cibum parare queat, vt in 6 vermiparis, ouiparisve fieri notamus: quæ verò animal pariunt, hæc in ſe cibum habent lactis ſcilicet, vocati naturam, quò filij modò geniti ad tempus aliquod alantur, vt liceat eodem modo de adultis iudicare, putaréque ſtirpes animalium, tum cæteras animantes hominum cauſa fuiſſe procreatas cicures, vt his homines tum ad alios vſus, tum ad cibum vtantur. Feras autem ſi non omnes, at certè pleraſque, vt eis alantur, iuuenturq; tum ad veſtes, tum ad inſtrumenta cętera comparanda. quòd ſi natura 7 nihil imperfectum, nihil temerè fruſtraque facit: ipſas omnes feras hominum cauſa factas, natura fuiſſe neceſſe eſt. quo fit, vt opes bello etiam parandi ratio à natura quodammodo proficiſcitur. Nam eius pars eſt venatoria facultas, qua vti conuenit, cum in belluas, tum in eos homines, qui cum ſint ad parendum nati, imperium recuſant: eſt enim huiuſmodi bellum natura iuſtum. 8 familiaris igitur adminiſtrationis pars eſt genus vnum quæſtuariæ, qua opes conuenienter naturæ comparantur, 9 quæ vel ſuppetere debet, vel res ab ipſa comparari, quę condi, reponique ſolent neceſſariæ ad vitam, & ad ciuitatis, aut domus ſocietatem tuendam accommodatæ. Ex his enim veræ diuitiæ conſtare videntur: quippe quarum copia non eſt ad rectè viuendum infinita: vt Solon ait in carminibus:

5.
6.
7.
8.
9.

Finis opum poſitus non eſt mortalibus vllus.

Eſt enim poſitus vt cæteris artibus, quoniam nullius artis inſtrumentum infinitum eſt, vel numero, vel magnitudine. diuitiæ autem multitudo eſt domeſticorum, & ciuilium inſtrumentorum. Ac eſſe quidem naturalem quandam parandi opes facultatem, tum patribusfamilias, tum ciuitatum præfectis, & quam ob cauſam, explicauimus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Scholia in Caput V.

1 Sed iá vniuersè de re familiari & pecuniaria ſiue quæſtuaria facultate inſtituto nobis modo diſſeramꝰ. *Hactenus de ſeruo, qui pars eſt rei familiaris, diſſeruit. iam de tota re familiari diſputare aggreditur, ac de opes quærendi facultate: dubitari enim poteſt, num ratio parandi diuitias eadem ſit, quæ ratio rei familiaris adminiſtrandæ, aut pars eius, an diuerſa quidem, ſed adminiſtra, atq; ei ſuppeditans res aliquas neceſſarias : & ſi ſuppeditat, vtrum inſtrumenta ſuggerat, an materiam. Docet autem vt opes ſiue diuitiæ ſint diuerſæ, ſic opes quærendi varias eſſe rationes : quarum vna eſt quæ in cibis parandis verſatur, eademq; multiplex, pro magna cibariorum varietate. quæ varietas vt in cæteris animantibus, ſic in homine varias efficit viuendi rationes, variaqúe ſtudia quærendi opes. Sed omnis hæc quæſtuaria ratio, quæ cibus varijs modis comparatur, omnibus eſt à natura tributa.*

2 Inſtituto nobis modo. *Inſtitutum modum hic dicit, quod ſuprà cap. primo priſtinam diſputandi rationem, qua ſcilicet vſus fuerat in libris ſuperioribus, vt à ſimplicibus ad compoſita procedat: hanc enim ſe tenere docet, cum ſubijcit, ſeruus enim pars quædam eſt rei familiaris. Cum igitur de ſeruo, qui pars eſt, diſputatū ſit, inſtituta ratio ſeu modus poſcit, vt de re familiari, quæ totum eſt differatur. Vocat autem pecuniariam facultatem rationem parādi rem familiarem, quæ res familiaris vt latinè pecunia, ſic græcè χρήματος nomine, vt habetur Ethicorum quarto, continetur. quamobrem interpres initio poſt verbum pecuniaria, adijcit, ſiue quæſtuaria, expoſitionis gratia, & alijs in locis χρηματιστικὴν modò pecuniariam, modò quæſtuariam rationem ſeu facultatem conuertit. Nam vt pecuniaria, ſic quæſtuaria ratio eſt facultas numos, & quicquid numis æſtimari poteſt, parandi.*

3 Lacus & paludes. *Lacus dicitur, qui fluuios aut perennes riuos excipit, ac emittit. palus & lacuna, quæ collectiuam ex pluuijs aquam ſtagnantem, torpentemq; continet.*

4 Quæ quidem inſitam. *Propriam, & penè naturalem: commercia enim, quò referuntur opificia, & artes ſordidæ (Sutor enim calceum pro numo cōmutat, vt ipſe paulò pòſt capite ſixto declarabit) ac item mercatura, non habent inſitam & naturalem, ſed artificioſam operationem.*

5 Temperatam ex his generibus. *Miſtam ex varijs viuendi & quærendi rationibus.*

6 Vermiparis, ouiparisué. *In ijs quæ vermem, aut ouum pariunt: vermis enim aditus augetur, tranſitq; in oui formam : & cum pars ſuperior prius formetur, huic augeſcenti alimentum ab inferiori parte ſuggeritur, tum*

ex reliquo

ex reliquo alimento pars inferior articulatur: de genere animal. libro tertio circa finem. Similiter ex oui parte animal gignitur, ex parte alitur, vt habetur de generatione animalium libro ſecundo cap. primo. Origo enim pulli in albumine eſt: cibus per vmbilicum ex luteo petitur: de hiſtoria animalium libro ſexto cap. tertio.

7 Nihil imperfectum. *Quod non referatur ad aliquem finem: res enim quæque ſuo fine perficitur: Metaphy. x.*

8 Familiaris adminiſtrationis. *Rationis domeſticæ, quæ græcè dicitur œconomica.*

9 Quæ vel ſuppetere debet. *Aut hæc quæſtuaria facultas adeſſe debet patrifamilias, atque homini ciuili, vt per eam res neceſſariæ ab ipſis comparentur, aut certè per eam res neceſſariæ comparari debent ab eo, cuicunq; tribuatur. Nam licet quæſtuaria facultas non ſit pars œconomica, tamen per eam parandæ ſunt facultates, vel ab ipſo patrefamilias vtraq; inſtructo facultate, vel ab alio à quo paterfamilias accipiat, vt poſtea declarabit.*

CAPVT VI.

1 SED eſt aliud quæſtuariæ rationis genus, quæ maximè omnium, & quidem meritò pecuniaria nuncupatur, per quam diuitiarum, & parandi opes 2 finis nullus eſſe videtur: hanc multi vnam, & eandem eſſe putant, atque eam de qua ſuprà memorauimus, quia confinis eſt ei: ſed nec eadem eſt, nec ab ea procul abhorret 3 Ipſarum tamen altera naturalis eſt, altera non natura: ſed magis per quandam peritiam & artificium exercetur, de qua hic diſſerere exordiamur. Rerum quæ poſſidentur cuiuſque duplex eſt vſus, 4 per ſe quidem vterque, non tamen ſimiliter per ſe, ſed alter rei proprius, alter non item proprius. exempli cauſa: Calceus tum induendo, tum permutando in vſum venit: nam vterque vſus calcei eſt: quoniam qui calceum pro numo aut cibo permutat, cum eo qui calceo indiget: is calceo, quo calceus eſt, vtitur, non tamen vſu proprio: calceus enim non factus eſt permutandi gratia. quæ ratio eadem eſt cæterarum rerum quæ poſſidentur: quippe rerum omnium permutatio. primùm quidem 5 ab initio naturali profecta eſt, eo quòd homines quarundam rerum pluſquam ſibi ſatis eſſet, quarundam minus poſſiderent. Quo planè intelligitur mercaturam non natura, ad pecuniariam pertinere. 6 Alioquin neceſſe erat, vt quatenus eis ſatis eſſet, commutationibus vterentur. In

prima

prima igitur ſocietate, hoc eſt in domo, nihil huiuſmodi commutatio requiritur, in ampliore tamen communitate deſideratur. Nam qui domo vna continentur, his cuncta communia ſunt: qui verò ampliore communitate, hi multa rurſus diuerſaque poſſident ſeparatim, quorum eſt pro indigentijs mutua commutatio neceſſaria, quemadmodum etiam nunc barbarorum bona pars rerum permutationibus facit, res ad vſum vitæ accommodatas, alias pro alijs, nec præterea quicquam permutantes, vt vinum pro frumento, & cætera talia dantes, & accipientes. Hæc igitur permutandi ratio, nec abhorret à natura, nec in genere pecuniariæ continetur: pertinet enim ad copiam rerum naturalem explendam. Ex hac tamen illa

7 men illa 7 per rationem nata eſt, quoniam cum ſubſidium extrinſecus peteretur importandis ijs, quorum eſſet ipſis inopia, & viciſſim quæ ſupereſſent exportandis, neceſſitas ipſa numorum vſum induxit. Nam cum res quæque neceſſaria non facilè poſſet vltro & citro comportari, publico gentium conſenſu conſtitutum eſt, ad permutationes faciendas, vt tale quidam inter ſe darent, & acci-

8 perent: quod cum eſſet ipſum 8 ex genere rerum commodarum ad vſum vitæ, facilè tractari poſſet: cuiuſmodi eſt ferrum & argentum, & ſiquid aliud eius generis habetur, quod initio magnitudine ac pondere ſimpliciter erat definitum. poſtremo etiam charactere fuit percuſſum, vt homines liberi eſſent à ſolicitudine examinandi. Nam charactere quantitas numi ſignificatur. Numo igitur ex permutatione neceſſaria inducto, genus aliud exſtitit rationis pecuniariæ, quæ mercatura dicitur. Hoc cum initio ſimpliciter fortaſſis exerceretur, poſtea per experientiam factum eſt artificioſius, accedente ſolertia, vnde & quo modo permutationibus faciundis plurimus quæſtus contingeret. Quare ra-

9 tio quæſtuaria in numo potiſſimum verſari videtur, 9 atque eius officium eſſe, vnde pecuniarum copia contingat conſiderare: diuitiarum enim, & pecuniarum efficiens eſſe videtur. Nam ſæpe diuitiæ in numorum multitudine ponuntur, propterea quòd quæſtus faciendi ratio, & mercatura in numis verſatur: interdum verò nu-

10. gæ, ac omnino 10 lex numus eſſe videtur, nō natura conſiſtere, pro-

11. pterea quòd 11 mutatis qui vtuntur, numus nihil valet, nec vtilis eſt ad vſum aliquem vitæ neceſſarium: ac fieri poteſt, vt quiſquam numis locuples ſit, idemque careat cibo neceſſario. At eſt abſurdū eas eſſe diuitias, quibus abundè ſuppetentibus diues fame conficiatur:

vt de

vt de 12 Mida illo propter inexplebilem cupiditatem fabulantur: 12.
cui quicquid veſcendum apponebatur, fiebat aurum. Quare qui re-
ctè parandis opibus ſtudent, in 13 alias diuitias, 14 aliam parandi ra- 13. 14.
tionem quærunt. Alia eſt enim parandi ratio, aliæque diuitiæ, quæ
à natura proficiſcuntur: & hæc quidem eſt œconomica: mercatura
verò pecuniarum eſt efficiens, nō tamen modis omnibus, ſed per-
mutando, in numiſque verſari videtur: 15 numus enim principium 15.
eſt: & finis eius permutationis, & diuitiæ quæ hac ratione paran-
tur, nullis finibus continentur. 16 Nam vt medicina infinitè fer- 16.
tur in ſanitatem, & artes ſuum quæque finem ſine modo petant,
quippe quem maximè volunt efficere: quæ verò conducunt ad fi-
nem, in ea non infinitè feruntur. nam ſuus cuique finis modum im-
ponit: ſic huius pecuniariæ rationis finis nullo termino contine-
tur. Eſt autem finis eius tales diuitiæ, & pecuniarum compara-
tio: 17 œconomicæ verò, non pecuniariæ terminus eſt, nec enim 17.
hoc eſt officium œconomicæ. Hac igitur ratione apparet, neceſſa-
rium eſſe diuitijs omnibus modum imponere. Sed contrarium in
vita vſu venire videmus. nam qui parandis opibus ſeruiunt, hi
cuncti numos in infinitum augent, cuius cauſa eſt vicinitas earum
facultatum: 18 vſus enim vtriuſque pecuniariæ facultatis cum ſit 18.
eiuſdem rei, alter pro altero ſumitur. Nam pecuniarum compara-
tio ad eundem vſum pertinet, non tamen eadem ratione: ſed huic,
aliud eſt propoſitum: illi verò, vt pecunias augeat: quo fit, vt hoc
quidam œconomicæ officium eſſe putent, nec finem faciant, vt o-
portere exiſtimant, conſeruandi aut ſine termino augendi numo-
rum diuitias. Qui quòd ita ſint animati, cauſa in eo eſt, quòd hos 19 19.
viuendi cura ſolicitat, non rectè viuendi: ita cum fine careat ea cu-
piditas, efficitur vt 20 expetitarum rerum efficientia ſine numero 20.
concupiſcant: quibus verò id etiam curæ eſt, vt bene viuant, hi
21 corporearum voluptatum efficientia quærunt: quæ cum in di- 21.
uitijs conſiſtere videantur, nullum eos ſtudium, præterquam
pecuniarum parandarum exercet: 22 vnde aliud extitit rationis pe- 22.
cuniariæ genus: nam cum modo careat voluptatum fruitio, ratio-
nem quærunt, quæ voluptatum immodicè fruendarum faculta-
tem præbeat. Quam ſi nequeunt per rationem pecuniariam, per
aliam cauſam, vt aſſequantur, enituntur, quibuſque facultati-
bus ad quæſtum abuentes. Nec enim fortitudinis munus eſt para-
re opes, ſed audacter pericula ſubire: nec eius facultatis, qua dux

belli, quaque medicus cenſetur, ſed alterius partes ſunt, vt vi-
ctoriam:alterius,vt ſanitatem pariat. Iſti verò cunctas pecuniarias
23. faciunt,23 tanquam hic finis ſit propoſitus, &ad finem cũcta referri
debeant. Ac ratio quidem opes parandi non neceſſaria, quæ ſint, &
24. 24 quam obcauſam hac indigeamus, explicuimus : itemque neceſ-
ſariam huic eſſe diuerſam,& œconomicam naturalem,quæ in cibarijs parandis verſatur, non vt ipſam infinitam eſſe, ſed terminis contineri declarauimus.

Scholia in Caput VI.

1 SED eſt aliud quæſtuariæ rationis genus. *Duplex eſt opes parandi ratio,altera prorſus naturalis,de qua eſt hucuſq; diſputatum,vt agricultura,venatio,piſcatio:altera, in cõmutatione verſatur. quæ & ipſa duplex eſt: aut enim res ipſæ inter ſe commutantur, vt frumentum pro lana, vinum pro oleo,quæ ratio à naturali neceßitate orta eſt : aut res pro numo, quæ ratio ſi non procederet vltra vſus vitæ neceſſarios,& liberales, poſſet hac parte ipſa quoque dici naturalis: ſed quum ſit ad quæſtum non neceſſarium, vt mercatura,iam non naturalis eſt,ſed artificioſa, multumq; ab œconomica,officioq; patris familias abhorret.*

2. Finis nullus eſſe videtur. *Pertinet enim non ad explendas neceßitates naturales, nec ad liberaliter viuendum, quæ res certis finibus continentur: & res familiaris terminata magnitudine contenta eſt, ſed ad congerendam pecuniam,quod infinite procedit, nec certo aliquo fine terminatur.*

3 Ipſarum tamen. *Quæ in hoc genere continentur, quod poteſt vniuerſaliter commutatiuum apellari. Ratio enim vinum pro frumento & ſimilia commutandi ad vſus neceſſarios ab initio naturali profecta eſt : quæ autem numo fit ad quæſtum non neceſſarium, hæc non eſt naturalis, ſed artificioſa.*

4 Per ſe quidem vterque. *Id eſt quatenus res talis eſt, vt calcei qua calceus eſt:duplex eſt vſus,commutari & indui : calceus enim & corium & calceus eſt:qui cum commutatur numo,non qua corium eſt commutatur,ſed qua calceus: nam emptor non corio indiget,quo fortaßis abundat,ſed calceo. cæterùm hic commutationis vſus non eſt calcei proprius. Nam proprius cuiuſque rei vſus eſt is, cuius gratia res ipſa facta eſt : calceus autem non commutandi gratia fit ex ſua quaſi natura, & propria ratione, nec idcirco initio factus eſt.ſed vt induatur pedi,licet ſutor eo ad commutationem abutatur.*

5 Ab initio naturali. *Non quòd commutatio eſſet earum rerum vſus naturalis,*

ralis, oppoſitum enim paulò antè dixit, ſed quia neceſſitas naturalis commuta tionem rerum neceſſariarum & commodarum induxit.

6 Alioquin neceſſe erat. *Tunc nec aliter mercatura naturaliter ad pecuniariam pertineret, hoc eſt eſſet ratio naturalis parandi opes, ſi non vltra res ad vſus neceſſarios & liberales vitæ eius qui mercatur, commodas progre deretur.*

7 Per rationem nata eſt. *Per ſolertiam & conſilium, non per neceſſitatem naturalem: nã ex rerum neceſſariarum, numiq; commutatione, quam neceſſi tas naturalis induxit, per ratione quandã, atq; ſolertiam extitit mercatura.*

8 Ex genere rerum commodarum. *Quibus homines ad vitam degendã vtuntur. Nam ferrum non ſolùm in numo & cõmutationibus eſt vtile humanæ vitæ: ſed multò etiam magis in ferramentis ad arandum, cædendamq; ma teriam, vt argentum ad pocula, cæteraq; vaſa conficienda.*

9 Atq; eius officium eſſe. *Mercaturæ officium eſſe: eſt enim officium proprium mercatoris cõſiderare, atq; diſpicere, quibus ex rebus quamplurimum lucrifacere poſſit.*

10 Lex numus eſſe videtur. *Lege conſiſtere, ac ſuam vim retinere, non natura.*

11 Mutatis qui vtuntur. *Mutata voluntate vtentium numo, vt numum valere nolint.*

12 De Mida fabulãtur. *Mida Rex Phrygiæ fuiſſe traditur auariſſimus, cuius fabula nota eſt, & Ouidij carminibus vulgata.*

13 Alias diuitias quærunt. *Vt agros conſitos, paſcuos, & frumentarios, prædiaq; ruſtica, & vrbana, & greges.*

14 Aliam parandi rationem. *Vt agriculturam & venationem.*

15 Numus principium eſt, & finis. *Quia numus ab initio inſtrumentum eſt mercatûræ, idemq; finis: huc enim ſpectat commutatio numi, quæ mercatura dicitur, vt numos quamplurimos congerat.*

16. Nam vt medicina. *Ars medicorum ſine fine cupit ſanitatem afferre: nec enim ſatis habet ad priſtinam ſanitatem ægrotantem reſtituere: ſed cupit etiam, conaturq; ſanitatem quàm maximam poteſt ingenerare, nec cõfirmare ſolùm, ſed etiã augere ſanitatis cauſas. cæterùm ſi quod petit, vna ratione, vnóue medicamento ſit aſſecuta, hoc contenta eſt, nec alias vias inquirit: quæ ratio eadem eſt artium cæterarum.*

17 Oeconomicæ verò non pecuniariæ terminus eſt. *Non tam lege œconomica opes & pecuniam quærendo procedit, quàm facultas pecuniaria: quia non eſt hoc œconomicæ, ſeu domeſticæ facultatis officium, vt numos ſine fine paret, ſed vt partis vtatur, aut quantum ſatis eſt comparet. aut eſt*

 ſenſus,

ſenſus, œconomica certis terminis quærenda re familiari continetur: pecuniaria facultas ſine fine quærit opes, ſeu numos.

18 Vſus enim vtriuſque pecuniariæ facultatis. *In vetuſtis & emendatoribus exemplaribus ſic habet hic locus:* ἐπάλλαττει γὰρ ἡ χρῆσις τοῦ αὐτοῦ οὖσα ἑκατέρας τῆς χρηματιστικῆς. *Eſt autem ſenſus: Cum vtriuſque pecuniariæ facultatis, tum eius qua vtitur paterfamilias, tum eius qua mercator, vſus, id eſt opus & officium, verſetur in eadem re, in parandis ſcilicet per numũ reb. vtilibus, efficitur vt alter pro altero accipiatur: id eſt, vt idẽ vſus & officium eſſe videatur. Nam pecuniarum, hoc eſt rei familiaris comparatio, ad eundem vſum pertinet: id eſt, re idem opus eſt, non tamen eadem ratio: id eſt, non tamen pertinet eodem, nec ad eundem finem refertur: huic enim patrifamilias aliud eſt propoſitum & finis, ſcilicet vt emendo paret res commodas ad vſus vitæ neceſſarios & liberales, illi mercatori, vt numos, & rem familiarem infinitè augeat: quo fit, vt hoc ipſum, vt pecunias augeat: œconomicæ quoq; pecuniariæ finis eſſe quibuſdam videatur, propter cognationem, quam habent inter ſe hæ duæ pecuniariæ.*

19 Viuendi cura ſolicitat, non rectè viuendi. *Qui congerendis pecunijs ſtudent, his ferè vt viuant tantùm cura eſt: nam pecunias, quaſi ad viaticum vitæ neceſſarium, ne nunquam deeſſe poßit, congerunt: nec eis vtuntur ad rectè liberaliterq; viuendum.*

20 Expetitarum rerum efficientia. *Pecuniarum parandarum rationes.*

21 Corporearum voluptatum. *Quæ ſenſu aliquod percipiuntur, vt veneris, & gulæ, quæ ad tactum & guſtatum pertinent: in quibus moderandis temperantia verſatur: item audiendi, videndi, odorandi, voluptates corporeæ ſunt. nam his quoq; corpus afficitur, vt mens intelligendi, ſciendi, & contemplandi voluptatibus. Ethicorum ſecundo.*

22 Vnde aliud extitit rationis pecuniariæ genus.) *Ex intemperantia, dum homines cupidè res voluptatum corporearum efficientes, quæ res ferè pecunia comparantur, quærerent: genus aliud quærendi pecunias natum eſt, in quo qui naturales virtutes, & facultates ſeu potentias, mercenarias faciunt, verſantur, eis ad quæſtum pecuniarum, vt per eas voluptatibus potiantur, quod infinitè procedit abutentes. Hæc autem ratio multùm abhorret ab œconomica, cuius œconomicæ, alioquin munus eſt non tam diuitias parare, quàm paratis aut ſuppetentibus rectè in adminiſtratione domeſtica vti. Opus autem optima & naturali ratione petuntur ab ipſa natura, hoc eſt à terra, mari, fructibuſq;, & animalibus: totius verò pecuniariæ rationis illa peßima eſt, quæ in fœnore verſatur, & maximè odioſa, & præter naturam. eſt igitur aliud genus: nam differt à duobus prædictis, tum fine, qui eſt in hoc fruitio voluptatum:*

luptatū:tum quærendi ratione, dum pecunias non per cōmutationē numariā, ſed per facultatum, & virtutum naturalium abuſum quærit: nam δυνάμεις, hoc eſt facultates, vocat tum artes & ſcientias, tum virtutes naturales atq; potentias.
23. Tanquam hic finis ſit. *Quaſi voluptas corporea, eiuſq; fruitio ſit vltimus finis humanæ vitæ propoſitus.*
24. Quam ob cauſam hac indigeamus. *Scilicet vt immoderatam habendi cupiditatem expleamus.*

Caput VII.

1 Nec verò difficile eſt controuerſiam initio propoſitam dijudicare, opes parandi ratio ad patremfamilias & ciuitatis præfectum pertineat, an non ſit eius muneris, ſed opes ſuppetere ſit neceſſariū. Vt enim ratio ciuilis non efficit homines, ſed à natura ſibi traditis vtitur: ſic cibum à natura, hoc eſt à terra, vel mari, vel alio quodam tradi oportet. 2 Ex his autem quomodo hæc diſpenſare conueniat, ad curam pertinet, officiumq; patrisfamilias: nec enim munus eſt artis textoriæ lanas facere, ſed lanis vti: & quæ vtiles, & aptæ, quæq; viciſsim prauæ & ineptæ ſint, cognoſcere. Nam quærat aliquis, cur pecuniaria ratio pars ſit domeſticæ gubernationis, medicina non item cum perinde valetudo in domeſticis, atque vita ipſa, vel aliqua res alia neceſſaria deſideretur. Sed quoniam tum patrisfamilias, tum ciuitatis præfecti quodammodo munus eſt, curam agere valetudinis, aliàs verò hæc cura non ad ipſum, ſed ad medicum pertinet. Sic opes parare quodammodo patrisfamilias munus eſt, aliàs non, 3 ſed rationis adminiſtræ: veruntamen maximè oportet (vt ſuprà memorauimus) opes à natura ſuppeditari. eſt enim officium naturæ, cibū generato ſuggerere. Nam cuique cibus eſt, id, quod ſupereſt eius, ex quo generatur. Itaque opes naturaliter ex fructibus, & animalibus comparantur: quæ parandi ratio cum ſit, vti diximus, duplex, altera in qua mercatores verſantur, altera qua patresfamilias vtuntur: & hæc ſit neceſſaria & laudanda, illa quæ commutationibus conſtat iure vituperetur: propterea quòd non eſt naturæ conueniens, ſed eò pertinens, vt homines alij ex alijs lucrentur, ſit vt optimo iure ſit fœneratorum ars odioſa: propterea quòd lucrū ex ipſo numo captat: nec ſequitur eum finem, cuius gratia numus fuit inductus: ad faciēdas enim permutationes repertus eſt: 4 nam fœnus ipſum au-

ſenſus, œconomica certis terminis quærenda re familiari continetur: pecuniaria facultas ſine fine quærit opes, ſeu numos.

18 Vſus enim vtriuſque pecuniariæ facultatis. *In vetuſtis & emendatoribus exemplaribus ſic habet hic locus:* ἐπάλλαττει γὰρ ἡ χρῆσις τοῦ αὐτοῦ οὖσα ἑκατέρας τῆς χρηματιστικῆς. *Eſt autem ſenſus: Cum vtriuſque pecuniariæ facultatis, tum eius qua vtitur paterfamilias, tum eius qua mercator, vſus, id eſt opus & officium, verſetur in eadem re, in parandis ſcilicet per numũ reb. vtilibus, efficitur vt alter pro altero accipiatur: id eſt, vt idẽ vſus & officium eſſe videatur. Nam pecuniarum, hoc eſt rei familiaris comparatio, ad eundem vſum pertinet: id eſt, re idem opus eſt, non tamen eadem ratio: id eſt, non tamen pertinet eodem, nec ad eundem finem refertur: huic enim patrifamilias aliud eſt propoſitum & finis, ſcilicet vt emendo pa-ret res commodas ad vſus vitæ neceſſarios & liberales, illi mercatori, vt numos, & rem familiarem infinitè augeat: quo fit, vt hoc ipſum, vt pecunias augeat: œconomicæ quoq; pecuniariæ finis eſſe quibuſdam videatur, propter cognationem, quam habent inter ſe hæ duæ pecuniariæ.*

19 Viuendi cura ſolicitat, non rectè viuendi. *Qui congerendis pecuniis ſtudent, his ferè vt viuant tantùm cura eſt: nam pecunias, quaſi ad viaticum vitæ neceſſarium, ne nunquam deeſſe poſſit, congerunt: nec eis vtuntur ad rectè liberaliterq; viuendum.*

20 Expetitarum rerum efficientia. *Pecuniarum parandarum rationes.*

21 Corporearum voluptatum. *Quæ ſenſu aliquod percipiuntur, vt veneris, & gulæ, quæ ad tactum & guſtatum pertinent: in quibus moderandis temperantia verſatur: item audiendi, videndi, odorandi, voluptates corporeæ ſunt. nam his quoq; corpus afficitur, vt mens intelligendi, ſciendi, & contemplandi voluptatibus. Ethicorum ſecundo.*

22 Vnde aliud extitit rationis pecuniariæ genus.) *Ex intemperantia, dum homines cupidè res voluptatum corporearum efficientes, quæ res ferè pecunia comparantur, quærerent: genus aliud quærendi pecunias natum eſt, in quo qui naturales virtutes, & facultates ſeu potentias, mercenarias faciunt, verſantur, eis ad quæſtum pecuniarum, vt per eas voluptatibus potiantur, quod infinitè procedit abutentes]. Hæc autem ratio multùm abhorret ab œconomica, cuius œconomicæ, alioquin munus eſt non tam diuitias parare, quàm paratis aut ſuppetentibus rectè in adminiſtratione domeſtica vti. Opus autem optima & naturali ratione petuntur ab ipſa natura, hoc eſt à terra, mari fructibuſq;, & animalibus: totius verò pecuniariæ rationis illa peſſima eſt, quæ in fœnore verſatur, & maximè odioſa, & præter naturam. eſt igitur aliud genus: nam differt à duobus prædictis, tum fine, qui eſt in hoc fruitio voluptatum:*

luptatũ:tum quærendi ratione,dum pecunias non per cõmutationẽ numariã, ſed per facultatum,& virtutum naturalium abuſum quærit:nam δυνάμεις, hoc eſt facultates,vocat tum artes & ſcientias,tum virtutes naturales atq; potentias.

23. Tanquam hic finis ſit. *Quaſi voluptas corporea,eiuſq; fruitio ſit vltimus finis humanæ vitæ propoſitus.*

24. Quam ob cauſam hac indigeamus. *Scilicet vt immoderatam habendi cupiditatem expleamus.*

Caput VII.

1 Nec verò difficile eſt controuerſiam initio propoſitam dijudicare, opes parandi ratio ad patremfamilias & ciuitatis præfectum pertineat,an non ſit eius muneris, ſed opes ſuppetere ſit neceſſariũ. Vt enim ratio ciuilis non efficit homines, ſed à natura ſibi traditis vtitur:ſic cibum à natura,hoc eſt à terra, vel mari, vel alio quodam tradi oportet. 2 Ex his autem quomodo hæc diſpenſare conueniat, ad curam pertinet,officiumq; patrisfamilias:nec enim munus eſt artis textoriæ lanas facere,ſed lanis vti:& quæ vtiles,& aptæ,quæq; viciſsim prauæ & ineptæ ſint,cognoſcere.Nam quærat aliquis,cur pecuniaria ratio pars ſit domeſticæ gubernationis,medicina non item cum perinde valetudo in domeſticis,atque vita ipſa, vel aliqua res alia neceſſaria deſideretur. Sed quoniam tum patrisfamilias, tum ciuitatis præfecti quodammodo munus eſt,curam agere valetudinis,aliàs verò hæc cura non ad ipſum,ſed ad medicum pertinet. Sic opes parare quodammodo patrisfamilias munus eſt,aliàs non,3 ſed rationis adminiſtræ:veruntamen maximè oportet(vt ſuprà memorauimus)opes à natura ſuppeditari.eſt enim officium naturæ, cibũ generato ſuggerere.Nam cuique cibus eſt,id, quod ſupereſt eius,ex quo generatur.Itaque opes naturaliter ex fructibus, & animalibus comparantur:quæ parandi ratio cum ſit,vti diximus,duplex,altera in qua mercatores verſantur,altera qua patresfamilias vtuntur: & hæc ſit neceſſaria & laudanda, illa quæ commutationibus conſtat iure vituperetur:propterea quòd non eſt naturæ conueniens,ſed eò pertinens,vt homines alij ex alijs lucrentur, ſit vt optimo iure ſit fœneratorum ars odioſa:propterea quòd lucrũ ex ipſo numo captat:nec ſequitur eum finem, cuius gratia numus fuit inductus: ad faciẽdas enim permutationes repertus eſt:4 nam fœnus ipſum au- 4.

get, vnde nomen apud Græcos ſumpſit, quoniam quæ pariunt,
5. 5. ſimilia ſunt ijs, quæ ipſa gignunt: in fœnore autem numus numum parit. Itaque ex omnibus artibus quæſtuarijs, hæc eſt maxi-
6. 7. mè præter naturam. 6 Sed quoniam 7 quæ pertinent ad cognitionem, ſatis ſunt à nobis definita, commodum fuerit de ijs, quæ vſum attingunt, diſputare. Nam huiuſmodi rerum tum cóntemplatio
8. digna eſt homine libero, tum peritia neceſſaria 8 Pecuniariæ verò facultatis partes vtiles ſunt, peritum eſſe, quæ res ex ijs, quæ in poſſeſsionem veniunt, & vbi, & quomodo ſint maximè fructuoſæ: vt equorum, boum, vel ouium poſſeſsio, qualis ſit: ac cæterorum animantium eodem modo. Oportet enim vt peritiam habeat, qua
.1 poſſit his inter ſe collatis, quæ ſint fructuoſiſsima dignoſcere, & quæ quibus in locis: alia enim alijs in regionibus feliciter proueniunt. Præterea vt vſum habeat in agricultura, quò agrorum con-
9. ditiones 9 ſiue nudi ſint, ſiue conſiti, cognoſcat: nec reliquorum a-
10. 11. nimalium 10 natantium, ſeu 11 volantium, quæ vſui eſſe poſſint, na-
12. turam ignoret. 12 Artis igitur pecuniariæ maximè propriæ hæ ſunt partes, ac munera prima. Eius verò quæ in permutationibus conſiſtit, primum locum tenet mercatura, quæ tribus partibus conſtat: aut enim nauibus merces inuehuntur: aut iumentis ſeu carris apportantur: aut in eodem loco emuntur, atque venduntur. Hæc autem mercaturæ genera differunt inter ſe, quod aliud tutius eſt, aliud quæſtuoſius. Secundum locum tenet fœneratio. Tertium ratio mercenaria, quæ partim in ſordidis artibus verſatur, partim
13. in operis, quæ ſine arte, ſolo corpore vtiliter dantur. 13 Tertium, pecuniariæ rationis genus inter hanc & primam eſt interiectum: participat enim tum naturali, tum ea quæ in permutationibus verſatur: quod genus omnes artes complectitur, quæ lucrum à terra, & ex terra genitis petunt, non fructibus, ſed rebus alijs, quæ ad vitæ vſum accommodantur: cuiuſmodi eſt eorum ars, qui in materia cædenda verſantur, & quæcunque pertinet ad effodienda metalla. Hæc autem artificia in multiplici genere ſunt, pro magna metallorum, quæ à terra petuntur, varietate, quibus de rebus vniuerſè à nobis eſt hoc in loco diſputatum. Singulas enim partes accuratius perſequi, eſt illud quidem vtile ad opificia, moleſtũ tamen, vt diutius teneat philoſophantes. Sunt autem opificia hoc
14. magis artificioſa, quo minus eſt in eis fortunæ locus: 14 illa ſordidiſſima, quibus corpora maximè fœdantur: maximè verò ſeruilia, vbi

lia, vbi plurimus eſt corporis vſus: minimè generoſæ, quæ virtutis
minimum requirunt. Sed quoniam his de rebus ſcriptores qui-
dam præcepta tradiderunt, vt Chares Parius, & Apollodorus Lem-
nius de agricultura & agris tum nudis, tum etiam conſitis, & alij
de alijs rebus conſcripſerunt, illinc poterit, quæ quiſque ſcire cu-
rabit, aſſumere. Proderit etiam documenta 15 ſeparatim tradita 15.
congerere, quibus quidam rem familiarem, cui ſtudebant, auxiſſe
feruntur: hæc enim cuncta commoda ſunt ijs, qui artem pecunia-
riam colunt, quale illud eſt quod de Thalete Mileſio memoratur.
Eſt enim ingenioſum quoddam inuentum parandis facultatibus
accommodatum: quod quanquam in illum confertur ad commen-
dationem ſapientiæ, 16 eſt tamen præceptum quoddam vniuer- 16.
ſale. Nam Thaletem memorant cum ei ſtudium philoſophiæ tan-
quam inutile obijceretur, præcognito ex Aſtrologia olearum mag-
no prouentu 17 nondum elapſa hyeme, ex paucis ſuppetentibus 17.
pecunijs arrabone dato, 18 omnes Mileſias, Chiaſq; olearias offici- 18.
nas paruo, vt pote cum nemo cōtrà liceretur, conduxiſſe: tempore
autem multis ſimul ac ſubito quærentibus, quanti voluit, locaſſe:
eaque ratione magna vi pecuniarum congeſta, docuiſſe, facile
philoſophis eſſe ſi velint locupletari: ſed non eſſe hanc rem in qua
ſibi elaborandum putent. Thales igitur in hunc modum ſapientiā
oſtentaſſe memoratur. Hæc autem parandi ratio vniuerſalis eſt, vt
diximus, ſi quis ſibi valeat 19 monopolium inſtituere, vnde non- 19.
nullæ ciuitates in publica pecuniarum inopia huiuſmodi vectigal
inſtituunt, monopolium rerum venalium facientes. In Sicilia qui-
dam, apud quem fuerat pecunia depoſita, ferrum omne ex ferra-
rijs officinis coëmit: deinde 20 cū ex mercatorib' mercatores veniſ- 20.
ſent, ſolus vendebat, nec admodum aucto precio, ad quinquaginta
tamen talenta centum adiecit. Quod 21 cū Dionyſius reſciuiſſet, ho- 21.
minē, facta exportandæ pecuniæ facultate, Syracuſis tamen excede-
re iubet, propterea quod quæſtus inueniret ſuis rationibus inutiles,
quanquam homo hic idem, quod Thales ſpectauit. Nam vterque
quomodo monopolium faceret, artificioſè excogitauit. Quarum re-
rum cognitio vtilis eſt etiam ijs qui Rempublicam adminiſtrant.
Nam multis ciuitatibus quæſtuaria ratione, & quæſtibus huiuſ-
modi opus eſt, 22 vt domui, ſed magis. Quo fit vt qui- 22.
dam in hac ſolùm parte ciuilis adminiſtra-
tionis ſint occupati.

1 NEQVE verò difficile eſt controuerſiam. *Facultas, inquit, pecuniaria ſiue quaſtuaria, de qua ſuprà quærebamus, non propriè ad patrẽfamilias, nec ad ciuitatis præfectum pertinet. Itaq; diuerſa eſt, tum à familiari tum à ciuili poteſtate: cæterùm oportet vt quemadmodũ ciuitatis præfectus, ſic paterfamilias det operam, vt opes quibus vtatur, adſint: & his non ſuppetentibus, vel ne ſuppetere deſinant, aliquem debet huic parandi opes muneri præficere, qui per quæſtuariam facultatem pecunias opeſq; comparet, vt magiſtrum pecoris & villicum: quo munere ſi ipſe per ſe fungatur, hoc non vt paterfamilias faciet, ſed vt pecuniariæ rationis, quæ adminiſtra eſt œconomicæ, peritus: opes autem naturali & honeſta ratione, ex fructibus & animalibus parantur: commutationibus verò mercium inter ipſas, vel rerum aliarum numo, vt fit à mercatoribus, non perinde honeſtè, per fœnus verò turpiſſimè.*

2. Ex his autem quomodo diſpenſare conueniat. *Quomodo cibos ex terra vel mari, vel aliunde petitos diſtribuere familia conueniat.*

3. Sed rationis adminiſtræ. *Facultatis pecuniariæ, quæ velut ancilla eſt domeſticæ & ciuilis adminiſtrationis, vt ars frenos efficiendi adminiſtra eſt equeſtris facultatis.*

4. Nam fœnus ipſum auget. *Id eſt numus per fœnus numum auget: vnde Græci fœnus, per ſimilitudinem τόκον, id eſt partum vocant: vt enim quæ pariuntur ſimilia ſunt ijs, à quibus generantur, vt humano partu adita ſimilia sũt ſuis parentibus, nam vtraque ſunt homines, ſic in fœnore quod gignitur, & quod gignit, numus eſt. Quidam hunc locum ſic vertũt, vt græcè αὐτὸ καὶ αὐτὸ aſpiratum vtrumq; legiſſe videantur, quod ſic erat interpretandum, & exponendum. Fœnus ſeipſum auget. Id eſt munus per fœnus numum auget, & item.*

5. Similia ſunt ijs, quæ ſeipſa generant. *Id eſt animalibus, quæ partum ſui generis edunt, vt homo & equus: nihil enim poteſt ſeipſum idem numero generare, vt habetur ſecundo de anima. ſed quædam ſui diſſimilia pariunt, vt aues ouum: quædam ſimilia, vt homo & equus: quæ idcirco ſeipſa generare quodammodo dici poſſunt, quia quod gignit & quod gignitur, idem eſt non numero, ſed ſpecie. commodior tamen eſſe videtur ſcriptura & intelligentia prior, quem ſequutus eſt interpres.*

6. Sed quoniam quæ pertinent ad cognitionem. *Expoſuit diſcrimẽ œconomicæ & pecuniariæ facultatis, quam eandem quæſtuariam interdum appellat: & quæ ratio parandi opes ſit maximè naturalis & laudanda, & quæ*

quæ viciſſim maximè præter naturam & vituperanda, quod pertinet ad mentis cognitionem: deinceps vt quæ faciunt ad vſum memoret, tria genera tradit pecuniariæ, ſeu quæſtuariæ facultatis. Primum quod in parandis naturalibus diuitijs, & ad vitæ vſum pertinentibus verſatur: cuius primæ partes & officia ſunt ex animalibus, quæ & quibus in locis maximum fructum afferunt: & omnis generis agrorum naturas dignoſcere. Secundum genus eſt, quod commutationibus continetur: cuius tres partes numerantur: mercatura, quæ merces pro mercibus, vel merces pro numo: fœneratio, quæ parua pecunia cum expectandi tẽpore pro maiore: & artes mercenariæ ac ſordidæ, quibus opera pro pecunia cõmutantur. Tertium, quod his duobus eſt interiectum, quærit enim res naturales quæ tamen non ad victum aut veſtitum ipſæ accõmodantur, quibus deinde cõmutandis ſeu vendendis, ſibi res ad vitam neceſſarias paret: explicat deinde gradus ſordidarum & mercenariarum artium, & faciendi pecuniam perutilem rationem monopolium eſſe tradit.

7 Quæ pertinet ad cognitionem. *Doctrina moralis, & item ciuilis, quam quam potiſſimum & ſuapte natura ad agendum pertinent, & ad inſtituendam vitam humanam, illa priuatim, hæc publicè, & idcirco practicæ ſiue actiuæ nominantur: non enim vt ſciamus quid ſit virtus, de virtute diſſerimus, ſed vt boni efficiamur. Ethicorum primo: tamen multa in vtraque doctrina tractantur à philoſophis, quæ non actionem vſumq́; vitæ, ſed mentis cognitionem attingunt: cuiuſmodi eſt illud, facultas pecuniaria pars œconomicæ ſit, an ſecus.*

8 Pecuniariæ facultatis partes vtiles ſunt. *Id eſt ad vſum pertinentes.*

9 Siue nudi ſint. *Sine arboribus, quales eſſe ſolent frumentarij, & paſcui.*

10 Natantium. *Aquatilium, quod pertinet ad piſcationem, de qua ſuprà memorauit, itemq́; ad piſcinas.*

11 Volantium. *Auium, vt columbarum, & quæ per aucupium cibo parari queunt: hæc enim vſui eſſe poſſunt.*

12 Artis igitur pecuniariæ maximè propriæ. *Id eſt maximè naturalis: hac enim maximè parantur opes ad vſum vitæ neceſſariæ, & modo quodam per naturalem neceſſitatem inducto. Nam quæ in commutationibus præſertim non neceſſarijs verſatur vt mercatura, hæc plus artificij & rationis habet. Vocat autem hanc, commutationem, quia numo res cæteras commutat, nec finem commutandi facit. Nam quæ per numum facit commutationem, non tamen vltra procedit, quam ratio rei familiaris poſcit, hæc non à natura abhorret: quæ verò commutando non vtitur numo, hanc ſuprà dixit non eſſe*

pecuniariam: ſcilicet cum ſit vſus neceſſarij gratia. Nam ſi merces importata exportandis commutantur, quod ſæpe à mercatoribus cõpendij cauſa fit, hoc nihilo ſecius ad quæſtuariam rationem pertinet, quàm ſi merces cum numis commutentur.

13 Tertium genus inter hanc & primam eſt interiectum. *Tria genera, vt diximus, pecuniariæ rationis facit. Primum quod pertinet ad patremfamilias, & parandas res vitæ neceſſarias. Secundum quod in continuis commutationibus verſatur: cuius tres partes enumerauit, & quo referri poteſt genus illud facultatibus & virtutibus, quaſi mercenarijs ad quæſtum abutentium vt voluptatibus fruantur. Tertium genus pecuniariæ facultatis inter hæc duo genera interiectum, & medium eſſe dicit, quoniam vtriuſque particeps eſt.*

14 Illa ſordidiſsima. *Sordidas artes Latini vocant, quas Græci* βαναύσους *quo nomine licet propriè opificia intelligantur, quæ fornacibus vtuntur, vt græcum nomen indicat, ab incendenda fornace deductum, conſuetudo tamen ad cuncta opificia tranſtulit: & omnes artes, quas vulgus mechanicas, Cicero, politioreſq́; , vt dixi, ſordidas vocant: quippe quibus artificum corpora ſordeſcunt, fœdanturq́; præſertim qui fornacibus vtuntur, propter carbonem, & fuliginem quæ artificia idcirco dicuntur eſſe ſordidiſsima.*

15 Separatim tradita. *Dum de rebus alijs memoratur in libris non huic ſtudio quæſtuario dicatis.*

16 Eſt tamen præceptum vniuerſale *Quo poteſt quiſque vti.*

17 Nondum elapſa hyeme. *Nondum florentibus arboribus, quod vere fit, vt ex his poßit futuram copiam præcognoſci.*

18 Omnes olearias officinas. *Loca ſeu torcularia vbi oleum, confractis preßiſq́; oliuis conficitur, cui rei trapeta, ſeu molæ, prælaq́; adhibentur. Non enim oliuas omnes coemptas eſſe dicit, aut oleum à Thalete, vt falſò putant omnes, quos mihi videre contigit hunc locum explicantes, ſumpta fortaßis occaſione errandi ex traditis à Cicerone primo libro de diuinatione, qui ſic de Thalete ſcripſit:* Thales, *inquit,* Mileſius, vt obiurgatores ſuos conuinceret, oſtenderetq́ue etiam philoſophum, ſi commodum eſſet, pecuniã facere poſſe, omnem oleam antequam florere cœpiſſet in agro Mileſio coemiſſe dicitur, animaduertens fortaſſe quadam ſcientia olearum vbertatẽ fore. *Hæc igitur Ciceronis verba feciſſe videtur, vt hic Ariſtotelis locus in eandem ſententiam perperam traheretur, quaſi non idem factum variè ſoleat ab authoribus tradi. Cum etiam Plinius lib. XVIII. naturalis hiſtoriæ cap. XXVIII. idem cõmentũ alter tradat, & alteri auctori, hoc eſt Democrito tribuat: quẽ præuiſa olei nõ vbertate, ſed caritate & inopia, oleum*

pia, oleum omne, non oleas coëmiſſe tradit: at Ariſtoteles non ἐλάας, *aut* ἐλαιῶνας, *nec* ἔλαιον *dixit, hoc eſt oleas, aut olineta, nec oleũ, ſed* ἐλαιουργεῖα: *qua voce olearia officinæ propriè & apertè ſignificantur: vt* ὑαλουργεῖον *officinã vitriariam ſignat, nec* ὠνησάμενον *dixit, ſed* μισθωσάμενον, *hoc eſt non emiſſe, ſed conduxiſſe. Prætereà quòd ait,* ἐπειδὴ δ' ὁ καιρὸς ἧκε, *id eſt cum tempus aduenit, ſcilicet oliuitatis, ſeu conficiẽdi oleum, multis ſimul quærentibus, quanti voluit locaſſe officinas, trapetaq́ue, & prela, quæ vbiq́ue locari ſolent, aptiſſimè conuenit: in oleum emptum ineptiſſimè. ſuffragatur huic ſententiæ Hieronymus Rhodius, qui vt Diogenes Laertius refert,* ἐμισθώσατο, *inquit,* ἐλαιουργεῖα, *id eſt conduxit olearias officinas, vſus eiſdem verbis, quibus Ariſtoteles. Eſt autem Miletus vrbs Cariæ, caput Ioniæ. Chios vrbs altera Cariæ, non procul ſcilicet à Mileto: nec enim hic conuenit Chion inſulam, quæ & ipſa Ionium eſt, cum vrbe cognomine intelligere. Quatuor enim vrbes auctore Stephano hoc nomine ſunt appellatæ: duæ, quas diximus: tertia in Cherroneſo: quarta in Euboea.*

19 Monopolium inſtituere. *Efficere, vt ſolus ipſe aliquod genus rerum venalium vendat.*

20 Cum ex mercatibus mercatores veniſſent. *Cum mercatores qui ferri mercandi cauſa ad nundinas proceſſerant, re infecta ſine ferro rediuiſſent, ſolus ipſe mercatoribus vendebat.*

21 Cum Dionyſius reſciuiſſet. *Cum Dionyſius cognouiſſet, qui tyrannus Siracuſanorum erat. Duo fuerunt Dionyſii Siracuſani, pater, filiusq́ue, ambo tyranni, ambo Platonis auditores.*

22 Vt domui. *Quemadmodum paterfamilias, cum res neceſſariæ ad alendam familiam, tuendamq́ue domum non ſatis ſuppetunt, quærere per facultatem pecuniariam cogitur. Sic item præfectus ciuitatis in ciuitatis inopia: ſed eo magis quò pluribus indiget ciuitas, quàm domus: Quare in quibuſdam ciuitatibus quoſdam magiſtratus eſſe dicit, huic duntaxat officio quærendæ pecuniæ profectos.*

CAPVT VIII.

1 TRES ſunt, vt diximus, œconomicæ partes: vna, 2 herilis facultas, de qua ſuprà memorauimus: altera paterna: tertia maritalis. Nam paterfamilias & vxori præeſt & filijs, vtriſque quidem vt liberis, non tamen vt eiuſmodi imperium teneat in vtroſque, ſed in vxorem ciuile, in filios verò regium: 3 mas enim quàm fœmina, 4 niſi vbi præter naturã conſtiterunt: & ſenior atq; præfectus, 4. 1.2. 3.

 quàm

5. quàm iunior & imperfectus principatu dignior eſt lege naturæ. 5 Quanquam igitur in ciuilibus imperijs magna ex parte eſt imperandi & parendi viciſſitudo (nam eorum natura æqualis eſſe debet nec differre quicquam) tamen cum hic præeſt, ille ſubeſt imperio, diſcrimen tum in ornatu, tum in ſermonibus & honoribus requi-
6 ritur, 6 vt Amaſis de ſolio dixit: mas autem ſemper ſic ſe habet in
7 fœminam. Imperium in filios idcirco regium eſt, quoniam 7 pater tum beneuolentia, tum maioris ætatis iure præeſt, quod genus eſt imperij regij. Rectè igitur Homerus hominum deorumque patrē,
8. Iouem appellauit, qui rex eſt eorum omnium. Nam 8 rex natura differre debet, ſed idem eſſe genere: quod ſeniori accidit in iuniores, & patri in filium. Quo planè intelligitur, rationem familiaris adminiſtrationis poſcere, vt plus operæ atque curæ in homines,
9. quàm in rerum inanimatarum poſſeſſionem ponatur: & 9 in hominum virtutem, quàm in virtutem rerum poſſeſſarum, quas diuitias vocamus: & in liberorum magis quàm in ſeruorum. De ſeruis igitur quærat aliquis, ſitne aliqua ſeruorum virtus, præter
10. 10 inſtrumentarias & adminiſtras, his diuerſa & honoratior, vt temperantia, fortitudo, & iuſtitia, aliúſve talis habitus? an nulla virtus in ſeruum cadat præter corporeas, & quæ miniſterijs accommodantur? Quoniam vtrinque cauſam habet dubitandi: nam ſi qua virtus eſt talis, quæ tandem erit ſeruorum ac liberorum differentia? Nullam autem eſſe, probari non poteſt, cum ſerui homines ſint, & rationis compotes: ac eodem ferè modo de muliere & puero quæritur: num horum ſint aliquæ virtutes, & mulier temperans eſſe debeat, fortis & iuſta: ſitque puer intemperans, & temperatus, an ſecus. Hoc quoque in vniuerſum de eo qui ſubiectus eſt natura, & eo qui præeſt, quæri conuenit, num eadem ſit eorum virtus, an diuerſa? Nam ſi vterque particeps excellentis virtutis eſſe debet, quæ cauſa eſt, cur hic præeſſe debeat, ille ſem-
11. per eſſe ſubiectus? Nec enim fieri poteſt, 11 vt pluris & minoris ratione differant: nam ſubeſſe atque præeſſe ſpecie differunt, plus & minus non item. Neque verò probabile eſt, virtutē in altero requiri, eandem in altero non deſiderari. Nam ſiue is qui tenet imperium, temperantia vacet atque iuſtitia, quomodo rectè imperabit? ſiue is qui ſubeſt imperio, quomodo rectè faciet imperata? Fac enim eſſe intemperantem, aut timidum: nihil eorum efficiet, quæ ratio poſtulabit. quo planè intelligitur vtrunque neceſſa-

rio participem eſſe virtutis, ſed virtutes eſſe diuerſas. 12 Quemad- 12.
modum earum rerum quæ ſunt natura ſubiectæ; quod in ipſa ſta-
tim anima declaratur: quippe in anima pars altera natura tenet im-
perium, altera eſt imperio ſubiecta: 13 quarum diuerſas virtutes eſſe 13.
dicimus: eius dico, quæ ratione prædita eſt, & eius quæ ratione va-
cat, vt intelligatur eodem modo eſſe 14 de cæteris reb. ſtatuendum. 14.
15. Pleraque igitur natura imperium tenent, & ſunt imperio ſub- 15.
iecta. Aliter enim liber imperat ſeruo, aliter mas fœminæ, vir-
que puero, & omnibus inſunt animæ partes, variæ tamen inſunt.
16 Nam ſeruus omnino vacat vi conſultandi: mulier & puer ha 16.
bent quidem eam facultatem, ſed illa infirmam, puer imperfe-
ctam. Quæ ratio vt 17 eodem modo in virtutibus moralibus va- 17.
leat, neceſſe eſt omnes ſcilicet participes eſſe virtutum moralium,
oportere non tamen eodem modo: ſed quatenus quiſque deſide-
rat, ad opus ſuum obeundum. Ergo qui tenet imperium, hunc per-
fecta virtute morali præditum eſſe conuenit, quoniam eius offi-
cium ſimpliciter eſt architecti: 18 ratio autem architectus eſt: cæ- 18.
terorum verò pro cuiuſque operis ratione. Quo planè intelligitur
in omnes ſupradictos virtutem moralem cadere: nec eandem eſſe
mulieris & viri 19 vel temperantiam, vel fortitudinem, & iuſtiti 19.
am, 20 vt Socrates opinabatur: ſed viri fortitudinem principa- 20.
lem eſſe mulieris adminiſtram; ac cæteras eodem modo: quod pla-
nius, ſi per partes potius conſideretur, apparebit. 21 Nam qui vni 21.
uerſè præcipiunt, 22 hi ſeipſi fallunt: vt ſi quis virtutem animæ bo- 22.
num habitum aut opus bonum eſſe dicat, vel aliquid tale: multo
enim melius diſſerūt, 23 qui virtutes enumerant, vt Gorgias, quàm 23.
qui eo modo definiunt. Vt igitur Poeta de muliere dixit, 24 ſic rem 24.
ſeſe in cæteris habere putare conuenit.

Fert grande fœmina decus ſilentium:
At non perinde fortis hoc viri decus.

Cum autem puer ſit imperfectus, efficitur vt eius virtus non ad i-
pſum referatur, 25 ſed ad perfectū, & ductorem: & perinde ſerui ad 25.
dominum. Poſitum eſt autem ſeruum vtilem eſſe ad vſus neceſſa-
rios, quò intelligitur exigua illi virtute opus eſſe, quæque ſatis ſit,
ne propter intemperantiam, aut timorem 26 officium deſerat. 26.
Quo in loco, quærat aliquis, num quæ virtus in opificibus deſidere-
tur, quos ſæpe intemperantia ab operibus ceſſare cogit? 27 an ſit ma- 27.

28. ximum diſcrimen:nam cum ſeruo 28 vita communicatur :opifex
29. longius abeſt,& 29 virtutis eſt, quatenus ſeruitutis particeps. Nam
ſordidi opificij artifex, determinatè cuidam ſeruituti addictus eſt:
nec vt ſeruus natura ſit, ſic ſutor, aut alius quiſquam opifex. Itaque
30. huiuſmodi virtutis cauſa ſeruo dominus eſt, 30 non quia doctri-
31. nam herilem rerum efficiendarū habet. 31 Errant igitur, qui ſeruos
ratione vacare, & imperata eos duntaxat facere tradunt, cum ſerui
multo etiam magis, quàm pueri admonendi ſint, & caſtigandi : ſed
de his hactenus. De viro autem & vxore, deq; filijs & patre, & ipſo-
rum cuiuſque virtute, & mutua conſuetudine, & vſu, quid rectè, &
quid ſecus fiat: vtq; oporteat virtutem atque officium ſequi, vitia
vitare : tum erit neceſſario diſputandum, cum de ratione rerum
publicarum diſſeremus. Nam vt domus quæque pars eſt ciuita-
32. tis: ſic 32 ea de quibus modo diximus, partes domus. partis
autem virtus, totius virtutem ſpectare debet. Quo fit, vt puero-
33. rum, itemque mulierum inſtitutio, 33 neceſſario ſit ad Rempubli-
cam dirigenda. Si quid vt ciuitas proba ſit, pueros eſſe probos in-
tereſt, & mulieres probas: intereſt autem neceſſariò. Nam mulieres
dimidia pars ſunt liberorum capitum. Ex pueris autem exiſtunt
ij, quibus adminiſtratio Reipublicæ communicatur. Quoniam i-
gitur his de rebus diſſeruimus, & de cæteris eſt alijs in locis diſ-
ſerendum: ſit huic diſputationi, quaſi ad finem deductæ, modus,
& alio ſumpto principio, reliqua aggrediamur : & primum omni-
34. um quæ 34 de optima Republica ab alijs tradita ſunt, diſpicia-
mus.

Primi libri finis de Repub.

Scholia in Caput VIII.

1 TRES ſunt, vt diximus œconomicæ partes. *Ex tribus œcono-
micæ partibus, de herili ſuprà diſputaui: nūc de maritali diſſerit, & paterna,
virumq; in vxorem ciuile imperium tenere docet, ducta ſimilitudine, non à
paritate viri & vxoris, nec imperandi uiciſſitudine, quod vtrunq; abeſt, ſed
ex eo quòd vir vt potior eſt, ſic ornatu ſermonisq; grauitate, & honorib. vxo-
ri præſtat, vt priuato præfectus, quandiu magiſtratui præeſt. Patrem verò in
filios regium imperiū tenere tradit, tum iure ætatis perfectæ, tū volūtate filio-
rum, qui libenter parentibus obtemperant : deinde docet vt præfectorum, ſic
ſubditorum*

ſubditorum virtutes eſſe morales, ſed ſpecie diſtinctas. Exempli gratia, mulieris fortitudinē ſpecie à fortitudine viri differre, & ſerui à domini, vt partis inferioris, animæ virtutes ſpecie ſunt à virtutibus partis ſuperioris diuerſa.

2. Herilis facultas. *Qua dominus vtitur in ſeruos paterna, qua pater in filios: maritalis, qua maritus in vxorem, quæ omnes congruunt in patre familias: nam idem dominus eſt, idem pater, idem maritus.*

3. Mas enim quàm fœmina. *Patrem familias naturaliter imperium in vxorem & filios tenere confirmat, ob eam rationē, quòd præſtātior, principatuq́; dignior eſt vtriſq́; lege naturæ: nam potiorem præeſſe deteriori eadem natura vult.*

4. Niſi vbi præter naturam conſliterint. *Vt ſi mas imperfectior, quàm pro ſua natura genitus fuerit, ſicut corporis ac mentis viribus à fœmina perfecta ſuperetur: & fœmina contrà ſic nata ſit, vt proximè ad virile corporis & mentis robur accedat. Quod vtrunque raro efficitur, & præter naturam.*

5. Quanquam igitur in ciuilibus imperijs. *Imperium ciuile inter pares habetur: quo fit, vt qui modo magiſtratus præerat, iam priuatus ſit: & pareat imperio alterius, qui nuper erat priuatus & hac quidem ratione vir in vxorem non tenet imperium ciuile, quia nec paritas nec imperandi viciſsitudo eſt inter virum & vxorem: ſed vir potior eſt vxore, & ſemper ei præeſt. Hāc tamen ſimilitudinem habet imperium maritale cum ciuili, quod vir ornatu & cultu, ac honore & ſermonis grauitate præſtat: quemadmodum præfectus ciuitatis quandiu præeſt priuatis, ornatu & cultu differunt: vt Senatores Romani lato clauo, quod genus erat veſtis, ab alijs diſtinguebantur: aliją; magiſtratus alijs inſignibus & ſermonibus: aliter enim magiſtratus ſubiectos alloquitur: aliter priuatus pares, & aliter honoratur.*

6. Vt Amaſis de ſolio dixit. *Solium eſt vas balnearium ad lauandos pedes. Amaſis rex fuit Aegypti, qui cum ex populari Aegyptiorum voluntate factus eſſet rex, ab ipſis priſtinā eius humilitatē recordantibus, cōtemnebatur. Quorū errori hac ratione medēdum ſtatuit. Erat ei ſolium quoddā aureum, quo & ipſe & cōuiuæ pedes lauabant: ex hoc, dei cuiuſdam ſignum ſiue ſtatuā confecit: quam cum in loco vrbis maximè opportuno ſtatuiſſet, ciues confluentes egregiè venerabantur. Hoc cognito Amaſis, & Aegyptiorum [illegible] cōcione, ſtatuā ex ſolio factam fuiſſe docet: in quod Aegyptij vomere, meiere, & pedes lauare ſoliti eſſent: tum ſolio ſimile quiddam ſibi accidiſſe dixit: qui cum prius popularis fuiſſet, iam factus eſſet ipſorum rex: itaque eadem ratione ſe colendum eſſe, ac venerandum. Hoc igitur ſolij exemplo, Amaſis Aegyptios, vt ſe regia veneratione colerent, induxit. quod Amaſis commentum factumq́; refert Herodotus in Euterpe Vt igitur illud aurum cum ſoliū eſſet,*

vas erat inhonoratum: idem Dei ſignum ſiue ſtatua factum, diuinis honorib. colebatur: ſic idem ciuis in magiſtratu, quam in vita priuata plus colitur, & honoratur.

7 Pater tum beneuolentia. *Id eſt voluntate filiorum ab amore profecta.*

8 Rex natura differre debet. *Præſtare perfectione naturali, vt ipſe docet libro tertio, ſed idem eſſe genere. Nec obeſt Homeri teſtimonium, qui Iouem facit non Deorum modò patrem, ſed etiam hominum: nam licet Deus ſit genere ab hominibus diuerſus, idem tamen eſſe vulgari hominum opinione credebatur: qui dijs, vt ſuprà dixit, eandem quam ſibi, & formam, & viuendi rationem tribuebant. ad quam opinionem Homeri dictum accommodatur.*

9. In hominum virtutem, quàm in virtutem rerum poſſeſſarum. *Quo res quæque bona efficitur atque perficitur, id eius virtus eſſe dicitur. Ethic. primo. Eſt igitur ſẽſus: Maiori cura debet eſſe patrifamilias, vt homines ſuæ curæ commiſſi, vxor, filij, & ſerui, totaq́; familia probi ſiãt, & virtute præditi, quàm vt equus, aut ager bonus efficiatur.*

10 Inſtrumentarias & adminiſtras. *Quæ ſeruo conueniunt, quatenus eſt bonum inſtrumentum domini, & miniſter, & rerum imperatarum executor.*

11 Vt differant pluris, & minoris ratione. *Vt ſit, exẽpli gratia, prudens vterq́;: ſed alter altero prudentior.*

12 Quemadmodum earum rerum quæ ſunt natura ſubiectæ. *Vt in rebus, in quibus naturaliter eſt alterius in alterum imperium: alia eſt virtus naturalis, quæ imperans: alia quæ obtemperans, commendatur: ſic in virtutibus moralibus, & intellectualibus accidit, vt alia ſit imperantis prudẽtia, exempli gratia, alia parentis.*

13 Quarum diuerſas virtutes eſſe dicimus. *Nam partis animæ ratione præditæ virtutes ſunt, quæ intellectuales nominantur, vt prudentia, ſapiẽtia, & ars, de quib. in ſexto Ethic. diſputatur. Partis autem quæ rationis eſt expers, quæ morales nominantur: nam omnes morales virtutes, etiam iuſtitiam in parte irrationali, quæ appetitus dicitur, generari docet Ariſtoteles magnorum moralium lib. primo.*

14 De cæteris rebus. *Quarum altera in alteram natura tenet imperium.*

15 Pleraq; igitur natura tenent imperium. *Magna pars earum rerum quæ præſunt aut ſubiectæ ſunt, habent alterutram conditionẽ imperandi vel parendi à natura, pro diuerſitate virtutum, & facultatum, quæ diuerſa imperandi*

perandi genera faciunt: aliter enim, hoc eſt alia ratione, aliaq́; virtute ſeu facultate liber imperat ſeruo, alia mas fœminæ: nam omnibus inſunt animæ partes ratio ſcilicet & appetitus, variè tamen, id eſt diuerſis virtutibus inſtructa.

16. Nam ſeruus omnino vacat vi conſultandi. *Hæc verba ſic quidam exponunt: Seruus qua ſeruus eſt, non habet facultatem conſultandi: nam conſultatio ſeu deliberatio eſt de rebus quæ ſunt in conſultantis poteſtate. Ethicorum ſexto Seruus autē cum ipſe alterius ſit, nihil habet in ſua poteſtate: ſed ipſe & quæcunque habet, in domini poteſtate ſunt. Non igitur habet deliberandi facultatem. Veruntamen hic ſenſus ad ſeruilem conditionem, quæ naſcitur ex iure gentium voluntario, magis quàm ad vim & facultatem naturalem eius qui natura ſeruus eſt, de qua hoc in loco diſputatur, pertinere videtur. Nā qui natura, non lege voluntaria ſeruus eſt, huic non deeſt ius deliberandi, cum ſit alioquin liber, & ſui iuris: ſed vis animi & intelligētia. Idcirco igitur, vt arbitror, natura ſeruus omnino vi & facultate deliberandi carere dicitur: quoniam licet non ſit omnino expers rationis, ex qua deliberatio proficiſcitur, omnino tamen caret ſolertia deliberandi propter nimiā tarditatem & hebetudinem naturalem, qua ſeruus natura definitur. Cuius ratio hactenus procedit, vt rationem ſentiat imperantis, vt ſuprà dictum eſt, nō vt ipſe poßit deliberare, quod pertinet ad prudentiam, ſiue ſolertiam: nam mulier ingenioſa facultatem, id eſt ſolertiam ad conſultandū habet, ſed debilem & infirmam puer imperfectam, ſed quæ paulatim augeſcat, & perficiatur: ſeruo autem natura talis facultas atq; ſolertia neutro modo tributa eſt, propter inſitam (vt dixi) tarditatem: quæ niſi nimia ſit, non efficit natura ſeruum. Vt enim ſuprà dixit capite quarto*, qui tanto ſunt prudentibus ſolertia inferiores, quantum diſtat ab anima corpus, & ab homine bellua, & corpore duntaxat vtiles exiſtunt, hi ſunt natura ſerui.

17. Eodem modo in virtutibus moralibus. *Quæ pertinent ad partē rationis expertem, vt in ijs, quæ ad rationis compotem.*

18. Ratio autem architectus eſt. *Architecto ſimilis: eſt enim architecti munus & facultas, de faciendis operibus deliberare, & deliberata operarijs artificibus imperare: quod idem facit ratio, prudentiáque in rebus agendis.*

19. Vel temperantiam, vel fortitudinem. *Nam ſi vir ita fortis eſſet, vt fortis mulier, timidus eſſet: & mulier, ſi tam temperans, & modeſta eſſet, quàm vir temperans & modeſtus, intemperans eſſet, & garrula. vt ipſe docet libro tertio.*

20\. Vt Socrates opinabatur. *Vt Platoni viſum eſt in libris de Republica. Plato enim qui ferè per dialogos Philoſophiam tradidit, in omni colloquio Socratem inducit differentem, cuius perſonam maximè probat; hunc enim quaſi auctorem facit omnis ſuæ diſciplinæ, licet nihil affirmare videatur.*

21\. Nam qui vniuerſè præcipiunt. *Vt diſcrimen appareat inter mulieris & viri, & pueri & viri perfectæ ætatis, ſerui & domini virtutes, non de virtute ipſorum in vniuerſum differendũ eſt, ſed priuatim de fortitudine exempli gratia, & tēperantia, quarum qualibet in puero ſpectari debet referēdo ad virum perfectæ ætatis, in ſeruo ad dominum: vt ſic vterq; ſit virtute inſtructus, vt facilè per eam poßint, hic imperio domini parere, ille patris ſeu magiſtri morum monitis, & præceptis obtemperare. Eadem eſt opificis ratio, qui cũ ſit quaſi publicus ſeruus, certæ tamē ſeruituti addictus, ea dũtaxat virtute indiget, quatenus quidem opifex eſt, quæ ſatis ſit ad ipſum in officio & opere ſuo continendũ. Nam ſerui cum ſint rationis cōpotes, virtutis quoq; ſunt participes. Puerorum autē educatio, & mulierũ inſtitutio ad Reipublicæ rationem eſt dirigenda: nam partium virtutes ad virtutē totius referri debent.*

22\. Hi ſe ipſi fallunt. *Qui quæſtiones vniuerſaliter tractant, hi ſua doctrina facilè labuntur in errorem.*

23\. Qui virtutes enumerant. *Qui ſingulas virtutes perſequũtur, vt Gorgias apud Platonem in libro ſeu dialogo de virtute. In hoc enim Meno ex doctrina Gorgiæ virtutes viri, mulieris, pueri, liberi, ſerui, ſingulatim explicat.*

24\. Sic rem ſeſe in cæteris habere. *Quemadmodum ſilentium in muliere quaſi virtus laudatur, non autem in viro: ſic putare conuenit in cæteris, vt in puero, & ſeruo varias eſſe virtutes, quibus commendãtur, quæ viros & dominos non decent.*

25\. Sed ad perfectum. *Ad virum patremq;, vt ei pareat, & præceptis & monitis eius obtemperet.*

26\. Officium deſerat. *imperata iuſſaq; domini non exequatur.*

27\. An ſit maximum diſcrimen *inter ſeruum & opificem.*

28\. Vita communicatur. *Communiter viuitur in eadem domo, & ex eadem re familiari, opifex longius abeſt à domo, nec eo domeſticè & familiariter vtimur.*

29\. Quatenus virtutis eſt particeps. *Opifex, qui eſt quaſi ſeruus publicus, non ad omnia, ſed ad certum ſeruile munus obeundum, hactenus eſt particeps virtutis, ſeruo ſcilicet conuenientis, quatenus ſeruus eſt.*

30\. Non quia doctrinam habet herilem. *Hic Platonem taxare videtur, qui ſic de virtute differit in Memnone, ſeu libro de virtute, vt ei virtus non exercitatione, ſed doctrina comparari videatur. Non igitur verbis à*

docente

docente in ſeruo virtus ingeneratur, ſed à domino, per exercitationem, qua oportet imperante, & in officio continente.

31. Errant igitur. *Seruus, inquit, natura non adeo hebes ac ſtupidus eſt, vt non modo ſolertia & vi conſultandi careat, ſed etiam rationis vſu, vt quidam falſò putant: alioqui fruſtra monita & caſtigationes, hoc eſt reprehenſiones adhiberentur, quæ in hos plus etiam quàm in pueros adhiberi debent: quarũ admonitionũ nõ eſſent capaces, ſi omnino rationis vſu carerent, vt furioſi.*

32. Ea de quibus modo diximus. *Mulier ſeruus & pueri, ſeu filij.*

33. Neceſſariò ſit ad Rempublicam dirigenda. *Aliter enim & pueri, & mulieres educari debent in Republica populari: aliter in paucorum potentia, pro vt ratio poſtulat vtriusq; Reipublicæ finis, in quem partes omnes Reipublicæ ſpectare debent, vt ipſe poſtea apertius latiusq; declarabit.*

34. De optima Republica *De optima forma & ſtatu Reipublicæ.*

ARISTOTELIS DE REPVBLICA LIBER SECVNDVS,

Interprete & enarratore

IOANNE GENESIO SEPVLVEDA CORDVBENSI.

CAPVT I.

QVONIAM de ciuili ſocietate diſſerere cõ- 1.
ſtituimus, 2 quæ ſit cunctarum optima, ijs, 2.
quibus quam maximè ex ſentẽtia viuere li-
cet: non erit ab re cæteras Reipublicæ ratio-
nes deſpicere, quibus vtuntur 3 quędam ciui- 3.
tates, quæ rectè legibus eſſe inſtitutæ dicun-
tur: & ſi quæ ſunt ab aliquibus dictæ, quæ re-
ctè ſeſe habere videantur: vt quod rectum,
quodq; commodum eſt, appareat: nec aliud
præterea quærere hominis eſſe videatur, vani & oſtẽtationi ſeruiẽ-
tis: vtq; homines intelligant, idcirco nos hác poſt alios pręcipiẽdi ra-
tioné, atq; curam ſuſcepiſſe: quoniam 4 quæ nũc habẽtur Reſpub 4.
parũ rectè ſunt inſtitutæ. Exordiemur autem ab eo, quod eſt huius
diſputationis commodiſſimum principium. Neceſſe eſt enim,
vt omnibus ciuibus, aut omnia communia ſint, aut nihil, vel quæ-

dam ſint communia,aliqua non item:vt autem ſit commune,haud dubiè fieri non poteſt : nam Reſpublica communitas quædam
5. eſt, 5 & locus vnus eſt vnius ciuitatis, & ciues ſunt vnius ciuitatis participes. Sed quæritur, vtrum in ciuitate rectè inſtituenda ſeu
6. gubernanda,. cuncta quæ poſſunt, 6 præſtet omnibus eſſe communia, an quædam, & quædam ſecus? Nam filij & vxores, & patrimonia poſsunt ciuibus inter ipſos eſſe communia, vt in Repub. Platonis: illic enim Socrates oportere tradit, vt filij & vxores, poſſeſſioneſque communes ſint. Quæritur ergo, vter ſtatus
7. commodior ſit, 7 hic. quo nunc ciuitates vtuntur, 8 an ille, ſiquis
8. traditæ in ea Republica legi conuenienter inſtitueretur? Nam vxores omnibus eſſe communes,cum alias multas difficultates habet,
9. 9 tum propter cauſam à Socrate traditam, cur ſic lege ſanciri de-
10. beat, ex rationibus non efficitur. 10 Præterea ad finem, cuius gra-
11. tia id fieri debet in ciuitatè,11 vt quidam nunc dictum eſt, fieri non
12. poteſt. 12 Quomodo autem explicari debeat, nihil eſt diffinitum,
13. 13 vt ſit inquam tota ciuitas vna,tanquam hoc ſit ſummum bonum:
14. 14 id enim poſitum eſt à Socrate. At ſi ciuitas huc progrediatur, vt
15. fiat magis vna,haud dubiè non amplius ciuitas erit. 15 Ciuitas enim natura multitudo quædam eſt: quæ ſi fiat magis vna, fiet ex vrbe domus, homo autem ex domo. Nam domum quàm ciuitatem magis vnam eſſe dicimus, & vnum hominem,quàm domum. Itaque ſi vel maximè hoc fieri liceret,tamen non eſſet faciendum: id enim eſſet ciuitatem tollere. Neque verò ſolùm ex compluribus hominibus ciuitas exiſtit, ſed etiam ex ſpecie diuerſis: nec enim
16. ex ſimilibus ciuitas efficitur. 16 Nam belli ſocietas diuerſa eſt à ciuitate. quippe quæ ſocietas vtilis eſt multitudine, quanquam ſit ea-
17. dem ſpecie. Nam mutui auxilij gratia orta eſt, 17 vt ſi pondus ma-
18. gis trahat, 18 tali etiam diſcrimine ciuitas à gente diſtrahit, cum non ſunt homines vicatim multitudine diſperſi, ſed more Arca-
19. dum. 19 Ex quibus autē vnum fieri debet, hæc ſpecie ſunt diuerſa:
20. quo fit,vt 20 æqualis compenſatio ciuitates cōſeruet incolumes, vt ſuprà dictum eſt in libris de moribus. quæ compenſatio in liberis quoque & paribus eſt neceſſaria: cum fieri nequeat, vt ſimul omnes magiſtratus gerant, ſed per vices annuas, alióve ordine, ſeu tempore: qua ratione fit, vt omnes præſint magiſtratibus, perinde ac ſi ſutores & fabri variarent: nec ſemper ijdem ſutores eſſent &
21. fabri. 21 Sed quoniam præſtat hoc modo inſtitutam eſſe rationem

ciuilis

ciuilis communitatis,ſatius eſſet haud dubiè, ſi fieri poſſet, vt ſem-
per ijdem gererent magiſtratus, in quibus tamen non licet: propte-
rea quòd omnes ſunt pares natura, ſimulque iuſtum eſt, vt 22 ſiue 22
bonum ſit, ſiue malum imperare, id omnibus communicetur:
in his ſatius fuerit viciſſitudinem imitari, vtque pares cedant,
23 quemadmodum fecere primi. Quoniam ad hunc modum hi te- 23.
nent imperium,illi viciſſim ſubiecti ſunt, 24 tanquam alij effecti. 24.
25 Ad eundem igitur modum qui tenent imperium,alij alios magi- 25.
ſtratus gerunt:quò planè intelligitur,præter ciuitatis naturam eſſe,
vt ſic fiat vna,quemadmodum quidam tradiderunt : & quod ſum-
mum eſſe bonum in ciuitatibus dicunt, id exitium afferre ciuitati-
bus:at ſuo res quæque bono conſeruatur. Eſt & alia ratio, quæ de-
clarat, non eſſe melius vt ciuitas nimium ad vnitatem redigatur.
Domus enim maiorem neceſſariarum & commodarum rerum co-
piam habet,quàm homo ſingularis:& ciuitas,quàm domus:& tunc
eſſe ciuitas intelligi ſolet, cum huiuſmodi copiam ſocietas multi-
tudinis nacta eſt. Si ergo copioſius præferri debet, efficitur, vt
quod minus vnum eſt,hoc ei,quod magis eſt vnum,26 ſit præferen- 26.
dum.

SCHOLIA IN SECVNDVM LIBRVM

Ariſtotelis de Republica.

CAPVT I.

QVONIAM de ciuili ſocietate diſſerere conſtituimus. *In primo libro de domo & partibus eius, déque domeſtica facultate, quæ dicitur œconomica, & officio patrisfamilias, & ſimul de quæſtuaria ratione, & eius partibus diſputauit. Iam hic incipit de ciuitatu ordine, & adminiſtratione, quæ Reſpublica nominatur, diſſerere: & ex omnibus, quibus tunc vtebantur ciuitates, quæ optimè adminiſtrari putabantur, & quæ tradita fuerant, ſiue ab ingenioſis hominibus excogitata, nullam eſſe docet, quæ non indigeat correctione, in ſingulas ſigillatim diſſerendo. Sed primum in Platonis Rempublicam, quæ tunc, vt eſt probabile, in ore om-*

nium propter nouitatem erat. Nam vxores & filios, fortunaſq; communes faciebat, vt hac ratione ciuitas maximè vna fieret, eſſetq; ſumma inter ciues omnes beneuolentia. Quē ſtatum Reipublicæ non ſolum incommodiſſimum eſſe docet Ariſtoteles: ſed etiam nulla ratione inſtitutum, nec ex auctoru rationibus effici, quod ipſe volebat: ſed contra nimia ciuitatū vnione ciuitatem tolli, vxorem & filiorū communitate minus potius ciuium beneuolentiam: itemque ex patrimoniorum communione odia & contentiones exiſtere.

2 Quæ ſit cunctarum optima ijs, quibus quam maximè ex ſententia viuere licet. *Non enim Reipublicæ ſtatus, qui ſimpliciter optimus eſt, cunctis ciuitatibus eſt optimus, vt declarabit, ſed ijs duntaxat, quibus ſuppetunt adiumenta omnia ad viuendum ex ſententia, id eſt vt maximè velint: quibus adiumentis ſic quædam ciuitates deſtitutæ ſunt, vt aliam Reipublicæ formam ſequi cogantur, tanquā ſibi magis conuenientem, non eā, quæ ſimpliciter eſt optima. Nam legumlatoris officium eſt, vt ipſe tradit libro quarto, non modo quæ ſimpliciter ſit optima Reſpublica conſiderare, ſed etiam quæ ſit optima ijs, quibus leges condit, quæ dicitur optima expoſitione, ſeu ſuppoſitione, id eſt pro natura hominum, & ratione rerum ſuppetentium.*

3 Quædam ciuitates. *Vt Lacedæmonij, Cretenſes, Carthaginienſes: harum enim trium ciuitatum Reſpublicas cæteris omnibus longè præſtare ipſe teſtatur, huius libri capite vndecimo.*

4 Quæ nunc habentur Reſpublicæ. *Quibus nunc ciuitates vtuntur, & quæ traditæ ſunt ab auctoribus: nullam enim ex omni parte probat.*

5 Et locus vnus eſt vnius ciuitatis. *Sic enim legitur in emendatioribus exemplaribus,* εἷς ὁ τ̃, *non* ἰσότης, *vt in impreſſis & deprauatis. Nam ſi nihil aliud eſſet ciuibus omnibus commune, locus tamen id eſt vrbs ipſa, vel oppidum, quo continentur, eſt neceſſariò communis.*

6 Præſtet omnibus eſſe communia. *Melius ſit publicè ab omnibus, quàm priuatim à ſingulis poſſideri.*

7 Hic quo nunc ciuitates vtuntur. *Vt quiſque ſuos filios & vxorem habeat, & ſuum patrimonium priuatim poſſideat.*

8 An ille. *Traditus à Platone, ſi forte conuenienter illi legi de rerum omnium communione inſtitueretur: nam Reſpublica à nulla ciuitate in vſum eſt recepta.*

9 Tum propter cauſam à Socrate traditam. *Ex rationibus, inquit, quibus Plato in perſona Socratis vtitur in libris de Republica, non efficitur, non concluditur, oportere res omnes eſſe communes propter cauſam, cur ille hanc legem ferendam eſſe tradidit: quaſi dicat, etiam ſi eſſet ea lex ob alias cauſas ferenda, tamen propter eam, quam Socrates affert, ferenda non eſſet.*

10 Præ-

10 Præterea ad finem, cuius gratia *Fieri nō poteſt, vt ex eo quod ſint omnia communia, finis contingat, cuius gratia omnia vult eſſe communia, vt ſit tota ciuitas vna, & ſumma charitate coniuncta.*

11 Vt quidem nunc dictum eſt. *Quantum eſt in rationibus à Socrate dictis & allatis.*

12 Quomodo autem res explicari debeat. *Quomodo efficiatur, vt ciuitas ſit magis vna, ſi ſint omnia communia.*

13 Vt ſit, inquam, tota ciuitas vna. *Declarat qui finis ſit per Platonem, cur debeant eſſe omnia communia.*

14 Id enim poſitum eſt à Socrate. *Nam Socrates vt rem indubitatam poſuit, ſiue ſtatuit ſummum bonum ciuitatis eſſe, vt ſit maximè vna.*

15 Ciuitas enim natura multitudo quædam eſt. *Ad rationem ſeu definitionem & ſubſtantiam ciuitatis pertinet, vt ſit multitudo quædam, id eſt non quæuis, ſed perfecta & copioſa ex varijs ordinibus, hominumq; generibus conſtans.*

16 Nam belli ſocietas. *Non eſt eadem ratio ciuitatis, quæ ſocietatis belli: hæc enim cum mutui auxilij gratia iniri ſoleat, & hinc ortum habuerit, vt populi alij alijs ſubſidium ferant inter ſe, vtilior eſt, quò maior hominum copia, licet hi homines ſint omnes eiuſdem generis ſiue ordinis, vt militaris.*

17 Vt ſi pondus magis trahat. *Quemadmodum quæ pondere valent atq; libra examinantur, vt metalla & aliæ multæ merces, hæc eo habentur vtiliora & maioris pretij, quo maius pondus in altera lance poſitum trahunt, id eſt quo ſunt grauiora: ſic in ſocietate belli, & auxilijs bellicis multitudo ſpectatur hominum, quæ hoc vtilior eſt, quo maior: nec refert eiuſdem generis ſint, an diuerſi. Quod non ſit in ciuitate, quæ varia genera varios hominum ordines deſiderat.*

18 Tali quodam diſcrimine *Gens, inquit, quæ nō per caſtella & vicos diſtributa eſt, vt diuiſos habeat magiſtratus: ſed ſparſas per agros domos habitat, vt olim Arcades, nunc etiam agricolæ in Italia circum Padana. Talis, inquam, gens cum habet ſcilicet communes magiſtratus, hoc diſcrimine, id eſt multitudine differt à ciuitate, propriè ſcilicet loquendo: nam interdum talis gens ciuitas ſolet ab auctoribus nominari, vt à Cæſare in commentarijs, ciuitas* Heluetia in quatuor pagos diſtributa eſſe dicitur.

19 Ex quibus autem *Vt res naturales conſtituuntur ex elementis, & domus conficitur ex rebus ſpecie diuerſis: ſic eſſe debent diuerſa hominum genera, & ordines, ex quibus ciuitas conſtituatur.*

20 Aequalis compenſatio *Bonorum & malorum, vt ſuis quiſque meritis paria referat præmia: ſi bene meritus fuerit de Republica, aut aliqua virtute*

præſtet:

praſtet: pœnas ſi malè, aut ſi damno quenquam affecerit, vel contumelia. de qua compenſatione ſuprà, inquit, dictum eſt in libris Nicomachi, de moribus ſcilicet libro quinto. Hic locus apertè declarat illos libros Ethicorum, non ad Nicomachum auctorem Ariſtotelis filium referendos eſſe, vt Cicero falſo putauit, ſed ad ipſum Ariſtotelem, qui in gratiam filij, vt ſic nomen eius celebraretur, ab eius nomine Nicomachi cognominari voluit: vt Eudemi, ab Eudemo amico: & artem rhetoricam Theodectis, à Theodecto: non vt ab illis tanquam auctoribus proditi libri venderentur, ſed vt ea ratione ipſorum nomina Ariſtotelicis libris inſerta, vt dixi, celebrarentur, cuius rei gratia ſolent alij ſuos libros amicis nuncupare, quo minus eſt quorundam leuitas & ignorantia ferenda. Quos Valerius Maximus ſequutus, ſic de Ariſtotele ſcripſit: Ariſtoteles, inquit, Theodecti diſcipulo oratoriæ artis libros, quos ederet donauerat: moleſtè poſtea ferens titulum eorum ſic illi ceſſiſſe, proprio volumine quibuſdam rebus inſiſtens planius ſibi de his in Theodectis libris dictum eſſe adiecit, quorum maligna interpretatio hoc loco conuincitur, vbi Ariſtoteles eodem modo citat vt ſuos morales libros, quos ex filij nomine Nicomachios inſcripſerat, ſiue libros Nicomachi de moribus: ac ſi diceret opus Ariſtotelis de moribus ad Nicomachum.

21 Sed quoniam præſtat hoc modo. *vt nunc ſeſe res habet in ſutoribus & fabris, vt ijdem ſemper ſint ſutores, ijdem fabri, quàm illo, id eſt, ſi mutarentur.*

22 Siue bonum ſiue malum ſit. *Siue res bona commodaq; ſit imperare, ſiue mala, & incommoda.*

23 Quemadmodum fecere primi. *Quemadmodum initio alij conceſſerunt ipſis, vt gererent magiſtratus: ſic nunc ipſi debent alijs imperium tradere: nec enim ciues omnes ſimul gerunt magiſtratus, ſed per vices.*

24 Tanquam alij effecti. *Nam qui ex priuato magiſtratus efficitur, aut contrà, alius atque diuerſus fit.*

25 Ad eundem igitur modum. *Per hanc tradendi viciſſitudinem, & quandam diuerſitatem, alij alios magiſtratus gerunt, vt omnes muneribus publicis fungantur, vt ſit quidam ædilis, alter conſul, alius prætor, exempli gratia, quæ omnia declarant etiam magnam varietatem, & diuerſitatem in ciuitate deſiderari.*

26 Sit præferendum. *vt minus copioſe.*

CAPVT

CAPVT II.

1 SED quanuis optimum eſſet ſocietatem eſſe quam maximè v- 1.
nam,hoctamen non videtur ea ratione demonſtrari, ſi omnes ſi-
mul dicant,meum & non meum: hoc enim Socrates argumentum
eſſe putabat perfectè vnitæ ciuitatis. Nam verbum,omnes, dupli-
cem habet intelligentiam.Igitur 2 ſi omnes vt ſinguli dicerent, for- 2.
taſſe magis quod Socrates vult, efficeretur:tunc enim vnuſquiſque
eundem filium ſuum appellaret, & eandem vxorem, ac patrimo-
nium, & 3 accidentium quodque eodem modo. 4 Nunc non ita 3.4.
loquerentur,quibus eſſent vxores & filij communes, 5 ſed dicerent 5.
quidem omnes, non tamen vt eorum quiſque, & ſimili ratione
facultates omnes ſuas dicerent, non tamen vt ſinguli. Quo palàm
fit,paralogiſmum eſſe in verbo, omnes: 6 nam omnes, & ambo, 6.
paria & imparia ſunt, quia dupliciter dicuntur, & 7 ratiocinatio- 7.
nes faciunt in ſermone litigioſas. Itaque omnes, idem ſuum dice-
re,8 vno modo bonum, & commodum eſſet, ſed fieri non poteſt: 8.
9 aliter nihil facit ad animos conciliandos. 10 Præterea hoc incom 9.10.
modum ex ratione memorata conſequitur, quod rebus, quæ ſunt
plurimis communes, curæ minimum impenditur. Nam ſuarum
quiſque rerum maximam curam gerit: communes minus curãtur,
quàm cuiuſque officium poſſit, cum ob alias cauſas, tum quòd eas
quiſque ab alio curari exiſtimans, curam ipſe hoc magis remittit:
vt in famulorum miniſterijs, plures ſerui peius interdum, quàm
pauci famulantur. Præterea cum ciuibus ſingulis naſcantur mille
filij,hi tamen non vt ſingulorum filij ſunt, 11 ſed vt quilibet cuiuſ- 11.
libet. quo fit vt ab omnibus pari ratione cura ipſorum negligatur.
12 Ad hæc ſecunda vel aduerſa fortuna vtentem ciuem, 13 quotuſ- 12 13.
quiſque numero fuerit,meum quilibet ſic appellabit, hic meus eſt,
aut alterius cuiuſpiam: eodemque modo, quilibet ex mille, aut ſi
quo alio numero ciuitas conſtet,nuncupabit,idque dubitans,14 in- 14.
certum eſt enim,cui contigerit,vt filius generaretur,& genitus con
ſeruaretur.Sed vtrum ſatius eſt rogo, ſic meum à quoque dici eun-
dem ex mille, aut decem millibus appellante:an quemadmodum
nunc in ciuitatibus meum dicunt, in quibus eundem hominem,
hic filium ſuum, ille fratrem vocat, quidam fratris filium, aut ſe-
cundum aliam propinquitatem, vel à ſanguine,vel à contracta ne-
ceſſitudine, & affinitate 15 à ſe quod primum eſt, vel à ſuis, alium 15.

16. præterea tribulem. Præſtat enim 16 propriè filium eſſe fratris,
quàm hoc modo filium. Cæterum nec vitari poteſt, quin aliqui fra-
tres, & filij, ac patres & matres eſſe putentur: quoniam ex parentum
ſimilitudinibus, quæ filijs ingenerantur, vt alij de alijs inter ſe fi-
dem capiant, neceſſe eſt, vt vſu venire teſtantur auctores quidam,
17. qui de ſitu orbis conſcripſerunt. 17 Tradunt enim in regione qua-
dam Africæ ſuperioris vxores eſſe communes: filios tamen per
ſimilitudines diſcerni. Sunt autem mulieres quædam, & in alijs
animantium generibus fœminæ, vt equæ & vaccæ, aptiſſimæ natu-
18. ra ad filios patribus ſimiles procreandos, vt 18 equa illa pharſalica,
quæ Iuſta nominabatur. Præterea qui talem ſocietatem inducere
moliuntur: difficultates quaſdam effugere nequeunt, vt vulne-
ra, neces, quæ tum à volentibus, tum ab inuitis inferuntur: item cer-
tamina & contumelias, quorum nihil poteſt abſque nefario ſce-
lere in patres aut matres admitti, aut in genere propinquos, vt in
longè remotos. Quæ flagitia frequentius perpetrari neceſſe eſt, ſi
ignorentur, quàm ſi fuerint notæ neceſſitudines: & ſi fuerint ad-
19. miſſa, expiari poſſunt 19 iuſtis ſolutis, ſi nota fuerit neceſſitudo: ſin
aliter, non poſſunt. Illud autem abſurdum eſt, qui filios fecerit com-
munes, ab hoc amantium concubitum duntaxat tolli, amorem non
20. prohiberi, nec 20 cæteras conſuetudines, quas parentibus eſſe cum
liberis, & fratribus cum ſororibus, turpiſſimum habetur, quum
ipſe per ſe libidinoſus amor nihil honeſtatis habeat. Sed nec illud
probari poteſt, concubitus ob eam duntaxat cauſam, quòd vehe-
21. mentiſſima voluptas conſequatur, tolli: 21 & in nullo diſcrimine
22. ponere, ſint nécne pater hic, vel filius, illi frater & ſoror inter ſe. 22
Cæterùm commodius eſt vt agricolis vxores & filij ſint commu-
23. nes, 23 quàm vt cuſtodibus: nam minus erit amicitiæ ſi filij ſint &
vxores communes, quales eſſe oportet ſubiectos, vt imperata faci-
ant, & ab ſtudio rerum nouarum abhorreant. Ad ſummam ex hu-
24. iuſmodi lege 24 contrarium effici neceſſe eſt earum rerum, quarum
cauſas eſſe conuenit leges rectè conſtitutas, & oppoſitum eius
cauſæ, propter quam Socrates putauit ſic eſſe de filijs & vxoribus
ſtatuendum. Nam ſummum bonum ciuitatibus in amicitia ponen-
dum eſſe cenſemus. Hæc enim ſi adſit, nihil fuerit ciuilis diſſenſio-
nis vel Socrate ipſo auctore, qui dum maximè probat laudátque
25. vnam eſſe ciuitatem: quæ res, inquit, 25 amicitiæ opus eſſe videtur,
quemadmodum dixiſſe ſcimus Ariſtophanem in ſermonibus a-
matorijs.

matorijs Cupiunt, inquit, amantes propter vehementem amorem congredi, & ex duobus effici vnus 26 Hic igitur vel vtrunque, vel 26.
alterum interiuiſſe neceſſe eſt. In ciuitate verò vt quaſi 27 aquoſa & 27.
diluta fiat amicitia, neceſſarium eſt propter huiuſmodi communionem vtque pater non dicat meum filium, vel filius patrem: quoniam vt exiguum dulce cum aqua multa commiſtum, temperaturam facit quæ in ſenſum non cadit, ſic efficitur vt mutua neceſſitudo quæ ex his nominibus exiſtit, minimè, vt erat neceſſe, curæ ſit in tali ciuitate, vel 28 patri vt filiorũ, vel filio vt patris, vel fratrib. inter i- 28
pſos. Duo ſunt enim quæ homines inter ſe curare & diligere faciũt, proprietas, & amor, quorũ neutrũ poteſt adeſſe habentib ſic inſtitutam ciuitatem. 29 Sed nec filiorum tranſlatio partim ex agricolis 29.
& artificibus in cuſtodes, partim ex his in illos, quomodo fieri debeat, caret magna confuſione: & qui tradunt atque transferunt, his notum ſit neceſſe eſt quos quibus tradant. Præterea crimina quæ ſuprà diximus, inter hos magis admitti neceſſe eſt, vulnera dico, amoreſque libidinoſos, & neces. Nam qui ſunt in diuerſos ciues tranſlati, hi non amplius cuſtodes, fratres & filios, patres & matres appellant: nec rurſus qui apud cuſtodes verſabantur, alios ad quos tranſlati fuerunt, his nominibus vocant, vt tale quidpiam admittere propter conſanguinitatem caueant. Sed de filiorum atque vxorum communione hactenus.

Scholia in Caput II.

1 SED quamuis optimum eſſet. *Infirmat refellitq́; Socratis argumentum, & vt propoſitum tanquam verum, quod tamen eſt falſum, non efficiat nec concludat, exponit.*

2 Si omnes vt ſinguli. *Cum dupliciter omnes aliquid facere dicantur, diſtributiuè & collectiuè, vt vulgo philoſophi loquuntur, ſi omnes, inquit, diſtributiuè, id eſt ita vt quilibet eorum dicere poſſit meum.*

3 Et accidentium quodque *Accidentia vocat bona & mala, quæ vxori & filijs accidunt, quo nomine in eandem intelligentiam vſus eſt Ethicorum primo libro, vbi res vel ſecundas vel aduerſas quæ noſtris liberis aut amicis accidunt, nos etiam attingere teſtatur: vt pater quemadmodum filium ſuum vocat, ſic bona vel mala filijs accidentia, ſua nominare poßit: quæ ratio eadẽ eſt eorum quæ vxori aut poſſeßionibus accidunt. Adiuuat hunc ſenſum, quod ipſe paulò pòſt in hoc ipſo capite dicit, Ad hæc ſecunda vel aduerſa fortuna vtentem ciuem, meum quilibet ſic appellabit.*

4 Nunc nõ ita loquerẽtur. *Si hoc modo vt Socrati placet, filij eſſent com-*

munes & vxores.

5 Sed dicerent quidem omnes. *Collectiuè, id eſt omnes ſimul, non vt quiſque non diſtributiuè.*

6. Nam omnes & ambo paria & imparia ſunt. *Poſt omnes adiecit ambo, quia vtrunque dupliciter dicitur, & in eandem intelligentiam, niſi quòd vtraque, ſiue ambo, de duobus tantùm, omne de pluribus dicitur, vt ipſe teſtatur primo de cœlo omnes igitur & vtrique interdum pares ſunt, & impares numero, exempli gratia ſint duodecim homines, qui terni conſtiterint, hos omnes verè dixeris pares eſſe numero, & eoſdem omnes impares. Nam ſimul & collectiuè accepti, pares numero ſunt, quia duodecim: ſeparatim vt terni conſtiterunt, omnes impares ac eodem modo, ſex ſi bifariam diuiſi terni conſtiterint, vtrique pares numero ſunt ſimul accepti, ſeparatim verò vtrique impares. Hæc autem dicta ſunt ab Ariſtotele, vt exemplo doceret verbum omnes, duplicem & ambiguam intelligentiam habere, & qua interdum in partes oppoſitas trahatur.*

7 Ratiocinationes litigioſas. *Sophiſticas & captioſas argumentationes.*

8. Vno modo. *Diſtributiuè, quòd fieri non poteſt vt quiſque ſuum quenque nominet.*

9 Aliter. *Altero modò collectiuè, vt omnes ſimul noſtrum vel noſtros dicant: qua ratio parum aut nihil ad amicitiam ingenerandam facit.*

10 Prætereà hoc incommodum. *Docuit ex Socratis rationibus non effici vt res omnes debeant eſſe communes. Iam explicare aggreditur incommoda qua exiſterent ex rerum omnium communione.*

11 Sed vt quilibet cuiuſlibet. *Ignotus ignoti.*

12 Ad hac ſecunda vel aduerſa fortuna vtentem ciuem. *Vt iuuari ab eo poſſit pater, aut ei ſubuenire debeat, eiuſq; fortuna vt ſua delectari, vel dolere.*

13 Quotus quiſque numero ſit. *Siue ſit vnus ex mille filijs, ſiue ex decem millibus, aut alio quouis numero.*

14 Incertum eſt enim. *Nemini exploratum eſt, an ex ſuo concubitu mulier conceperit: & ſi conceperit, an filius ſit in lucem editus, ac ſeruatus & enutritus.*

15 A ſe quod primum eſt. *Affinitas poteſt contrahi cum aliquo, ſi quis ipſe illius ſororem ducit, exempli gratia. Qua prima & grauiſſima ratio eſt amicitia per affinitatem inita, poteſt etiam, ſi frater germanus, aut patruelis ducat eandem.*

16. Propriè filium eſſe fratris. *Certa & explorata conſanguinitate.*

17 Tradunt

17. Tradunt enim. *Exemplo Garamantum docet poſſe filios communiũ vxorum, per notas aliquas à patribus, & ſui ſimilitudinem dignoſci. Quod ſi fiat, horum filij à cæteris non habebuntur pro ſuis, nec ſui vocabuntur. Garamãtes enim hoc in loco deſignat Ariſtoteles, de quibus ea tradũtur à Geographis. Vt Pomponius Mela in eorum mentione,* Nulli, *inquit,* certa vxor eſt, ex his qui tam confuſo parentum coitu, paſsim incertique naſcuntur: quos pro ſuis colant, formæ ſimilitudine agnoſcunt. *Vocat autẽ ſuperiorem Africam, partem Africæ interiorem, & à mari noſtro remotiorem. vt enim mari regio quæque proxima eſt, ſic habetur infima: nam mare, infima & caua terræ ſuperficie continetur, ac inferius eſt ſicca & aperta terra, vt indicat aquarum decurſus, quæ natura deferuntur ad inferiora, & Ariſtoteles ſecundo Meteorologicorum libro docet, magno vulgi philoſophantium errore, qui non intelligũt mare, vt ſuperius eſt ſuperficie terræ, qua cõtinetur, ſic inferius oris maritimis, ac proinde remotioribus ab ipſo regionibus, vnde flumina naturali curſu delabuntur.*

18. Equa Pharſalica. *Pharſalus vrbs eſt in Theſſalia, & Pharſalici cãpi equis nobiles, vnde Bucephalus Alexandri Magni equus, & equa illa fama hominum celebrata, quæ fœtus edebat genitoribus ſimiles, ac propterea fortaſsis Iuſtæ nomen obtinuit, quòd ea ratione ſuum cuiq; redderet, quod eſt proprium iuſtitiæ.*

19. Iuſtis ſolutis. *Factis legitimis ſacrificijs, aut conſuetis ceremonijs.*

20. Cæteras conſuetudines. *Vt amplexus & oſcula.*

21. Et in nullo diſcrimine ponere. *Nihil intereſſe putare. Plato enim idcirco dũtaxat coitus cognatarũ euitandos eſſe dicebat, nõ quòd nefas eſſet, patrem cũ filia fratrem cum ſorore coire, ſed quia ex tali coitu vehementiſſima voluptas exiſtit.*

22. Cæterum commodius eſt, vt agricolis. *In optimè inſtituta Republica nõ placet Ariſtoteli opifices & mercatores, nec agricolas magiſtratibus præfici, vt poſtea declarabit: nec his tribus hominum generibus imperia rectè cõmitti putat, quod ipſum Platoni quoque videtur. Cum igitur hoc in loco agricolas dicit, eadem ratione intelligi vult cæteros etiam omnes qui ſemper debent eſſe ſubiecti.*

23. Quàm cuſtodibus. *Cuſtodes vocat verbo Platonico principes & magiſtratus: ſic enim Socrates vocandos eſſe dicit, libro quinto de Republica, & ſic ferè ſemper in libris illis appellat. Igitur commodius eſſet, inquit, vt filios communes haberent, qui ſemper debent eſſe ſubiecti, nec propriè ſunt partes ciuitatis, vt agricolæ, quàm qui propriè ciues ſunt, & magiſtratibus præ-*

ſunt. Nam qui ſubiecti ſunt, hos ciuitatis intereſt nec amicitiam habere, nec concordiam inter ſe, quod ex vxorum & filiorum communione fit: ſic enim minus virium ac facultatis habebũt ad imperiũ detrectandũ, minuſq; mutua beneuolentia occaſione freti, rebus nouis ſtudebunt, minuſq; in Rempublicam quicquam ſiniſtri molientur, alij alijs diffidentes.

24. Contrarium earum rerum *Concordia & amicitia.*

25. Amicitiæ opus eſſe. *Effectus ab amicitia proficiſcens, vt Ariſtophane auctore, & amantium exemplo docet. de quo eſt apud Platonem in conuiuio, ſeu libro de amore, vbi Ariſtophanes talia de amore differens inducitur.*

26. Hic igitur vel vtrunque, vel alterum. *Quia fieri non poteſt, vt ex duobus fiat vnum, niſi vel vtrunq; intereat, & tertium quiddã efficiatur, vt ſi ex mare & fœmina efficeretur Androgynus, quod de Salmace & Hermaphrodito fabulantur: quemadmodum animal ex quatuor pereuntibus elemẽtis generatur: vel certe alterum, vt in alterius naturam tranſeat, vt ex vino & aqua vinum fit, ſi minimum aquæ commiſceatur.*

27. Aquoſa & diluta *Tenuis & imbecilla, vt vinũ, vnde tranſlatio ſumpta eſt, ſi multum ei aquæ infundatur, commiſceaturq;.*

28. Patri vt filiorum. *Quanuis enim neceſſitudo & amicitia communis quæ ſolet eſſe ciuibus vnius ciuitatis inter ipſos, non tollatur, tollitur tamen amicitia & pietas, qualis eſſe ſolet patris in filium, aut filij in patrem.*

29. Sed nec filiorum tranſlatio *Nam pueros Platoni placebat in tertio de Republica, pro cuiuſq; indole in diuerſos ordines transferri, cuſtodum, aut viciſſim agricolarum, vel opificum.*

CAPVT III.

1\. 1. PROXIMVM eſt, vt de patrimonijs, quomodo ſtatuere in optimo ſtatu Reipublicæ conueniat, differamus, communia hæc eſſe, an ſecus oporteat. Quæ quæſtio ſeparatim haberi poteſt ab eis quæ de filijs & vxoribus ſunt lege conſtituta: de ijs
2\. dico quæ pertinent ad rem familiarem: 2 num licet illa ſeparatim habeantur, quemadmodum nunc omnibus habentur, bona tamen atque eorum vſus ſic eſſe communia præſtet, vt prædia ſepa-
3\. ratim poſſideantur, 3 fructus autem ad vtendum conferantur in commune, vt mos eſt quarundam gentium: vel e diuerſo vt prædia communia ſint, colanturque publice, fructus autem ad priuatos vſus diſtribuantur: qua ratione bona quibuſdam barbaris communia eſſe feruntur: aut ſic, vt tum agri, tum etiam fructus ſint com-

communes. Igitur 4 ſi diuerſi ſint qui colunt agros, alius fuerit faciliorque modus. Sin autem ipſi ſibi colant, complures difficultates ex patrimonijs exiſtant neceſſe eſt. Nam cum in fruendo & ſubeundis laboribus paria paribus non ferantur, qui minus fructus, & plus laboris capiunt, hos expoſtulare neceſſe eſt cum his qui fruuntur, & plura ſibi vendicant, cum minus elaborent. Ad ſummam difficile eſt ſimul viuere, & quaſcunque res humanas habere communes, 5 ſed maximè tales, vt indicant eorum ſocietates, qui ſimul peregrinantur, quorum plerique magna ex parte diſſident inter ſe vilibus & paruis rebus offenſi. Præterea famulorum ijs maximè offendimur, quibus maximè vtimur ad communia miniſteria. Patrimoniorum igitur communio, has & alias huiuſmodi difficultates affert. Modus verò quo nunc homines vtuntur, probis moribus & rectis legibus correctus, multo fuerit commodior. habebit enim vtriuſque rationis commoditatem, id eſt tum eius quæ poſſeſſiones facit communes, tum alterius quæ priuatas. quodammodo enim communes eſſe oportet, ſed omnino priuatas. Nam partitæ curæ non dabunt occaſiones inter ſe incuſandi, 6 quin potius ipſos augebunt, dum ſuis quiſque rebus aſſiduam operam impendet. propter virtutem autem erunt ad vſum res amicorum, vt eſt in prouerbio, communes. Cuius viuendi rationis 7 adumbrata quædam ſpecies eſt in quibuſdam ciuitatibus, vt appareat id non eſſe impoſſibile: & maximè in rectè inſtitutis partim ita fit, partim fieri non magno negotio poſſet. Nam cum ſuum quiſque priuatumque patrimonium habeat, tamen quædam tribuit amicis ad vſum, 8 quibuſdam vtitur vt communibus, vt mos eſt Lacedæmonijs, qui ferè alter alterius ſeruis, item equis & canibus, penè vt ſuis vtuntur, & viatico ad eundem modum, ſi quis in agris per regionem indigeat. Non eſt igitur dubium, quin ſatius ſit priuata eſſe patrimonia, vſu tamen fieri communia: ſed qua ratione talia fiant, ad curam propriè officiumque pertinet legumlatoris. Præterea dici non poteſt quanti ad delectationem referat, proprium ac ſuum quicquam eſſe exiſtimare. 9 Nec enim ſine cauſa erga ſe quiſque habet amicitiam, quin potius hoc eſt naturale. nam licet amantem eſſe ſui, iure vituperetur, id tamen non eſt ſeipſum amare, ſed plus quàm oportet amare: quemadmodum eſſe pecuniarum amantem. 10 nam talia quæq; omnes ferè amant. Sed & amicis gratificari, & hoſpitibus, & alijs (quod effici-

tur,

4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

tur, ſi bona ſint priuata) iucundiſſimum eſt, quæ officia non contingunt ijs qui ciuitatem nimis vnam faciunt: ad hæc duarum virtutum officia perſpicuè tollunt: temperantiæ, qua parte de communicandis vxoribus ſancitur, eſt enim honeſtum opus ab vxore aliena propter temperantiam abſtinere: liberalitatis autem, qua
11. de patrimonijs, 11 nec enim liberalis qui fuerit cognoſcetur, nec fungetur vllo officio liberalitatis, cum officium liberalitatis in vſu pecuniarum conſiſtat. Hæc igitur ſanctio ſpeciem quandam probitatis humanitatiſque præfert: libenter enim audientibus probatur concepta opinione, fore omnibus erga omnes mirificam quandam amicitiam, præſertim cum aliquis inuehitur in ea mala, quibus noſtri temporis ciuitates laborant, tanquam ex eo, quòd bona non ſint communia, proficiſcantur: lites dico, quas de contractibus homines inferunt inter ſe, & falſorum teſtimoniorum iudicia, & locupletum adulationes. Quorum tamen malorum nullum ex eo quòd bona non ſint communia, ſed ex hominum nequitia naſcitur, cum videre liceat eos quibus communia ſunt patrimonia, multò magis inter ipſos diſſidentes, quàm qui bona poſſident priuatim. Sed idcirco paucos de communitate diſſidentes videmus, quoniam cum multis eos priuatim bona poſſidentibus conferimus. At æquum erat, non ſolum quot malis per bonorum communicationem priuarentur, ſed etiam quot bonis, explicare: quanquam hæc viuendi ratio prorſus impoſſibilis eſſe videtur. Sed caput erroris Socrati fuiſſe exiſtimandum eſt, quòd rectum putauit poſuitque, quod rectum non eſt: quia tum domum, tum etiam ciuitatem vnam quodammodo, non tamen prorſus vnam eſſe oportet. Nam modo quodam augeſcente vnitate, non erit ciuitas: alio erit quidem, ſed cum non longè abſit ab
12. eo ne ſit ciuitas, peior ciuitas erit: vt ſi quis 12 ex concentu vocum æqualitatem, vel ex rythmo ingreſſum vnum faciat. Cæterum cum multitudo ſit, eam, vt ſuprà diximus, communem atque vnam facere per diſciplinam oportet. Quam diſciplinam ſi quis inducere velit, per eam fore probam ciuitatem ratus, errat ſi talibus inſtitutis ciuitatem dirigendam eſſe putat, & non potius moribus & philoſophia atque legibus: quemadmodum Lacedæmo-
13. ne, & in Creta legum conditor 13 comeſationibus communia fecit patrimonia. Sed ne hoc ipſum ignorare oportet, magni intereſſe, longi temporis & multorum annorum memoriam replicare: in qui-

in quibus ſi recta hæc & commoda eſſent, non latuiſſent. 14 Cuncta enim ferè inuenta ſunt, ſed quædam in conſuetudinem non inducta, quædam ab expertis repudiata: quod tunc magis intelligetur, ſi quis 15 operibus talem Rempublicam conſtituẽdo, conſideret. Non enim ciuitatem conſtituere valebit, niſi ea diuidat, & per comeſationes, curias, & tribus partiatur. Itaque nihil aliud ex inſtituta lege, quàm ne cuſtodes in colendis agris occupati ſint, efficitur: quod nunc Lacedæmonij facere conantur. Cæterum forma totius Reipublicæ, quæ tandem futura eſſet ijs, qui res omnes in commune poſſiderent, nec Socrates dixit, nec eſſet facile dictu. Atqui multitudo ciuitatis ferè 16 in aliorum ciuium multitudine conſiſtit, de quibus nihil eſt definitum, num agricolis etiam patrimonia debeant eſſe communia, an cuique propria, itemq; vxores, & filij. Nam ſi eodem modo ſint omnibus omnia communia, quod tandem erit inter hos & cuſtodes diſcrimen? aut quod præmium eſt Rempublicam adminiſtrantibus propoſitum, 17 quáue ratione ducti magiſtratus ſuſcipiunt, niſi ſi quid tale quale Cretenſes excogitent? Illi enim ſeruis cætera eadem permittentes, exercitamentis duntaxat vti, armaque habere vetant. Sin autem eodem modo, quo in alijs ciuitatibus hæc fuerint apud ipſos conſtituta, qui erit communitatis modus, cum in vna ciuitate duas ciuitates eſſe neceſſe ſit, & eas inter ſe ſubcontrarias? 18 Cuſtodes enim tanquam præſidium: agricolas verò & artifices, & alios, tanquam ciues facit: quibus nec querimoniæ, nec lites, nec aliud quoduis malum aberit, ex ijs quibus Socrates cæteras ciuitates conflictari dicit. Quanquam ille fore negat, vt multæ leges deſiderentur propter diſciplinam: quippe nec ædilitias, nec eas quæ pertinent ad annonam, nec huius generis, cæteras fore neceſſarias, cum tamen cuſtodes duntaxat inſtruat diſciplina. Ad hæc agricolas qui tributa conferant, dominos poſſeſſionum facit: quos probabile eſt moleſtos & inſolentes fore, multò etiam magis, quàm 19 quorundam Ilotias, peneſtias, ac ſeruitutes. Cæterum hæc 20 ſint necne eodem modo neceſſaria, nihil nunc quidem eſt definitũ, nec illa quæ proximè ſequuntur: quæ ſit horum Reipublicæ ratio, quæ diſciplina, quæ leges: quod non eſt inuentu facile, nec parui refert 21 quales iſti ſint ad cuſtodum ſocietatem tuendam. Sed nec illud explicatur, ſi fiant agricolis vxores communes, bona verò priuatim poſſideantur, ſiue ſint vtraque communia, quæ mulier rei domeſticæ

curam geret, quemadmodum rerum agreſtium viri? Nec verò pro
bari poteſt quod præcipitur, vt mulieres eiſdem muneribus fun-
22. gantur, quibus viri: 22 ſumpta à belluis ſimilitudine, quæ tamen
non ſunt domeſticæ rationis participes. Neq; verò tuta eſt ratio,
qua Socrates vtitur mandandi magiſtratus: quippe cui eoſdem ſem
per magiſtratum gerere placet, vnde ſeditiones etiam inter igna-
uiſſimos quoſque, nedum inter animoſos & bellicoſos viros ori-
untur: nam ex eius decreto ſemper imperium neceſſariò penes eoſ-
dem fore, non eſt dubitabile. Nec enim nunc horum, nunc illo-
23. rum animis 23 admiſtum eſt aurum munere Dei, ſed ſemper eiſdẽ.
In ipſa enim ſtatim generatione alijs aurum, alijs argentum, ijs verò
qui artifices & agricolæ futuri ſunt, æs atque ferrum admiſtum fu-
24. iſſe tradit. Præterea 24 cũ tollat cuſtodum felicitatem, tamen opor
tere tradit, vt legumlator felicem faciat totam ciuitatem. At fieri
non poteſt vt beata ſit ciuitas vniuerſa, quin pleriſque, aut omnibus
25. partibus, aut quibuſdã, felicitas adſit: 25 non enim horum eſt eſſe fe-
lices, quorum eſſe pares numero: nam fieri poteſt vt par ſit nume-
rus vniuerſus, cuius neutra pars ſit par: quod in felicitate vſu veni-
re nõ poteſt. At ſi cuſtodes beati nõ ſunt, qui tandem felices erunt?
nec enim artifices, & operariorum vulgus felices habentur. Itaque
Reſpublica de qua Socrates diſſeruit, his & alijs nõ minoribus diffi-
cultatibus eſt impedita.

Scholia in Caput III.

1 PROXIMVM eſt vt de patrimonijs. *Primum incommoda quæ ex vxorum & liberorum communione contrahuntur, exponit: deinde nihilo cõmodius eſſe docet vt bona ſint communia, ſiue omnia, ſiue prædia duntaxat: non fructus, aut ediuersò: & varias inde querelas & contentiones exiſtere: itaq; multò ſatius eſſe vt ſimpliciter priuatim poßideantur: ſed quodammodo per vſum ſcilicet ac liberalitatem poßidentium fiant communia: hoc enim & virtutem augere, & eſſe iucundum.*

2 Num licet illa ſeparatim omnib. habeantur. *Quamuis vxores & filij ſeparatim omnibus ordinibus habeantur, id eſt principibus ciuitatis & popularibus agricolisq;, vt ijdem nunc ſuam quiſq; vxorem ſuoſq; filios ſeparatim habent.*

3 Fructus autem ad vtendum conferantur in commune. *Vt prædia ſeparatim à quibuſdam poßideãtur, colanturq;: fructus autem in commune*

conferan-

conferantur, fieri poteſt in hunc modum, ſi agri fuerint ab initio ea conditione quibuſdam diſtributi, vt quiſque dimidiam partem aut amplius fructuum Reipublicæ pendat, vnde magiſtratus, & milites, & pauperes, inbecilliqúe aluntur.

4 Si diuerſi ſint, qui colũt agros. *Vt apud Lacedæmonios & Cretenſes, quibus vicini ruſtici agros colebant, Ilotes, & Periœci nominati: erant enim ipſorum penè ſerui.*

5 Et maximè tales. *Quæ pertinent ad vſum quotidianum.*

6 Quin potius ipſos augebant. *Virtute ac diuitijs.*

7 Adumbrata quædam ſpecies eſt. *Forma quædam non ſatis expreſſa cunctis bona communicandi. Eſt autem ſumpta translatio à pictoribus, qui primis lineamentis ductis imaginem adumbraſſe dicuntur, quod Græcè dicitur ὑπογράφειν.*

8 Quibuſdam vtitur vt communibus. *χρῆται ὡς κοινοῖς, ſic enim legitur in codice vetuſto.*

9 Nec enim ſine cauſa. *Idcirco ſe quiſq; amat, vt ſe ſuaq; maximè curet, & ipſis maximè delectetur, vnde Plato in tertio de Republica: Curat, inquit, maximè quiſq;, quæ maximè diligit: maximè autem diligit eum, cui conferre eadem, quæ ſibi putat.*

10 Nam talia quæq;. *Bona tum inſita, tum etiam externa.*

11 Nec enim liberalis qui fuerit cognoſcetur. *Poterit, inquit, animo & voluntate liberalis eſſe, non tamen dignoſcetur. nam virtutes operib. indicantur. Ethic. decimo. Neceſſe perfectè liberalis, quoniam virtutis perfectio in voluntate, ſimul atq; opere conſiſtit. vt ipſe docet ibidem Ethicorum decimo.*

12 Ex concentu vocum æqualitatẽ. *Si cantum ex diuerſis vocib. muſica ratione temperatum redigas in vnam vocum omnium æqualitatem, ac eodẽ modo ſaltationem numeroſam in ſimplicem vnum ingreſſum reuocet.*

13 Comeſationibus cõmunia fecit. *Comeſationes vocabantur quotidianæ cœnæ, ad quas ciues gregatim certo numero per varia loca conueniebãt: de quibus multa fiet in his libris mentio.*

14 Cuncta ſunt inuenta. *Excogitata & tradita.*

15 Operibus conſtituendo conſideret. *Si quis non ſolũ leges huiuſmodi conſideret, ſed ipſam totam Rempublicam ſic mente fabricet, quaſi re vera conſtitueret, atq; eodẽ modo cuncta diſpiciat: non enim poterit huiuſmodi Rempublicã cogitatione cõſtituere, quin opera & ciuitates in partes diuerſas diuidat, vt in comeſationes, quia non cuncti ſimul ad comeſandum conueniebant, ſed quinideni, aut alio certo numero, & in curias aut tribus.*

16 In aliorum ciuiũ multitudine. *Opificum & agricolarum, qui diuerſi ſunt à cuſtodibus ſeu magiſtratibus: nunc. n. ciues vocat, quicunq; ciuitate cõ-*

tinentur, ſiue poſſint, ſiue non poſſint magiſtratibus praeeſſe.

17 Aut qua ratione ducti. *τὶ παθόντες, ſic enim emendatè legitur in codicibus antiquis, non μαθόντες.*

18 Cuſtodes tanquam præſidiũ facit. *Hoc non ſic accipiendum eſt, quaſi Plato cuſtodes vocet eos qui militari duntaxat officio ad vrbem armis tuendam funguntur, quum idem apertè in libris tertio & quinto de Repub. ſe cuſtodes principes & rectores ciuitatis appellare profiteatur: propterea ſcilicet, quòd tum armis, tum conſilio ciuitatem tueantur, vt ciues nolint, hoſtes malum moliri nequeant. Sed hoc dicit Ariſtoteles ſic Rempublicã à Socrate conſtitui, ac ſi vrbs & ciuitas quadam externo præſidio teneretur, cuius præſidij præfectorumq́ue volũtate cuncta gererẽtur, vt cuſtodes in Platonis Repub. tanquam præſidium impoſitum eſſe videantur, cæteri tanquam ciues, quorum opibus præſidium alatur per mutuum odium, quod ſolet inter oppidanos, & præſidium impoſitum exiſtere.*

19 Quorundã ilotias, peneſtias, ac ſeruitutes. *Ruſtici qui agros Lacedæmonijs colebãt, Ilotes dicebãtur, vt Peneſtæ, qui Theſſalis, & alij id genus, alijs ſeruitutis nominibus apud alios nominabantur, vt ipſe poſtea cõmemorabit.*

20. Sint ne eodem modo neceſſaria. *Vtrum hæc incommoda perinde ac ſuperiora neceſſariò ex iſta lege conſequantur.*

21. Quales iſti ſint. *Quomodo affecti & animati ſint cæteri ciues, vt in officio & cuſtodum ſocietate contineantur.*

22. Sumpta à belluis ſimilitudine. *Vt ex canibus pecuarijs. Plato inquit non ſolũ mares, ſed etiam fœminæ contra lupos, & cæteras maleficas feras in pugnam procedunt: ſic non viri tantum, ſed etiam mulieres in bellum prodire debent. quæ ratio idcirco infirma eſt, quoniam in belluas ratio rei familiaris non cadit: nec beſtiæ hac facultate funguntur, vt homines. Quæ diuerſitas facit, vt mulieres cuſtodiæ domeſticarum rerum addictæ domi ſeſe debeant cõtinere, non autem belluæ.*

23. Admiſtum eſt aurum. *Plato in tertio de Repub. Socratem inducit, qui per fabulam & ſimilitudinẽ quandam homines à Deo ſic genitos eſſe tradit, vt qui apti futuri eſſent ad imperandum, ijs aurũ admiſceret: qui verò his futuri eſſent auxilio, eis argentum: æs autem & ferrum futuris agricolis & opificibus: quod ad ingenium potiſſimum & virtutes naturales referendum eſt. qua ratione effici dicit Ariſtoteles, vt ijdem ſemper per Platonem imperium tenere debeant, quibus ſcilicet aurum eſt à prima generatione inſitum. Nec enim aurea illa natura mutatur, ex alijsq́ue in alios tranſit.*

24 Cum tollat cuſtodum feliciratem. *Cum eam conditionem cuſtodibus tribuat, in qua non poſſunt eſſe felices.*

25 Nō enim horum eſt eſſe felices, quorum eſſe pares numero. *Nō eſt eadem ratio felicitatis, quæ numeri paris. Par numerus vt definit Euclides ele. 7. eſt numerus qui bifariam diuiditur, id eſt in duas partes æquales. fieri ergo poteſt vt totus numerus ſit par, cuius nulla pars ſit par: vt numerus duodecim, ſi in quatuor æquas partes; quæ ternis hominibus exempli gratia conſtent, diuidatur, quum partium in quas diuiſus eſt nulla ſit par, totus tamen numerus par eſt, quod in ciuitate non accidit: non enim omnis ciuitas felix eſſe poteſt, quia ex partibus, in quas diuiſa eſt, aliqua felix habeatur.*

CAPVT IIII.

1 CAETERVM quia ferè in legibus quæ poſtea fuerunt conſcriptæ, ſimiliter ſeſe res habet, ſatius fuerit 2 de Republica, quæ hic traditur, pauca differere: 3 quoniam in Republica Socrates de paucis omnino, hoc eſt de vxorum & filiorum, & patrimoniorum communitate, deque ordine Reipublicæ diſputauit. 4 Nam incolentium multitudinem in duas partes diſtribuit, quarum altera eſt agricolarum, altera eorum qui bellum propulſant: ex his autem tertia conſultorum exiſtit, & quorum arbitrio Reſpublica gubernatur. Veruntamen agricolæ & artifices nullo an aliquo imperio fungi debeant, tenere arma, & ſimul bellum gerere, an ſecus, nihil Socrates definiuit: mulieres tamen ei bellum gerere, & eadem qua cuſtodes diſciplina inſtitutas eſſe placet. Cæterum diſputationem extrinſecus allatis ſermonibus repleuit, & qualis eſſe debeat cuſtodum diſciplina, commemorauit: 5 opus autem de legibus, maxima ex parte leges ſunt. De Republica pauca diſputauit: quam dum vellet 6 communiorem ciuitatibus facere, paulatim 7 in alteram Rempublicam vertit. Nam excepta vxorum & bonorum communione, cætera eadem vtrique Reipublicæ tribuit: quum eandem diſciplinam eſſe cenſeat, & 8 operum neceſſariorum vacationem: eodemque modo de comeſationibus decernit, niſi quod in hac oportere ait, vt ſint etiam mulierum comeſationes, & illam quidem mille hominum arma tenentium, 9 hanc verò quinque millium. Itaque 10 omnes Socratis ſermones nimis elaborati ſunt & compti, & qui tum rerum nouarum, tum inquirendi ſtudium præ ſe ferant: ſed difficile fortaſsis eſt, rectè omnia præſtare. Nam multitudinem quantam modo memorauimus 11 quis non videat Babyloniā, vel immenſam aliam regionem deſiderare,

Marginal numbers: 1. 2. 3. 4. 5. 6.7. 8. 9. 10. 11.

vnde quinque millia ocioſorum virorum, & alia præterea multis partibus maior mulierum ſeruorumque turba ali poſſit. Sic igitur
12. 12 optare ac ponere oportet, vt tamen nihil ponatur impoſſibile. Duo legumlatori in legibus condendis ſpectanda eſſe tradit, regionem, & homines: at nihilo ſecius addere oportuit, vt rationem vicinorum locorum habeat, ſi ciuitati vita eſt agenda ciuilis. nec enim ſolum armis vti neceſſe eſt, quæ vſui ſint in ſuis finibus, ſed
13. quæ ad externa loca poſſint accommodari. quòd 13 ſi quis talem vitam nec ſingulorum priuatam, nec publicæ ciuitatis probet, tamen nihilominus hoſtibus oportet non ſolùm cum fines inuadũt,
14. 14 ſed etiam cum abierint, eſſe formidabiles. Quod verò pertinet ad patrimoniorum magnitudinem, videndum eſt ne ſatius fuiſſet aliter, hoc eſt apertius definire. Nam oportere ait tantum ſuppetere patrimonij vt temperanter viuatur, quod perinde eſt ac ſi quis dicat, vt bene viuatur: hoc enim eſt magis vniuerſale. præterea fieri poteſt, vt temperatè quidem, calamitosè tamen viuatur. At
15. commodius definiſſet, 15 ſi temperatè & liberaliter dixiſſet: quo-
16. rum 16 hoc per ſe delitioſæ, illud laborioſæ vitæ comes eſt. Nam ex habitibus hæ duntaxat virtutes in vſu pecuniarum verſantur: quoniam manſuetè exempli gratia, vel fortiter vti pecunijs non
17. licet: temperanter & liberaliter licet: 17 ac proinde vſus in pecu-
18. nijs ipſis verſari neceſſe eſt. 18 ſed & illud eſt abſurdum, æquationem bonorum inducere, & de ciuium multitudine nihil conſtituere, ſed indeterminatam relinquere filiorum procreationem, quaſi quocunque numero generentur: tamen per mulierum ſterilitatem multitudo ſit ad æqualitatem reditura, propterea quòd in ciuitatibus id nunc vſu venire videatur. Atqui res non perinde ad amuſſim ſeſe habere poteſt in illa, & in his quibus nunc vtimur ciuitatibus. Nunc enim nemo idcirco egenus eſt, quod bo-
19. na in quotcunque partes diuidantur: 19 tunc autem bonis indiuiſis, qui extra ordinem ac numerum exiſterent, ſiue plures, ſiue pauciores, hi vt nihil haberent, neceſſe eſſet: itaque de filiorum procreatione magis etiam quàm de bonis conſtitui oportere non temerè dicas, ne filiorum multitudo certum numerum excedat. Quam multitudinem ſi quis ponat ſpectata fortuna, ſi forte accidat eorum qui geniti fuerint aliquos mittere, & hoc habita mulierum ſterilitatis ratione, vt in alijs ciuitatibus permittat: neceſſe fuerit hoc cauſam eſſe ciuibus paupertate laborandi, quæ paupertas

pertas ſeditiones & maleficia parit. Phidon Corinthius legum-
lator vetuſtiſſimus, vt domus æquales permanerent, oportere cen-
ſuit, atque item ciuium multitudo, quamuis ab initio cuncti fue-
rint patrimonia inæqualia magnitudine ſortiti: 20 cuius contrari- 20.
um in his legibus habetur. Cæterum de his quomodo nobis com-
modius ſtatui poſſe videatur, poſtea diſſeremus. Illud quoque
quod magiſtratus attingit, in his legibus eſt omiſſum, quomodo
qui magiſtratibus præeſſe debent, ſubiectis erunt præſtantiores.
Nam vt ex alia lana ſtamen quàm trama conficitur: 21 ſic, inquit, 21.
qui tenent imperium, ſubiectis comparari ſeſe habeant oportet. Cę-
terum cum totum patrimonium 22 ad quintuplũ augeſcere ſinat, 22.
quid tandem eſt cauſæ, cur hoc in agris quadam tenus fieri nõ per-
mittat? Videndum eſt etiam ne non ſatis commodè ad rei fami-
liaris adminiſtrationẽ 23 domorum areæ diuidantur: nam binas 23.
areas ſingulis in partitione diſtribuit. at difficilè eſt duas domos
inhabitare. Præterea vniuerſa Reipublicæ ratio, nec ſtatus popula-
ris eſſe videtur, nec paucorum potentia, ſed horum media forma,
quam 24 Rempublicam appellant, 25 cum ex ijs qui arma tenent, 24.25.
conſtituatur. Si hanc igitur Reipublicæ formam velut 26 ciuitati- 26.
bus omnium communiſſimam conſtituit, rectè fortaſſe dixit: ſin
autem vt optimam poſt primam, non rectè ſtatuit. Nã fortaſſe La-
conicam iuſtiorem laudem ferat, 27 vel ſi qua eſt alia, quę magis ad 27.
ſtatum optimatum accedat. Quidam igitur ſic optimam Reipubli-
cæ formam fore confirmant, ſi fuerit ex omnibus formis tempera-
ta. Quapropter Lacedæmoniorum Rempublicam laudibus effe-
runt: hãc enim nonnulli ex paucorum potentia, & vnius imperio,
& ſtatu populari conſtare tradunt. 28 Nam regium imperium vniꝰ 28.
eſſe principatum, Senatorum autem paucorum potentiam: ſtatum
verò popularem in Ephoris conſiſtere, propterea quod Ephori ex
populo deligantur. alij verò cum Ephororum imperium tyran-
nidem eſſe confirment, ſtatum popularem in comeſationibus,
& reliqua vita quotidiana conſtituunt. Sed in his legibus oportere
traditum eſt, vt optima Reſpublica ex populari forma atque ty-
rannide conſtet: qui duo ſtatus aut non ſunt Reſpublicæ aut ſunt
ex omnibus deterrimæ. Vt melius pręcipiant ij quibus ex pluribus
temperari placet: potior eſt enim ex pluribus conflata Reſpubli-
ca. Præterea Socratis Reſpublica nihil quod vnius principa-
tum attingat, habere videtur, ſed cuncta ad paucorum potentiam

& ſtatum popularem pertinentia: ita tamen vt in paucorum poten-
tiam magis inclinare videatur:quod ratio ipſa mandandi magiſtra
29. tus declarat. 29 Nam licet hoc ſit vtriquè ſtatui commune,vt ex
30. ſuffragio delectis ſorte deligantur: tamen 30 vt locupletiores ne-
ceſſario in concione deliberent,& in creandis magiſtratibus ſuffra
gium ferant, aut alio publico munere fungantur : alij ſint ab
hac neceſſitate liberi, hoc ad paucorum pertinet potentiam:
& item conari, vt qui magiſtratibus præeſſe debent,horum pars
maior ſit ex numero locupletum, & maximi quique magiſtra
31. tus primi cenſus locupletibus mandentur. Sed & 31 conſilij dele-
ctum paucorum potentiæ conuenienter facit. Cuncti enim neceſ-
ſario diligunt,ſed ex primo cenſu, deinde rurſus totidem ex ſecun
32. da claſſe,tum ex tertia:32 niſi quòd nō omnes tertię & quartæ claſ-
33. ſis neceſſariò ſuffragium ferunt. Porrò ex quarta claſſe deligere 33
ijs ſolum neceſſe eſt ex quatuor qui primæ ſunt, & ſecundæ claſſis:
34. 34 deinde ex his parem numerum ex ſingulis claſſibus deligen-
35. dum eſſe præcipit. 35 Itaq; plures & potiores ex maximis cenſibus
erunt,propterea quòd nonnulli populares non deligunt, quia de-
ligere non coguntur. Non igitur oportere vt huiuſmodi Reſpubli
ca ex populari ſtatu, & vnius imperio conſiſtat, tum ex his palàm
fit,tum ex eis quæ poſtea dicentur,cum res poſcet, vt de huiuſmo-
di Republica diſſeramus. In creandis verò magiſtratibus,ex dele-
ctis delegi,periculoſum eſt. Nā ſi qui mediocri numero cōſpirare
velint,ſēper delectus pro ipſorū voluntate fiet. quæ igitur pertinēt
ad Rempub. de qua eſt in libro legum, ad hunc modum ſeſe habēt.

Scholia in Caput IIII.

1 CAETERVM quia ferè in legibus. *Plato poſt opus de Republica libros de legibus conſcripſit, in quorum quinto alteram Reipublicæ formam diuerſam ab ea quam tradiderat in libris de Repub. tradit, & ſecundam Rē-pub. appellat, in quam deinceps Ariſtoteles differit, vt hactenus in illam, quam vocat primam, de qua eſt in libris de Republica: & inter primam & ſecundam nihil propemodum intereſſe docet, præter vxorum, filiorum, & patrimoniorum communionem quæ in prima non item in ſecunda ſancitur. Et illud quod in prima Repub. mille homines eſſe placet qui arma teneant ad vrbis cuſtodiam, in ſecunda quinque millia & quadraginta, quam multitudinem otioſorum virorum adiunctis ſeruis & mulierib. nimiam dicit Ariſtoteles. Ità*

in legibus

in legibus condendis non ſolum hominum, id eſt oppidanorum & regionis, ſed etiam vicinorum habendam eſſe rationem dicit: nec valde vniuerſaliter præcipiendum, nec vnius virtutis, aut vnius partis felicitatis legumlatori habendam eſſe rationem, ſed omnium.

2. De Repub. quæ hic traditur. *In libris de legibus.*

3. Quoniam in Republica. *In libris de Repub.*

4. Nam incolentium. *Hic eſt quaſi epilogus eorum quæ in prima Repub. traduntur, vſq; ad illa verba.*

5. Opus autem de legibus maxima ex parte leges ſunt. *Opus de legibus maxima ex parte conſumitur in tradendis legibus.*

6. Communionem facere ciuitatibus. *Qua plures ciuitates vti poſſũt. Nam vt ipſe docebit, quædam ſunt formæ Reipub. quæ non conueniunt multis ciuitatibus, nec cadere niſi in paucißimos poſſunt.*

7. Vertit in alteram Rempublicam. *Id eſt ſecundam Rempublicam ſimillimam primæ, ſiue eandem facit.*

8. Operum neceſſariorum vacationem. *Vt qui Remp. tuentur & adminiſtrant, ij nec agros colant, nec ſimilibus operibus, quæ ad vſus vitæ neceſſarios pertinent, fungantur.*

9. Hanc verò quinq; millium. *In ſecunda Repub. Platoni ciuitatem ex quinque millibus & quadraginta qui eam tueantur & moderentur, conſtare placet: in quo numero myſticum quendam ſenſum ſecutus eſſe videtur: ſed Ariſtoteles quadraginta vt paruum exceſſum, cauſa breuitatis omittit.*

10. Omnes Socratis ſermones. *Omnia Platonis ſcripta, in quibus Socrates inducitur. Plato enim ornatus, & orationis elegantiæ tam ſtudioſus fuiſſe traditur, vt ſcripta ſua pectinare diceretur: qui cum in cæteris libris Socratem nominatim inducat, tamen in libris de legibus ipſum nõ Socratem, ſed hoſpitem Athenienſem in vocat, vt apertè hoc loco Ariſtoteles interpretatur.*

11. Quis non videat Babyloniam. *Babylonia regio eſt latißimè patens bonam partem Meſopotamiæ & Aſſyriæ complectens, cuius & Chaldaicarum gentium caput fuit Babylon, vrbs miræ magnitudinis.*

12. Optare ac ponere. *Is optare ac ponere dicitur, qui quod maximè vellet, id verum eſſe ſtatuit.*

13. Si quis talem vitam. *Si quis vitam ciuilẽ nec in ſingulis priuatim probet, nec publicè in ciuitate.*

14. Sed etiam cum abierint. *Vt ſi hoſtes iniuriam agros vaſtando, aut incurſionibus inſectando, ac prædas agendo per occaſionem intulerint, metuãt*

tamen, ne poſtea illis perſequentibus pœnas luant.

15. Si temperanter & liberaliter dixiſſet. *Si oportere dixiſſet, vt tantum adeſſet patrimonij, quantũ ſatis eſſet ad tẽperatè & liberaliter viuendũ.*

16. Hoc per ſe. *Liberaliter viuere conſequitur vitam delitioſam, vt temperanter laborioſam: nam qui viuit in laboribus, temperanter viuere cogitur.*

17. Ac proinde vſus. *Quemadmodum ex habitibus duæ illæ virtutes verſantur in pecunijs, ſic item ipſarum actiones: nam virtus eſt habitus electiuus, Ethicorũ ſecundo: & quo pertinet habitus, huc quoque actio & vſus eiuſdem pertinere ac referri debet.*

18. Sed & illud eſt abſurdum, æquationem bonorum. *Plato in libro quinto de legibus nõ ſic æquat patrimonia, vt nullus ciuis plus altero poſſideat. Nam quatuor claſſes pro cenſuum diſcrimine facit, tamen in prima ciuitatis inſtitutione, & agrorum atq; opũ partitione, pares ſortes ciuibus omnibus tribui iubet, quam Ariſtoteles bonorum æquationem vocat: deinde permittit vt ea ſors in duplum, triplum, & quadruplum augeatur: qui gradus cenſuum diſcrimina claſſeſq; faciunt. Sed & illud ſanciendum eſſe dicit, ne quis aut minus poſſideat prima illa ſorte, aut plus quadruplo: qua alia ratio eſt æquãdi patrimonia, quæ omnia certis terminis contineri placet.*

19. Tunc autem bonis indiuiſis. *Nam & illud Socrati placebat, vt ne bona ſingulorũ ciuium in filios diſtribuerẽtur, ſed pater omnia relinqueret vni filio, quẽ magis probaret, vel amaret: quo fieri neceſſum eſſe ait, vt qui extra numerũ definitum quinque millium naſcerentur, inopia laborarẽt: Itaq; numerum etiam procreandorum filiorũ præſcribere oportuit: nec id fortunæ cõmittere, ſi forte accidat vt ex generatis tot intereãt, vt multitudo ciuium ſic ad numerum æqualem primo redeat: nec putare quarundam mulierum ſterilitate poſſe aliarum fœcunditatem compenſari, & ſic quoque numeri æqualitatem redituram.*

20. Cuius contrarium. *Nam Phidoni ſic patrimonia æquari placebat, vt etiã ſi in prima ciuitatis inſtitutione homines cum patrimonijs inæqualibus cõuenirent, hæc tamen æquanda eſſent, ne plus altero alter poſſideret. Plato cum ſortes & prima patrimonia paria eſſe velit, tamen vt in quadruplum vſq; augeantur, & habeantur inæqualia permittit.*

21 Sic ſe habeant. *Vt qui tenent imperium, quaſi trama quæ ſit ex meliore lana, ſubiecti, quaſi ſtamen ſint.*

22. Ad quintuplum augeſcere. *Mirum eſt Ariſtotelem ad quintuplũ dicere, cũ in libro quinto de legibus Plato ad quadruplum dicat: niſi forte quòd ſuſpicor vitio librariorum factũ eſt, vt in Ariſtotelicis exemplaribus πενταπλασίας ſcriptum ſit, pro τετραπλασιάς, quintuplum pro quadruplo.*

23. Do-

23. Domorum area. *Area domus eſt ſpacium terræ, ſolúmue, in quo domus ædificatur.*

24. Rempublicam appellant. *Communi vocabulo quaſi proprio.*

25. Conſtat enim ex ijs qui arma tenent. *Quibus & principes & populi continentur, quorum vtriuſq; magiſtratus communicantur: quæ res facit Rempublicam cõmuni vocabulo nominatam, ſi publica cõmoditas ſit, quaſi finis propoſita.*

26. Ciuitatibus omniũ communiſſimã. *Quæ omniũ rerum publicarũ maximè ſit ciuitatibus cõmunis, id eſt poſsit pluribus ciuitatibus conuenire.*

27. Vel ſi qua eſt alia. *Quaſi dicat, qualibet Reſpub. optimatũ melior eſſet, quàm hæc Reſpubli. Platonis. Nam ſtatus optimatũ vt regno poſtponitur, ſic toto genere Reipub. communi vocabulo nominata præfertur, vt ipſe libro tertio docet.*

28. Nam regium imperiũ. *Reſpub. Lacedæmoniorum binos reges perpetuos habebat, quinos Ephoros, qui magiſtratus erat annuus & ex omni populo, ac idcirco ſæpe ex plebe deligebatur, licebatq; à Regibus ad Ephoros prouocare.*

29. Nam licet hoc ſit. *Hæc erat communis ratio deligendi magiſtratus apud Platonẽ, vt aliquot certo numero deligerentur ſuffragio: deinde ad pauciores ijdẽ ſortibus redigerentur, quorum alterum vt ſuffragio deligãtur, pertinet ad paucorum potẽtiam: pauci enim erãt, & hi magna ex parte ex locupletibus qui ſuffragio delecti Rempub. gerere debebant. quod verò delectus ad ſortes deducatur, populare eſt, vt ipſe poſtea declarabit.*

30. Vt locupletiores neceſſario. *Paucorũ potentia, quæ græcè dicitur ὀλιγαρχία. eſt Reſpublica vbi pauci diuites ſuo arbitratu Rempub. moderãtur, de qua multa diſſerit libro quarto, vbi commenta quædam & fraudes commemorantur, quibus diuites popularium animos ad confirmandam ſuam potentiam eludunt: quarum fraudum & technarum vna eſt, vt magnis pœnis neceſsitatem diuitibus, vt conſultationibus ac magiſtratuum creationibus, & cæteris publicis muneribus interſint, imponant: pauperibus ſummam libertatem, & publicorum munerũ vacatiõnẽ, ſi velint, concedant hac enim ratione fit vt pauci diuites Rempub. non inuitis pauperibus gerant: quod cum fieri in hac Republica lege ſanciatur, declarat ipſam ad paucorum potentiam inclinare.*

31. Conſilij quoq; delectum. *Conſultorum, ſiue ſenatorũ deligendorũ: hæc erat ratio in ſecunda Platonis Repub. vt quotannis trecenti ſexaginta ex omnibus claſsibus quæ quatuor erant, deligerentur: ex vnaquaque nonageni, in hunc modum, vt primum ex primi cenſus claſſe nonaginta omnium cuiuſq;*

claſſis ſuffragio deligerentur, pœna conſtituta, ſi quis ſuffragium non tuliſſet: deinde totidem ex ſecunda eodem modo: tum ex tertia claſſe item nonaginta, ſed ita vt in hoc tertio delectu liberũ eſſet ijs qui eſſent ex vltima claſſe ſuffragiũ ferre vellent, an ſecus: poſtremo vt ex quarta claſſe itidẽ nonaginta deligerentur, ſed ita vt ex prima claſſe & ſecunda omnes ſuffragium neceſſario ferrent: ex tertia verò & quarta qui vellent, tũ hi trecenti ſexaginta eodem modo per ſuffragia ex ſingulis claſſibus ad dimidium, hoc eſt ad centum octoginta, & hi poſtremo ſortibus ad nonaginta Senatores ſeu conſultores redigerentur. hæc ex ſexto libro de legibus, quæ Ariſtoteles hoc in loco breuius & obſcurius commemorat.

32. Niſi quod non omnes tertiæ & quartæ claſsis. *Nam in delectu ex tertia claſſe faciendo non omnes ex tertia & quarta claſſe liberi erãt. vt in delectu ex quarta, ſed ij ſolum, qui erant quartæ.*

33. Ijs ſolum neceſſe eſt ex quatuor. *In emẽdatioribus ſcilicet exemplaribus τεττάρων legitur, non τετάρτων ex quatuor igitur claſſibus prima & ſecunda neceſſario ſuffragium in quarto delectu ferebant: tertij verò & quarti ſi nollent, nulla pœna ferre cogebantur.*

34. Deinde ex his parem numerum. *Ex ſingulis claſſibus in ſecũdo delectu, ex trecentis ſcilicet ſexaginta, parem numerum ex ſingulis, id eſt quadragenos quinos ex ſingulis, vt in centũ octoginta, deinde ſortibus in nonagiñta redigantur.*

35. Itaque plures. *ii ſcilicet quorum ſuffragio & voluntate Senatus ſiue conſilium deligitur: quæ ſuffragatio & delectio magna pars Reipub. adminiſtrationis eſſet, cum fieret ſingulis annis, hunc enim magiſtratum annuum, non perpetuum eſſe placebat.*

CAPVT V.

1. SVNT aliæ Reſpublicæ partim ab indoctis hominibus, par-
1. tim à philoſophis & viris ciuilibus conſtitutæ, quæ omnes propius 2 his duabus ad eas quibus nunc homines vtuntur, accedunt.
2. Nemo enim alius per ſtudium rerum nouarum communitatem filiorum & vxorum, nec mulierum comeſationes induxit, ſed à rebus neceſſarijs potius exordiuntur. Quibuſdam enim totius negotij caput eſſe videtur, vt rectè de patrimonijs ſtatuatur, de his enim ſeditiones cunctis exiſtere: itaque 3 Phaleas Chalcedonius
3 hoc primus induxit, qui ciuium patrimonia æqualia eſſe oportere tradidit, quod in ipſa ſtatim ciuitatis conſtitutione non putat eſſe factu difficile. conſtituta igitur ciuitate maius eſſe negotium, poſſe

poſſe tamen celerrimè ad æquilitatem hac ratione reuocari, vt diuites dotes præbeant, nec accipiant: pauperes è diuerſo Cæterum Platoni dum leges ſcriberet, bona quadam tenus augeri permitti placuit, plus tamen minimi patrimonij quintuplo quenquam ciuem, vt ſuprà memorauimus, poſſidere vetat. Cæterum qui leges huiuſmodi ferunt ijs, quod nunc ignoratur, cognitum eſſe debet, qui patrimoniorum magnitudinem conſtituit, huic filiorum numero terminum eſſe præſcribendum. Nam ſi filiorum numerus patrimonij magnitudinem excedat, legem diſſolui neceſſe eſt. & illud præterea malum conſequetur, quòd 4 multi fient ex diui- 4.
uitibus egeni. quod hominum genus difficile factu eſt, non eſſe rerum nouarum ſtudioſum. Aequationē igitur bonorum vim quandam ad ſocietatem ciuilem habere, veterum etiam quibuſdam cognitum fuiſſe videtur. 5 vt Solon lege ſanciuit, & apud alios lex eſt, 5.
quæ agri quantum cuique libeat, poſſideri vetat. Et pari ratione patrimonia vendi legibus prohibentur, 6 vt apud Locros lege cautum 6.
eſt, ne cui ſua bona vendere liceat, niſi docuerit ſeſe in manifeſtam calamitatem incidiſſe, vtque vetera patrimonia ſalua retineantur. Cuius legis neglectus 7 Leucade Rempublicam nimis popu- 7.
larem effecit, cum iam à definitis cenſibus magiſtratus obire non daretur. Cæterum fieri poteſt vt patrimonia ſint paria, hæc tamen vel tam abundè ſuppetant, vt delitioſè viuatur: vel tam parcè, vt ſordida vita ſit, ac illiberalis. Itaque non ſatis eſt à legumlatore æquari patrimonia, niſi etiam ad medium ſpectetur. Sed nec patrimonia ad mediocritatem redigere prodeſt, niſi cupiditatibus magis etiam quàm patrimonijs modus imponatur. quod fieri non poteſt, niſi ciues diſciplina legum quantum ſatis ſit, erudiantur. Sed dicat fortaſſe Phaleas hæc à ſe fuiſſe tradita, qui duarum rerum fortunarum, & diſciplinæ æqualitatem ciuitatibus adeſſe oportere cenſeat. At ea diſciplina quænam ſit, explicare oportuit: nec prodeſt vnam & eandem eſſe diſciplinam. Fieri enim poteſt vt ſit vna & eadem, ſed huiuſmodi, vt homines ex ea fiant ad ſibi vel pecuniarum vel honoris, vel vtriuſque plus iuſto vendicandum procliues. Præterea ſeditiones non modo propter fortunarum, ſed etiam propter honorum inæqualitatem exiſtunt. ſed diuerſa vtrobique ratione. Vulgus enim de bonorum inæqualitate 8 qui verò aliqua virtute ſeu facultate præſtant, ij 8.
de honoribus diſſident, ſi pares tribuantur. vnde illud,

Improbus atque probus pariter donantur honore.

Neque verò ſolùm propter res neceſſarias ad iniuriam inferendam
9. homines impelluntur, quorum 9 medicinam eſſe putat in bonorum æquatione, ſcilicet ne frigore & fame furari cogantur: ſed etiam vt potiantur voluptatibus, nec concupiſcant. Nam ſi cupiditas
10. vltra res neceſſarias procedit, iniuriam inferunt, 10 vt ei cupiditati medeantur. Nec ſolum medendi gratia ad iniuriam impelluntur,
11. ſed etiam ſi cupiant, vt 11 voluptatibus dolore carentibus potian-
12. tur. Quæ igitur erit 12 horum trium medicina? nempe illis primis
13. tenue patrimonium, ac vt in opere ſint occupati: 13 ſecundis temperantia: tertiam verò medicinam ſi quis velit per ſe ſolus frui
14. voluptate, non aliunde petat, quàm à philoſophia. Nam 14 cæteræ tales voluptates cum à philoſophia diſceſſeris, ſine hominibus non contingunt. Cæterum maximæ iniuriæ non rerum neceſſariarum cauſa, ſed propter immodicas cupiditates inferuntur: vt tyrannides occupantur non frigoris effugiendi gratia. quo fit vt magni honores diſcernantur, non ſi quis furem occidat, ſed ſi tyrannum de medio tollat. Itaque Reipublicæ ratio quam Phaleas inſtituit, ad paruas duntaxat iniurias repellendas eſt accommodata. Præterea hoc agit magna ex parte, vt inſtituta tradat, quibus inter ſe ciues rectè ſeſe in ciuili ſocietate gerant, cum tamen idem in vicinos & externos omnes præſtare conueniat. Itaque Rempublicam ſic inſtitutam eſſe oportet, vt vires habeat, & belli gerendi facultatem, de qua ille nihil præcepit. Eadem eſt pecuniarum ratio, quæ non ſolum ad vſus ciuiles, ſed etiam ad externa pericula ſuppetere debent. igitur nec tam magnæ debent eſſe diuitiæ, vt à vicinis & potentioribus appetantur, poſſeſſores verò nequeant inuadentes repellere: nec tam exiguæ, vt ad bellum etiam ſi ab æqualibus numero & ſimilibus inferatur, propulſandum non ſufficiant. Ille igitur nihil definiuit, cum tamen ignorare non oporteat quantas diuitias ciuitatibus
15. adeſſe conueniat: quarum fortaſſis hæc 15 fuerit optima finitio, ne potentioribus vtile ſit bellum ciuitati propter eius nimias opes inferre, ſed ita vt etiam ſi non tantopere diuitijs afflueret, bellum tamen eſſet inferendum. Quemadmodum Eubolus Autho-
16. phradatem 16 Atarnêa oppidum obſidione cingere molientem, tempus & ſumptus quibus opus eſſet ad oppidum recipiendum conſiderare iuſſit: quippe intellecturum ſe minore præmio adduci poſſe,

eſſe,vt Atarnêa relinqueret.quibus verbis effecit, vt Autophradates facta ſecum æſtimatione,obſidione deſiſteret. Eſſe igitur ciuibus æqualia patrimonia, nonnihil ad tollendas occaſiones inteſtinæ ſeditionis conducit:hoc tamen nullam propè dixerim facultatem habent,qua magnopere poſſit ſeditionibus occurri.Nam qui virtute præſtant, iniquo animo ſibi indigniores æquari paterentur:quamobrem ſæpe conſpirare,& ſeditiones commouere notantur. Ad hæc hominum improbitas inſatiabilis eſt. & qui primum binis obolis reque tenui contenti fore videbantur:cum hoc iam factum fuerit hæreditarium, ſemper plura deſiderant, infinita quadam & inexplebili appetentia ſollicitati: cum natura cupiditatis, in qua explenda vita vulgi eſt occupata,nullis finib.contineatur. Principium igitur & quaſi 17caput huiuſmodi negotij eſt non tã ęquatio 17. bonorum,quàm prouiſio vt probi natura ſic afficiantur,vt plus iuſto ſibi vendicare nolint:improbi,vt nequeant. Quod ita demum fiet,ſi 18praui ſint quidem inferiores, iniuria tamẽ non afficiantur. 18. quanquam nec de bonorum quidem æquatione rectè Phaleas conſtituit:qui,cum ſeruis etiam & pecore,numiſq;,& magno ſupellectilis inſtrumento diuitiæ conſtent, ipſas tamen agrorum duntaxat poſſeſſiones æquandas eſſe cenſuit:vel omnia igitur æquanda, & in mediocrem ordinẽ redigenda ſunt,19 vel cuncta miſſa facienda Videtur autem ex ipſa condendarum legum ratione exiguam ciuitatem conſtituere:ſiquidem 20 artifices publici eſſe, 21 nec ad ciuitatis complementum pertinere debet.At ſi publicos eſſe oportet, qui in publicis operibus elaborant,22 Epidamni mos eſt imitandus:atque ratio tenenda eſt quam olim Athenis Diaphantes inſtituit,ac Phaleæ quidem Reſpublica rectè an ſecus inſtituta fuerit,ex his ferè exiſtimare licet. 19. 20. 21. 22.

Scholia in Caput V.

1 SVNT & aliæ Reſpublicæ. *Poſtquam in vtranque Platonis Rempub. diſſeruit,alias aggreditur,ſed eam primum,quam Phaleas inſtituit,ſiue tradidit:cui placuit inprimis vt paria eſſent ciuium patrimonia: nec tamen de numero procreãdorum filiorum quicquam ſtatuit.qui ſi plures fuerint quàm pro ratione patrimoniorum,fore ait Ariſtoteles vt lex diſſoluatur,vtpote iniqua:& multi fiant ex diuitibus pauperes. Quod genus hominum rebus nouis ac ſeditionibus ſtudere ſolet:& parum eſſe æquari patrimonia, niſi mediocritas etiam patrimoniorum conſtituatur: nec hoc ſatis eſſe, niſi cupiditatibus modus*

modus per diſciplinam & legem imponatur. Quæ omnia cum adſint, fieri tamen poſſe vt ex bonorum inæqualitate ſeditiones exiſtant. quibus malis à Phalea non eſt prouiſum, qui leges etiam tradit, quibus parua iniuria, non quibus magnæ repellantur: & quæ pertinent ad mutuam ciuiũ inter ipſos conſuetudinem, non habita vicinorum, nec externorum ratione: nec terminum opibus ſtatuit, quas optimè hoc termino finiri ait Ariſtoteles, ſi non tam longè proceſſerint, vt eis inuitati potentiores bellum inferant: ſeditiones autem nõ tam æquatione bonorum tolli dicit, quàm ea prouiſione, vt qui natura ſunt ad virtutem propenſi, ſic inſtituantur, ne plus iuſto concupiſcant: improbis autem facultas aliena inuadendi tollatur.

2 His duabus. *A Platone traditis.*

3 Phaleas Chalcedonius. *Ex vrbe Chalcedone, quæ eſt in Bithynia contra Bizantium.*

4 Multi fient ex diuitibus egeni. *Qua ratione fieri dictum eſt ſuprà in Platonis ſecunda Repub. Nam ex patre locuplete ſi multi oriantur filij, vno excepto ad quem totum patrimonium peruenerit, reliquos ex diuitibus parentibus, & locuplete familia pauperes fieri neceſſe eſt.*

5 Vt Solon lege ſanciuit. *Non vt paria eſſent patrimonia, ſed vt certo fine patrimonia continerentur. Quatuor enim claſſes ex cenſibus conſtituiſſe à Plutarcho traditur. Quarum prima eſſet quingentorum medimnorum cenſus. Erat autem medimnus menſura rerum ſiccarum, vt frumenti, quæ ſenos modios Romanos capiebat, vt viri docti & diligentes rationem inierunt.*

6 Vt apud Locros. *Locri gens eſt Aetolis proxima Plinio, & item altera, quæ olim Leleges dicebatur, & tertia ad fretum Syculum in Italia.*

7 Leucade Rempub. *Leucas oppidum eſt in Leucadia peninſula. Epiri, vbi cum contra legem vetera patrimonia venderentur, & ſic diuiſa ad plures perueniſſent, lex quoque violata eſt, qua definiti erant cenſus, quibus magiſtratus tribuebantur. Itaque Reſpub. nimis popularis facta eſt, cum à paruis cenſibus & fortaſſe nullis, magiſtratus gererentur.*

8 Qui aliqua virtute ſeu facultate præſtant. *χαρίεντες ſolent ab Ariſtotele vocari, qui vel doctrina & ingenio, vel prudentia & virtute præſtant: quæ omnia virtutis & facultatis nomine complexus eſt interpres. Hi ergo propter bonorum & magiſtratuum diſtributionem diſſidere ſolent. Si pares honores virtute aut facultate imparibus tribuantur, quod eſt contra iuſtitiam diſtributiuam, de qua eſt in Ethi. quinto.*

9 Medicinam eſſe putat. *Exiſtimauit Phaleas.*

10 Vt ei cupiditati medeantur. *Dolori quem affert cupiditas, quoniam omnis cupiditas cum dolore eſt, vt ipſe teſtatur Ethic. Eude. lib. ij.*

11 Volu-

11 Voluptatibus dolore carentibus. *Quæ nullo aut quam minimo cupiditatu antecedente dolore contingunt, vt quæ ex doctrinis, quæq́; auditu, viſu, & odoratu capiuntur, vt ipſe declarat Ethic x. Eas enim voluptates quæ per tactum & guſtatum fiunt, fames aut ſitis antecedit: vt venereas quæ pertinent ad tactum vehemens quædam appetitio: quæ non accidunt ſine dolore.*

12 Horum trium. *Cupiditatum rerum neceſſariarum, voluptatum cum dolore, voluptatum ſine dolore.*

13 Secundis temperantia. *Nam temperantia in temperandis voluptatibus, quæ ad tactum & guſtatum pertinent verſatur, Ethic. iij.*

14 Cæteræ tales. *Vt quæ ex auditu & colloquio, & honore habito percipiuntur, quæ vni homini ſine aliorum conſuetudine non contingunt, cum philoſophari vel maximè vni in ſeceſſu & ſolitudine liceat.*

15 Optima fuerit finitio. *Optimus terminus, quo diuitiarum magnitudo contineatur, ſiue ratio qua debeat conueniens magnitudo & modus diuitiarum explicari, vt potentiores ad bellum inferendum non inuitentur vtilitate ex magnitudine diuitiarum percipienda: ſed ita inferant, vt etiam ſi ciuitas non eſſet tam opulenta, nihil ſecius eſſent illaturi.*

16 Atarnea oppidum. *Inter Myſiam & Lydiam. Eubolum autem Athenienſem fuiſſe comœdiarum ſcriptorem Suidas eſt auctor.*

17 Caput huius negotij. *Potiſsima ratio ſeditionum occiſiones tollendi.*

18 Praui ſint inferiores. *Improbi minus potentiæ ac virium habeant.*

19 Vel cuncta nulla facienda. *Aut nullius partis diuitiarum æquatio facienda.*

20 Artifices publici eſſe debent. *Si opifices futuri ſunt ſerui publici.*

21 Nec ad ciuitatis complementum pertinere. *Non debent partes eſſe ciuitatis.*

22 Epidamni mos eſt imitandus. *Vt artifices non ſint pars ciuitatis, vt Athenis olim ſanxerat Diophantus, & nunc mos eſt Epidamni. Eſt autem Epidamnus opidum in ora Macedoniæ, quod Romani deducta colonia Dyrrachium appellarunt, mutato nomine, quod inauſpicatum eſſe videbatur.*

CAPVT VI.

1 HIPPODAMVS Mileſius Euriphontis filius, qui ciui- 1.
tatum partitionem inuenit, & 2 Piræum abſcidit, quique dum am- 2.
bitioni ſeruiret tam curioſè vixiſſe traditur, vt quibuſdam luxurio-
ſius viuere videretur, prolixa coma & 3 ornatu pretioſo, tum co- 3.
mæ, tum etiam veſtis, quam 4 pretioſam quidem, ſed calidam non 4.

5. hyeme ſolum, ſed etiam æſtate geſtabat. Hic igitur Hippodamus 5
dum nullam naturæ partem vellet intactam relinquere, primus o-
mnium qui non ſunt in Reipublicæ adminiſtratione verſati, ali-
quid de optimo ſtatu Reipublicæ diſſerere conatus eſt. Sic autem
ciuitatem conſtituit, vt hominum decem millibus conſtaret eſſet-
que tripartita diuiſa. Nam vnam partem opifices fecit, alteram agri-
colas, tertiam eos qui armis vrbem tuerentur. Agrum quoque in
tres partes diuiſit, quarum vna ſacra, altera publica, tertia priuata
6 eſſet. Sacra vnde 6 iuſta ſacrorum dijs immortalibus fierent: pub-
lica, vnde præſidium vrbis aleretur: priuata, quæ agricolarum eſſet.
Legum tria tantum eſſe genera exiſtimabat: nam de quibus iudi-
cia ferantur, hæc totidem eſſe numero, contumeliam, damnum,
& cædem. Conſtituebat autem vnum tribunal, cuius eſſet ſumma
7. poteſtas, & 7 quo cauſas omnes quæ non rectè dijudicatæ fuiſſe
viderentur, referri oporteret: idque ex quibuſdam deligendis ſeni-
bus conſtituebat: neque verò ei ſententias in tribunalibus per cal-
culos ferri placebat, ſed vt tabella ſuam quiſque ſententiam decla-
raret inſcripta, ſi ſimpliciter damnaret: vacua, ſi ſimpliciter abſol-
ueret: ſin partim damnaret, partim abſolueret, vt hoc ipſum expli-
8. caret. 8 Nunc enim haud rectè ſancitum eſſe cenſebat. Cum hæc
aut illa iudicantes peierare ſit neceſſe, legem quoque tulit vt præ-
mium eſſet propoſitum, ſi quis aliquid quod eſſet commodum ci-
uitati comperiſſet: vtque filij eorum qui in bello mortem oppetiſ-
ſent, de publico alerentur, nondum ſcilicet erat hoc apud alios in-
ſtitutum. Nunc enim & Athenis & in alijs ciuitatibus lege ſancitum
eſt, & cum magiſtratuum delectum populi ſuffragio permittat, po-
9. pulum 9 tres illas partes ciuitatis facit, qui magiſtratus delecti re-
rum communium, & earum quæ ad peregrinos & orbos pertinent,
curam gerant. Hæc igitur ferè ſunt maxima & potiſſima inſtitu-
ta, quibus Hippodamus in ordinanda Repub. vſus eſt. Sed in mul-
titudinis ciuium partitionem illud primum abijci poſſe videtur:
quòd artificibus, agricolis, & ijs qui arma tenent, cunctis denique
generibus Reſpub. communicatur. Sed vt agricolæ non habeant ar-
ma: artifices nec agros, nec arma, vt penè ſerui armatorum effici-
antur. vt igitur ijs omnes honores communicentur, fieri non
10. poteſt. Nam bellorum duces, & 10 ciuium cuſtodes, ac omnes
ferè qui maximis magiſtratibus præſint, ex ijs deligi, penes quos
arma ſunt, neceſſe eſt. Quòd ſi opificibus & agricolis communi-
catio

ratio Reipublicæ negatur, quomodo hi poſſunt amicos animos in
Rempublicam gerere? Veruntamen oportet vt armati vtraque
parte potentiores ſint: quod difficile factu eſt, niſi magno nume-
ro ſint. Quòd ſi ita eſt, quid attinet cæteris Rempub. communica-
ri, aut ipſorum arbitrio creari magiſtratus? Ad hæc agricolæ qua
in re poſſunt vſui eſſe ciuitati? Nam artifices adeſſe neceſſarium
eſt: quippe cum in omni ciuitate deſiderentur, & poſſint ex arti-
ficio viuere, vt in alijs ciuitatibus fit. Agricolæ verò ſi arma tenen-
tibus victum ſuppeditarent, meritò in parte ciuitatis haberentur.
11 nunc agros habent priuatos, eoſque priuatim colunt. Præte- 11.
rea ſi agri publici alendis militibus deſtinati, ab ipſis militibus co-
lendi ſunt, pars militaris non erit ab agrorum cultoribus diuer-
ſa, vt eſſe placet legumlatori. Sin autem ab alijs qui ſint tum ab
ijs qui priuatos agros colunt, tum à militibus diuerſi, iam hæc quar-
ta pars erit ciuitatis, cui nihil communicetur, ſitque à Republica
aliena. Quod ſi eoſdem eſſe placet qui priuatos, quique publicos
agros colant, 12 primum fructus, ex quibus duas quiſque domos 12.
alat multitudini non ſufficient. deinde cur non ſtatim ex eodem
agro, ac ſortibus eiſdem & ſibi ſumant, & in militibus alimentum
ſuggerant? Hæc igitur omnia valde turbulenta ſunt. Illud quo-
que de iudicijs perperam lege ſancitum eſt, vt cauſa 13 ſimpliciter 13.
intenta cognitor ſententiam diuidat, ex iudicéque fiat arbiter.
quod licet in arbitrio pluribus etiam qui de iudicio faciendo ſer-
mones inter ſe conferunt facere liceat, in tribunalibus tamen
non permittitur. Sed contra plerique legumlatores ne conſilia
inter ſe iudices conferant, interdicunt. Deinde qui poteſt iudici-
um non eſſe turbulentum, ſi iudex deberi quidem, ſed non quan-
tum litigator exiſtimet, qui viginti minas exempli gratia dicit,
cum iudex decem duntaxat deberi iudicet, aut hic plus, ille mi-
nus, alius quinque, alius quatuor, & in hunc modum diuiſionem
faciant, quidam verò cuncta, alij nihil omnino? Quis igitur mo-
dus erit iudicia diſcernendi, & numerandi? Præterea nemo peie-
rare cogit iudicem, qui ſimpliciter abſoluit vel condemnat, ſi lis
iure fuerit ſimpliciter intenta. Nam qui abſoluit, is non iudicat ni-
hil deberi, ſed non deberi viginti minas: ille peierat qui viginti
minis quas non deberi putat, reum condemnat. 14 Quod verò ad 14.
legem præmium ſi quis rem ciuitati commodam inuenerit propo-
nentem pertinet, eſt illa quidem auditu ſpecioſa, plena tamen peri-

culi: quippe quæ calumniandi, & forſitan mutandi Rempublicam
occaſiones præbet. Incidit autem in aliam quæſtionem, & com-
mentationem. Quæritur enim à quibuſdam inutile ſit, an ciuitati-
bus leges à maioribus acceptas, ſi qua ſit alia melior, mutare condu-
çat Itaque non facile eſt decretum, de quo diximus, probare, ſi non
15. eſt vtile mutare leges. Nam fieri poteſt vt aliqui 15 legum antiqua-
tionem, mutationémve Reipub. tanquam bonum publicum affe-
rant. Qua de re qui in hanc mentionem incidimus, non fuerit alie-
num pauca breuiter diſputare: nec enim vacat (vti diximus) contro-
uerſia. & leges mutare ſatius eſſe videri poteſt. Certè in alijs diſci-
plinis hoc feciſſe commodum fuit, vt Medicina, & item Gimnaſti-
ca: ad ſummam omnes artes & facultates mutatis veteribus inſtitutis
profecerunt. Quibus cum ſit doctrina ciuilis annumeranda, neceſſa-
16. rio de ipſa fuerit eodem modo ſtatuendum. quod ipſum 16 argu-
mento quoque rerum confirmari non temerè dicas. Nam vetuſtæ
leges nimis erant ſimplices atque barbaricæ: Græcis enim armatos
incedere, & vxores emere alterum ab altero mos erat. cæteraq́; inſti-
tuta priſca, plurimum inſcitiæ, ac ruditatis habebât. vt Cumis lex e-
rat de rebus capitalibus, vt ſi accuſatur ex ſuis cognatis teſtium cer-
tum numerum protuliſſet, rei capitalis reus damnaretur. Ad ſum-
mam omnes nō quid traditum ſit à maioribus, ſed quid bonum ſit,
17. 18. quęrunt. Eſt autem probabile 17 primos homines, 18 ſiue fuerint ex
terra geniti, ſiue ex aliqua internecione ſeruati, ſimiles fuiſſe vulga-
ribus & inſipientibus, quemadmodū de terrigenis memoratur, vt
19. minimè in ipſorum decretis permanere deceat. 19 Ad hæc ſcriptas
leges immotas relinquere non conducit, qui vt in cęteris artibus, ſic
in doctrina ciuili fieri non poteſt, vt omnia perfectè ſcripta ſint.
Nam leges vniuersè ſcriptas eſſe neceſſe eſt: actiones autem in ſingu
lis verſantur.. quo palam fit leges quaſdam & quandoque vtiliter
mutari. Cæterum aliter reputantibus magna forſitan cautione o-
pus eſſe videatur.. Nam cum parua commoditas inuitauerit, quia
nocet Reipub. vt ciues aſſueſcant facilè leges antiquare, haud dubiè
ſatius fuerit peccata quædam legumlatorum & magiſtratuum per-
mittere. Nec enim tantum legis mutatio profuerit, quantum con-
20. ſuetudo 20 imperantibus non parendi nocebit. Nec vera eſt ar-
tium cum legibus comparatio. Non enim hoc eſt artem, quod
legem mutare: nam tota vis parendi legibus in more poſita eſt:
qui mos niſi longo tempore non ingeneratur. Itaque ex prio-
ribus

ſtibus legibus in nouas mutatio, legis potentiam infirmat. Prætere a
ſi mutandæ ſunt, dubium eſt vtrum omnes, & in omni Repub. mu-
tari debeant, an ſecus: & 21 vtrum à quouis, aut à quibus, magni e- 21.
nim refert. quamobrem quæſtionem hanc, cum huius loci non ſit,
miſſam faciamus.

Scholia in Caput VI.

1. HIPPODAMVS Mileſius. *Hippodamus hanc Reipub formam excogitauit, vt ciuitas ex hominum decem millibus conſtituta, in tres partes diuideretur: quarum vna eſſet opificum, altera agricolarum, tertia militum. Regionem quoque, id eſt agros, in tres partes diuiſit: ſacram, quæ ad dei cultum neceſſaria ſuggereret: communem, vnde milites alerentur: priuatam, quæ eſſet agricolarum. Tria quoque tribunalia conſtituit: de contumelia, de damno, de nece. præterea vnum ſummum ad quod eſſet ex cæteris prouocatio. Placuit etiam vt occiſorum in bello filij ex publico alerentur: magiſtratus deligerentur totius populi ſuffragio. In hæc inſtituta differit Ariſtoteles. Primum in diuiſionem ciuitatis, quòd cum artifices & agricolas partes ciuitatis eſſe vellet, tamen eam conditionem opificibus & agricolis tribuit, vt nullum penè magiſtratum gerere poßint. qua facultate & munere ciuis à non ciue propriè diſtinguitur, vt tertio libro declarat: & qua negata animorum à Republica alienationem exiſtere neceſſe eſt. Agros præterea incommodè diuiſos eſſe docet, ſiue à militibus pars communis, ſiue ab agricolis, ſiue ab alijs qui ſint ab vtriſque diuerſi cols debeat, cum vel milites agricolæ fiant, vt agricolæ intolerabili onere grauentur, vel alia pars ciuitatis, quæ quarta ſit inducatur. In iudicijs modo partiendi ſententias damnatis, communem & vſitatum meliorem eſſe declarat.*

2. Qui Piræum abſcidit. *Piræus portus erat Athenarum, cum vico ſuburbano, quem abſciſſum, id eſt muro ab vrbe diuiſum ab Hippodamo fuiſſe tradit. Fuit enim Hippodamus etiam architectus, nō ſolum legum ſcriptor: à quo Hippodamius ædificandi modus, de quo eſt in libro ſeptimo, cap. 11.*

3. Ornatu pretioſo tum comæ. *Cicadis forſitan aureis more Athenienſium, ex quibus olim locupletiores per luxum cicadis aureis capillos ornabāt: quem modum inde traxere Iones Aſiatici propter conſanguinitatem coloniarum illuc ab Athenienſibus ex Attica, vt Thucydides libro primo refert, deductarum. Caria enim regio eſt Ionia Aſiatica, quæ nomen ab Ionia Europæ id eſt ab Attica ſumpſit.*

4. Pretioſam quidem ſed calidam. εὐτελοῦς μὲν ἀλεεινῆς δέ. *Sic habe-*

tur græcè in omnibus exemplaribus quæ mihi videre cõtigit: ſed ſuſpicor mẽdum ſubeſſe librariorum, & pro ἐντελοῦς obrepſiſſe εὐτελοῦς, quod verbum communi conſuetudine rem vilem & abiectam ſignat: quæ intelligentia hoc in loco ab Ariſtotelis ſenſu longè videtur abhorrere: aut igitur per errorem in eius locum ſucceßit, aut in eiuſdem intelligentiam eſt accipiendum, vt non vilem & abiectam, ſed pretioſam & honoratam veſtem ſignificet, quemadmodum interpres conuertit, παρὰ τὸ εὐτελεῖν, vnde εὐτελεία, id eſt felicitas dicta eſt, auctore Suida: niſi fortè cum ipſa per ſe veſtis eſſet parui pretij, pretioſis pellibus ornabatur, fiebatq́; veſtis gauſapina, quã Hippodamus ambitioſè etiã in æſtate oſtentationis gratia geſtabat, vt Bacchara ille de quo Martialis,

Et dolet & queritur ſibi non contingere frigus.
Propter ſexcentas Bacchara gauſapinas.

Quibuſdam exemplaribus illud ἔτι δὲ, quod in cæteris habetur, abeſt, vt prolixitas ad capillos, ſumptus ad veſtem duntaxat referatur: quod ſic eſſet conuertendum prolixa coma, & ornatu pretioſo veſtis.

5. Dum nullam naturæ partem. *qui non ſolum domos & vrbes ædificãdi arte, ſed etiã ciuitates & Reſpub. cõdendi, & legibus cõſtituendi prudentia & facultate pollere voluit.*

6. Iuſta ſacrorum. *Sacrificia lege aut more conſtituta.*

7. Quo cauſas omnes. *Ad quod eſſet à cæteris tribunalibus prouocatio.*

8. Nunc enim haud rectè ſancitum. *More quo nunc vulgo ciuitates vtuntur in iudicijs.*

9. Tres illas partes. *Opifices, agricolas, & milites.*

10. Ciuium cuſtodes. *Nomen id erat magiſtratus, quo Hippodamus vtebatur in ſua Repub.*

11. Nũc agros habent priuatos. *Ex inſtitutione Hippodami.*

12. Primum fructus. *Si agricolæ non ſolum agros ſuos priuatos, ſed etiam publicos, vnde milites alantur, colunt: fructus agrorũ priuatorũ alendæ cuiq; agricolarũ bipartitæ multitudini, quæ ad binos fundos colẽdos neceſſaria eſt, nõ ſufficiẽt: vel duas domos dicit duas familias, alteram agricolarum, alterã militũ, cui quiſq; agricolarũ frumentũ fructuſq; ſuggerere debet: ſed prior ſenſus magis placet.*

13. Simpliciter intenta. *Vt ſi actor ſimpliciter ſibi viginti minas deberi cõtendat, officiũ iudicis eſt ſimpliciter etiã conſtituere, & iudicare: debeãtur an nõ viginti minæ, nõ de numero minarũ arbitrari. quod fit in iudicio arbitrario, ſiue vnus iudex ſit, ſiue plures, ſententijs & conſilijs communicatis, quod in tribunalibus quibuſdam non permittitur.*

14 Quod

14. Quod verò pertinet ad legem. *Sumpta occaſione ex Hippodami lege, qua ijs qui aliquid vtile Reipub. excogitaſſēt, præmiū proponebatur: quoniam legū mutatio tāquam vtilis Reipub. afferri poſſet, diſputationē inducit, conducat necne leges & inſtituta maiorū mutare: & leges quæ perſpicuè barbaræ & incōmodiſſimæ ſunt, mutādas eſſe docet. Sin autè commoditas parua cōſequatur, nō ideirco mutādas eſſe, ne homines non parere legibus aſſueſcāt vt enim legibus pareatur, magna vis eſt in parēdi legibus conſuetudine. Itaq; legum potentiam & auctoritatem valde minuit, qui leges mutat.*

15. Legum antiquationem. *Abrogationem legum.*

16. Argumento rerum. *Rebus ipſis & facto.*

17. Primos homines. *Aliquem hominem fuiſſe primum, ante quē nullus homo fuerit, vt homini Chriſtiano ex ſacris literis oraculisq; diuinis nō eſt dubitabile, ſic abhorret ab Ariſtotelica diſciplina. Ariſtoteles enim cum alijs in locis, tū in octauo libro de phyſico auditu mūdum generatū fuiſſe negat, itaq; mundum & cuncta genera animātium ſempiterna eſſe, nec initium habuiſſe, nec habitura finē falsò videlicet exiſtimauit. Primos igitur homines vocat, qui poſt aliquā maximam peſtē, aut internecionem, vel alluuionē ex terra geniti fuerint, vt interdū mures, vel ſi qui pauci ſeruati ſint, ex quibus quaſi primis rurſus gen⁹ humanū procrearetur Videbat enim Ariſtoteles initiū quoddam hominum fuiſſe. nec id infitiari poterat, ſed vt ſibi cōſtares in errore, cū genus humanum incepit, tunc renodatum eſſe videri volebat.*

18. Siue fuerint ex terra geniti *Vt quidam ſcilicet tradiderūt, de quibus meminit lib. iij. de generatione animalium, circa finem, vbi explicat quomodo è terra ex illorū opinione gignerētur. Nam ipſe nō affirmat, quare addit illud, quod ipſe magis putabat, ſiue ex aliqua internecione ſeruati, vt factum eſt in alluuione vniuerſali, de quo eſt in hiſtoria ſacra.*

19. Adhæc leges ſcriptas immotas relinquere nō conducit. *Nō hic de abrogatione aut mutatione legis loquitur: nā quod leges vniuerſa præcipiunt, cum hoc omnibus bonis & malis cōmune ſit, nulla cauſa eſt cur antiquari debeant vel mutari. Eſt tamen cauſa neceſſaria, cur ſint aliquando per diſpēſationes appellatas relaxandæ, quod fit cum æquitas ſummo iuri præfertur, quæ ſumma iniuria dicitur, hoc eſt ſcripto legis, vt Ethic. v declaratur.*

20. Imperantibus nō parēdi. *Legibus non obtēperandi. Nam vt in regno princeps ipſe imperat qui cuncta gerit arbitratu ſuo: ſic in cæteris rebuſpub. vbi leges ſeruantur, leges imperare dicuntur. Pol. iij. Ethic. v.*

21 Vtrum à quouis, aut à quibus. *Dubium eſt, inquit, ſi leges mutandæ ſunt, num à quocunq; mutari debeāt, & ſi nō à quouis, tum quæritur, à quibus debeant mutari: nā græcè τίσι legitur in correctioribus exemplaribus τισὶ.*

Caput

CAPVT VII.

R 1. DE Lacedæmoniorum & Cretenſium,& ferè alijs Rebuſpub.
duplex eſt conſideratio:vna rectè an ſecus aliquid ſit ad optimam
Reipub formam ſpectantibus inſtitutam:altera num contra quam
finis & modus ipſis propoſitæ Reipub poſtulat, ſit aliquid ſancitũ.
Illud igitur inter omnes conſtat,rectam Reip.rationem neceſſario
2. rum operum 2 vacationem requirere : hæc autem quomodo con-
3. tingat.non facile conſtituere. Nam ſæpe 3 Theſſalorum peneſtiæ
4. in Theſſalos, ilotes in Lacones tanquam 4 imminentes ſemper ip-
ſorum calamitatibus conſpirarunt. Cum nihil hucuſque tale Cre-
5. tenſibus acciderit:fortaſſe quia 5 vicinarum ciuitatum etiam ſi bel-
lum gerant inter ſe,nulla propterea quod cum ipſi quoq; periœcos
habeant,eis non conducit,deficientibus opitulatur Laconibus au-
6. tem quicunque vicinas regiones incolebãt 6 Argiui,Meſſeni,& Ar
cades,hoſtes erant:nam & à Theſſalis initio peneſtiæ deſciuerant,
7. quia bellum etiam nũc 7 Theſſali cum finitimis Achæis, & Perrhæ-
bis, Magneſijſq; gerebant. Cæterum ſi nihil aliud,at ipſa cura quo-
modo id genus hominum tractari debeat,plena laboris & ſolicitu-
8. dinis eſſe videtur.Nam ſi indulgentius habeantur,& petulantes fiũt,
& cum dominis exæquari volunt:ſin autem laborioſè in maliſq; vi-
uant,inſidiantur,odioque habent. Palàm eſt igitur, quibus hoc ac-
cidit,ab ilotia his optimam tractandi rationem non eſſe compertã.
9. Præterea mulierum licentia tum 9 ad propoſitam Reipub.rationẽ,
tum ad rectam ciuitatis inſtitutionem officit. Nam vt vir & mulier
domus partes ſunt ſic haud dubiè ciuitatem in duas æquas ferè par-
tes, virorum mulierumq; diuiſam eſſe putare cõuenit. In quibus er-
go rebus publicis,quod ad mulieres pertinet,perperam sãcitum eſt,
in his dimidium ciuitatis praue inſtitutum eſſe putari debet, quod
10. Laconibus accidit.Nam 10 cum legumlator temperantem eſſe totã
11. ciuitatem vellet,hanc voluntatem 11 in viris manifeſtè declarauit:
mulierum curam neglexit : quæ tam intemperanter ac luxurioſè
degunt,vt nullo non genere intemperantiæ ſit ipſarum vita conta-
12. minata quo circa 12 diuitias in tali ciuitate in honore eſſe neceſſe eſt
præſertim ſi viri ſint in mulierum conſuetudinem procliues, qua-
13. lia pleraque ſunt militarium, ac bellicoſorum virorum genera, 13
præter Gallos, & ſi qui alij palam ſunt amoribus puerorum dediti.

Non

Non enim ſine cauſa qui primus fabulam commentus eſt, Martem cum Venere coniunxiſſe videtur: propterea quòd totum hoc hominum genus conſuetudini puerorum vel fœminarum deditum eſſe cernitur. Vnde hoc malum Lacones etiam inuaſerat, in quorum imperio multa ſunt à mulieribus adminiſtrata: quanquam quid intereſt mulieres imperium teneant, an viris imperantibus mulieres imperitent, cum vtroque modo eadem incommoda conſequantur? 14 Porrò cum audacia ad vſus quotidia- 14.
nos nullam commoditatem habeat, ſed ſi quid prodeſt, in bello proſit: tamen hac quoque in parte Laconum mulieres multum offecerunt: cuius rei clarum documentum 15 in Thebanorum in- 15.
uaſione dedere, quo tempore non modo nulli vſui fuerunt, vt in cæteris ciuitatibus, ſed tumultum & turbam maiorem etiam quàm hoſtes excitarunt: quanquam initiò non ſine cauſa liberior viuendi ratio à viris fuit mulieribus Lacænis permiſſa. 16 Cum diu 16.
militiæ cauſa domo abeſſent, bellum cum Argiuis, deinde cum Arcadibus Meſſenijſque gerentes, ſed in pace & otio ipſi præparatos ſe ac dociles legumlatori præbuerunt, propter vitam militarẽ, quæ multas habet virtutis partes. At mulieres legibus ſubijcere tentaſſe quidem Licurgus, ſed cum ipſæ reniterentur, incepto deſtitiſſe traditur. Hæc igitur ſunt eorum quæ facta fuerunt, ac proinde huius peccati cauſæ. Nos tamen non cui venia dari, aut viciſſim negari debeat, ſed quid rectè, quid non rectè ſeſe habeat, quærimus. Nam ſi quid ad mulieres pertinet perperam fuerit inſtitutum, hoc, vt ſuprà diximus, non ſolum Rempub. ipſum per ſe non nihil deformare, ſed ſimul etiam pecuniarum cupiditatem parere videtur. 17 Adhæc enim patrimoniorum inæqualitas impro- 17.
banda fortaſſis cuipiam eſſe videatur. Nam cum quidam eorum maxima patrimonia poſſideant, alij nimia rei familiaris tenuitate laborant, propterea quod ager in paucorum poſſeſſionem cõceſſit: de quo perperam eſt legibus ſancitum. Quanquam enim patrimonia emere aut vendere in rebus turpibus haberi voluit, & iure voluit, donare tamen vel teſtamento relinquere ſi quis vellet, non interdixit: cum tamen vtraque ratione hoc incommodum euenire ſit neceſſe. Sunt autem mulierum ex quinq; partibus agri ferè duæ, tum quia ad multas 18 orbas puellas omnia paterna bona hæ- 18.
reditate peruenerunt, tum propter dotum, quas largiuntur magnitudinem. at erat commodius aut nullam, aut exiguam, vel

19. certè mediocrem eſſe diffinitam. 19 Nunc autem puellam orbam
cuicunque dare licet, & ſi is qui hæres fuerit relictus, inteſtatus de-
ceſſerit: hic cuicunq; velit, tribuit. Quibus rebus factum eſt, vt cum
ager mille quingentis equitibus, & armatorum triginta millibus a-
lendis ſufficiat, in eam paucitatem redigerentur, vt mille nume-
rum non explerent. Itaque res ipſa inſtituti huius errorem & pra-
uitatem declarat. Nec enim vnam plagam ciuitas accepit, ſed fundi-
20. tus propter hominum paucitatem corruit, cum etiã 20 regum ſupe
riorum tempore peregrinos à Lacedæmonijs in ciuitatem adſcitos
fuiſſe memorent, ne diuturnis bellis confecti ad paucitatem homi-
num redigerentur, cum tamen olim Spartani (nam & hoc tradi-
21. tum eſt) 21 decem millium numerum explerent. Cæterum ſeu
vera hęc ſunt, ſiue commentitia, certè commodius eſſet æquatis pa-
trimonijs vrbem viris replere. pręterea lex de filijs procreandis nõ-
nihil eſt horum malorum emendatio in contraria. Nam legumla-
tor Spartanos quamplurimos eſſe cupiens, præmijs ciues ad pluri-
mos filios procreandos inuitat. eſt enim lex apud ipſos, vt qui tres
liberos genuerit, cuſtodiæ vacationem: qui quatuor, rerum omniũ
immunitatẽ habeat. at ſi multi fuerint procreati, cum ager ſit quẽ-
admodum diximus, partitus, neceſſe eſt multos inopia laborare. Iſ
22. verò 22 quæ pertinent ad ephoriam, nihilo ſunt commodius inſti-
tuta: nã cum hic magiſtratus maximarum rerum inter ipſos ſum-
mam poteſtatem habeat, tamen omnes Ephori ex populo deligun-
tur: quo fit vt ſępe homines pauperrimi ad imperiũ adſciſcãtur, qui
propter egeſtatẽ venales fiunt, vt ſæpe cum ſuperioribus tẽporibus,
23. tum noſtra memoria 23 in Andrijs declaratum eſt. Nam pecunia
corrupti quidam Ephori Rempub. quantum fuit in ipſis, euerte-
runt & quoniam ipſorum imperium nimis magnum eſt, & par ty-
rannidi, Reges quoq; gratiam ipſorum captare cogebantur: itaque
24. hac quoq; ratione Reſp. lędebatur. nam 24 ex optimatum imperio
in principatum popularem mutabatur. Cæterum hoc imperij ge-
nus Rẽpublicam conſeruat, Nam plebs quieſcit, propterea quod ei
25. ſumus magiſtratus communicatur, qui 25 ſiue legumlatoris proui-
ſione, ſiue fortunæ beneficio inductus fuit, certè eſt Reipub. rationi-
bus. Nam vt Reſpublica conſeruetur, vt ipſam omnes eius partes
ſaluam, & cuncta in eodem ſtatu permanere velint, oportet. Con-
tenti ergo ſunt præſenti ſtatu reges propter ſuam dignitatem: viri
excellenti virtute, propter Senatum. Nam Senatorium imperium,

pro

pro præmio eſt virtuti propoſitum: plebs, propter Ephoriam: 26 26.
ex omnibus enim conſtituitur qui magiſtratus erat quidam ex omnibus deligendus, non tamen modo, quo nunc fit: 27 eſt enim valde 27.
pueriliis. Præterea cum ſint homines nulla egregia virtute præditi, tamen magna iudicia ipſorum arbitrio permittuntur. Itaque ſatius
erat vt 28 ex ſcripto & legibus, 29 quàm vt pro ſuo ſenſu iudicarét. 28. 29.
Ephororum quoque vita cum ciuitatis voluntate parum conuenit:
nam ipſi valde diſſolutè viuunt. 30 Cum cæteri excedant potius vi- 30.
tæ duritia & ſeueritate, vſque adeo vt ferre nequeant, & clàm legé
tranſgredientes corporis voluptatibus fruantur 31 Sed nec ea rectè 31.
ſunt Lacedæmonijs inſtituta, quæ Senatorum imperium attingũt.
32 quanquam enim ſi probi ſint, & quantum ſatis eſt, ad perfectam 32.
virtutem inſtituti, ciuitati commodum eſſe videri poſſit, vt magna iudicia ipſorum arbitrio permittantur: tamen vt hæc poteſtas perpetua eiſdem ſit, ac vitæ æqualis, ancipitem rationem habet. quippe vt corpus, ſic item mens ſuum habet ſenium. Si autem fuerint ad hunc modum inſtituti, vt ipſe legumlator eis tanquam viris non probis diffidat, periculoſum eſt. Pręterea cum muneribus corrumpi, qui huic magiſtratui præſunt, & multa de rebus communibus largiri cernantur, vtique commodius erat, vt idem 33 à cor- 33.
rectione liber atque ſolutus non eſſet, quod nunc abeſt. Videri autem poteſt Ephororum magiſtratum, 34 cęteros magiſtratus cor- 34.
rigere, quod eſt maximum Ephoriæ munus. Sed non ad hunc modum ipſos corrigendos eſſe dicimus. Præterea 35 Senatorum dele- 35.
ctus, tum ferendis ſuffragijs pueriliis eſt, tum ea ratione improbandus, quòd magiſtratum petit, qui magiſtratu dignus haberi debet. Nam qui imperio dignus eſt, hic velit nolit, vt imperio præficiatur oportet. Nunc legumlator idem quod in cæteris Reipub. partibus agere videtur. Vt enim ciues ambitioſos redderet, hanc Senatores diligendi rationem iniuit, cum nemo non ambitioſus imperio ſe præfici petat. At pleraque voluntaria crimina ex ambitione & pecuniarum cupiditate inter homines oriuntur. De regno ſit néne ciuitatibus commodum per Reges gubernari, alia quæſtio eſt, ſed certè commodius eſſet, vt ex ſua quiſque vita reges æſti-
marentur, 36 quàm vt nunc fit. Non putaſſe verò legumlatorem 36.
eos à ſe poſſe ad perfectam virtutem perduci, in promptu eſt intelligere: nam eis vt non ſatis bonis viris diffidit: itaque legatos eos ſimul mittebant, qui hoſtili odio diſſiderent, & regum diſcordiam

ciuitati ſalutarem fore putabant. Sed nec ea ſunt rectè à primo inſtitutore ſancita, quæ ad concænationes pertinent, quæ phiditia no-
37. minantur. Nam 37 ex publico potius conuentum fieri oportuit,
38. quemadmodum in Creta. Apud Lacones enim 38 ſuam quiſque partem conferre debet, cum tamen ſint nonulli tanta paupertate
39. depreſſi, 39 vt ne hanc quidem impenſam facere valeant. Itaque rei euentus legum latoris voluntati contrarius eſt: hic enim comeſsationum inſtitutionem popularem eſſe vult. ipſa verò minimè popularis efficitur ad hunc modum ſancita: qui nimia paupertate premitur, particeps eſſe non facile poſſit. Sic autem ipſis Reſpub. definita eſt more maiorum, vt qui tributum id conferre nequeat, huic Reſpub. non communicetur. Præterea lex de claſſis præfectis, ab alijs etiam eſt, & quidem merito vituperata: eſt enim ſeditionis cauſa. Nam regibus perpetuam rei naualis præfecturam addere, id demum eſt, aliud propemodum regnum conſtituere. Propoſitum quoque legumlatoris, non iniuria reprehendes, vt eſt in legibus à Platone vituperatum: nam tota legum ferendarum ratio ad
40. partem virtutis, hoc eſt ad bellicam refertur. 40 Hæc enim vincendo eſt accommodata. itaque Lacedæmonij dum bellum gererent, incolumes manebant: imperio petiti, perierunt, propterea quòd quieſcere neſciebāt, nec aliam exercitationē quæ bellica potior eſſet, obierant. Nec minor eſt hoc ille alter error, quòd res bonas
41. & dignas de quibus contendatur, 41 fieri cenſent virtute magis
42. quam vitio quanquam enim hoc rectè ſtatuunt, 42 errāt tamen in eo, quòd hæc virtute potiora putant. De publica quoque pecunia perperam eſt apud Spartanos ſancitum. Nam cū magna bella gerere cogantur, tamen nihil eſt in commune ad publicos ciuitatis vſus deſtinatum, ſed tributum ab ipſis, & quidem perperam confer-
43. tur. Nam cum agrorum maxima pars ſit 43 ipſorum Spartanorum, collationes tributi alter alterius non diligenter examinant: nec legumlator commoditatem quam petebat eſt aſſecutus, ſed in contrarium potius ei recidit. Nam ciuitatem inopem, ſingulos ciues pecuniarum cupidos efficit. ſed de Repub. Lacedæmoniorū hactenus. Hæc enim ſunt quæ in ea maximè reprehendi poſſe videntur.

SCOLIA

Scholia in Caput VII.

1 Lacedæmoniorum & Cretenſium. *De Lacedæmoniorum Reipub. quæ ex omnibus erat laudatiſsima, multis in locis diſputat: ſed hic potiſsimum eius Reipub. ſtatum, nec optimum eſſe docet ſimpliciter, nec optimum pro ratione propoſiti finis. Nam primum quod optimæ cuiq; Reipub. adeſſe debet, vt ciues non ſint occupati in operibus neceſſarijs, id nõ erat rectè Lacedæmonijs inſtitutum. Cum Ilotes qui agros ipſorum colebant ſæpe in eos conſpiraſſent: cui ſimile Theſſalis à ſuis agricolis acciderat. Præterea quod ad mulieres pertinet, quæ pars eſt prope dimidia ciuitatis, peſsimè erat inſtitutum, cum diſſolutiſsimè viuerent, & penè viris ob ipſorum ſalacitatem imperarent: nec erat vtile Reipub. vt ad audaciam mulieres inſtituerentur, ne in bello quidem, nedum in pace, vbi audacia multum obeſſe ſolet.*

2 Vacationem requirere. *Vt ciues operum neceſſariorum vacationem habeant, ciues autem in quaq; Repub. intelliguntur, quibus facultas gerendi magiſtratus adeſt, quæ in bona Repub opificibus, agricolis, mercenarijſq; negatur. vt poſtea lib. iij. docebit. idcirco igitur ciues qui propriè intelliguntur, oportere negat vt ſint operibus quæ pertinent ad parandas res vitæ neceſſarias implicati.*

3 Theſſalorum peneſtiæ. *Ruſtici qui penè ſerui agros Theſſalis colebant, peneſtæ dicebantur, & eorum multitudo peneſtia, vt ilotes, & ilotia apud Lacedæmonios, & Periœci apud Cretenſes.*

4 Imminentes ipſorum calamitatibus. *Obſeruantes calamitatis, vt ſi fuerint bello ab alijs appetiti, hac occaſione ad lædendos dominos abutantur. Socia ſcilicet arma hoſtibus adiungenda.*

5 Nulla vicinarum ciuitatum. *Ex ipſa ſcilicet inſula: nam Creta multas habebat ciuitates.*

6 Argiui, Meſſenij, & Arcades. *Populi sũt in Pelopõneſo, vt Lacedæmonij.*

7 Theſſali cum finitimis. *Theſſalia regio eſt Macedoniæ finitima Plinio. Pomponius Mela Macedoniæ partem dicit. Huic finitimi ſunt Achæi, qui Myrmidones & Hellenes ab Homero nominantur. Et Perrhæbi, qui populi ſunt in Aetolia, & Magneſij, quos, quidam partem Theſſaliæ faciunt.*

8 Petulantes fiunt. *Superbi & arrogantes.*

9 Ad propoſitam Reipublicæ rationem. *Pro ratione finis, quo ſumma Reſpub. fertur.*

10 Cum vellet legumlator. *Lycurgus: hic enim leges Lacedæmonijs ſiue Spartanis dedit, qui Lacones etiam à regione nominantur.*

11 In viris declarauit. *Nam viri Lacedæmonij frugaliſsimè viuebant le-*

gibus Lycurgi.

12 Diuitias eſſe in honore. *Vt per eas viri libidinoſi mulieribus potiantur: quæ licentia & luxus, venerisq́; cupiditate venales fiunt.*

13 Præter Gallos. *Olim ſcilicet Galli hac infamia laborabāt, qui tamen iāpridē, vt vicini hinc Hiſpani, illinc Germani, hoc flagitiū maximè deteſtantur.*

14 Porrò cum audaciam. *Audaciam dicit quæ vitium eſt, non fortitudinem, quæ virtus.*

15 In Thebanorum inuaſione. *Poſt Leutricam pugnam, qua Lacedæmonij à Thebanis amiſſo rege Eleombroto, & cum ipſo fortiſſimo quoque Spartanorum deſiderato, victi ſunt. Epaminundas Thebanorum dux cum magno exercitu Laconicam regionem hoſtiliter inuaſit, & vſque ad vrbem ipſam Lacedæmonem proceſſit. Ageſilao altero rege ſuos diligenter intra vrbem continente, quem regem Plutarchus non minorem dolorem atque moleſtiam cepiſſe refert ex tumultu ac trepidatione & clamore defectæ ætatis virorum & mulierum quæ amentes præ timore per vrbem diſcurrebant, quàm ex hoſtilibus minis & conuitijs, quibus vehementer inceſſebantur.*

16 Cum diu militiæ cauſa domo abeſſent. *Vt in obſidione Meſſenia decem continuos annos conſumpſerunt ob execrationem, qua ſe ob ſuas virgines in Meſſeniorum conuiuio ſtupratas obſtrinxerant, non ſe prius reuerſuros, quàm Meſſenam expugnaſſent. Itaq́; ad reparandam prolem iuuenes legunt ex ijs, qui poſt iuſiurandum in ſupplementum venerant quibus Spartam remiſſis promiſcuos omnium fœminarum concubitus permiſerunt, vt refert Trogus Pompeius. itaq́; neceſſitate ducti Lacedæmonij, eam licentiam mulieribus præbuere: ſed non quæritur, num huius & factorum ſimilium venia danda ſit Lacedæmonijs, ſed quid rectè factum ſit & inſtitutum, & quod ſecus diſputatur.*

17 Ad hæc patrimoniorum. *Inæqualitatem patrimoniorum apud Lacedæmonios, quæ Reipub nocet, culpa legumlatoris extitiſſe docet: qui quamuis patrimonia vendere probibuerit, donare tamen & teſtamento relinquere cuicunque liberè, permiſit. vnde eadem incommoda quæ ex venditione ſequuntur. Quæ inæqualitas hoc etiam magis improbanda eſt, quòd ferè dimidiū fortunarum ad mulieres, tum per hæreditates peruenerat, tū per dotes magnas: quas dotes aut nullas, aut exiguas, vel certè mediocres dandas eſſe dicit. His enim rebus & inopia rei familiaris factum eſſe, vt Lacedæmonij ad magnam paucitatem redigerentur: ad quorum malorum remedium non ſolum non iuuat, inquit, ſed potius aliquid obeſt, multos filios procreari: nam quo fuerint maiore numero, hoc plures egeſtate laborabunt. Sed nec ea, inquit, rectè ſunt inſtituta, quæ magiſtratum Ephororum attingunt, qui cum*

ſæpe

ſæpe pauperrimi deligantur, quæſtui Rempub. habent: & cum nimis magnam poteſtatem obtineant, reges etiam ſibi aſſentari cogunt, qua item ratione Reſpub. popularis efficitur: habet tamen hanc commoditatem Ephoria, quòd Rẽpub. conſeruat. Nam cuncti ordines præſenti ſtatu contenti ſunt, reges propter ſuam dignitatem: optimates propter Senatus imperium, quod virtuti propoſitum eſt: plebs autem, quoniam Ephori ex omni populo, ac proinde magna ex parte ex plebe deliguntur.

18 Orbas puellas. ἐπιδικλήρους, *Græci vocant puellas huiuſmodi, de quibus ſæpe Ariſtoteles mentionem facit, & item Plutarchus, quo nomine propriè intelliguntur puellæ, ad quas cum nullos habeant fratres, omnium paternorum bonorum hæreditas redit.*

19 Nunc autem puellam orbam. *Licet patri filiam vnicam ad quam totum patrimonium redit, in matrimonium cui velit, dare: & hunc cum filia hæredem conſtituere hac quoque conditione, vt ſi gener inteſtatus aut ſine filijs deceſſerit, ea bona ad alterum ab eodem patre nominatum & hæredem conſtitutum, eadem hæreditas proueniat.*

20 Regum ſuperiorum tempore. *Cleomenes rex Lacedæmoniorum hanc legem tuliſſe memoratur, vt ex peregrinis delecti in ciuitatem ad ſupplendam paucitatem aſciſcerentur, ac ex vicinis ſubiectis delectum habuiſſe, & ciuitatem confectis armatorum quatuor millibus ſuppleuiſſe.*

21 Decem millium expleuerint. *Plutarchus Spartanorum ciuium ſortes in diuiſione agrorum à Lycurgo facta ad nouem millia fuiſſe tradit.*

22 Quæ pertinent ad Ephoriam. *Annui magiſtratus, Ephoria nomen eſt: nam Ephori quinq; numero ſingulis annis creabantur, ad quos erat à regibus prouocatio: qui Ephori ex omni populo, tum ex optimatibus, tum ex plebe deligebantur, vt ipſe infrà teſtatur.*

23 In Andrijs. *In comeſſationibus, in quo vetere vocabulo vſus eſt. Nam cœnæ illæ quotidianæ, ad quas gregatim conueniebant, à Lacedæmonijs etiam olim Andria vt à Cretenſibus dicebantur. Poſtea enim Lacedæmonij Phiditia nominabant, vt infrà teſtatur idem Ariſtoteles & Plutarchus in Lycurgo.*

24 Ex optimatum imperio. *Quoniam Lacedæmoniorum Reſpub ſi Ephororum poteſtas modum teneret: ſtatus erat optimatum, cum Regum & Senatus conſilio gubernaretur.*

25 Siue legulatoris prouiſione. *Dubitare videtur Ariſtoteles, nũ Ephori lege Lycurgi, an caſu vel fortuna quadã fuerint conſtituti: quamuis ipſe libro huius operis quinto apertè Ephoros à Theopompo rege inſtitutos fuiſſe dicat. quod licet à plerisq; tradatur, tamẽ Herodotus in Clio à Lycurgo conſtitutos fuiſſe tradit, & item Satarus auctore Diogene Laërtio in Chilone. Sed Cleo-*

menes

menes rex in concione Lacedamoniorum, vt refert Plutarchus, aliam Ephororum originem fuiſſe affirmauit, à regibus diuturno bello Meſſenenſi occupatis: quoſdam ex amicorum numero fuiſſe delectos, qui pro ipſis regibus ius Lacedamonijs dicerent, Ephores nuncupatos, diuq́ꝫ conſuetudinem vt Ephori pro miniſtru regum haberentur, permanſiſſe, qui paulatim poſtea omnẽ poteſtatem in ſe tranſtuliſſent. Xenophon autem Ephoria poteſtatem inductam fuiſſe à proceribus ciuitatis eſſe probabile dicit, nihil tamen pro certo affirmat. Itaqꝫ aliter ab alijs Ephororum origo memoratur. Niſi fortè legumlatorem hoc in loco Theopompum regem appellat, cuius lege Ephoros fuiſſe conſtitutos, pleriqꝫ, & in ijs idem Ariſtoteles, vt dixi, tradunt. Et ſic fortuna beneficium ad id quod Cleomenem dixiſſe memorauimus, referri poteſt. Nam ſi legumlatorem Lycurgum dicit, beneficium fortuna ad Theopompi factum referendum eſt.

26 Ex omnibus enim conſtituitur. *Ephori ex omnibus ordinibus, Senatorio, equeſtri, & plebeio deligebantur.*

27 Eſt enim valde puerilis. *Similis videlicet Senatorum delectui, de quo infrà memorabimus.*

28 Ex ſcripto & legibus. *Ex literis legis: nam vtroqꝫ modo Latini dicunt, quod Ariſtoteles, κατὰ τὰ γράμματα, quod fit cum iudices à verbis ipſis ſcripta legis non diſcedunt.*

29 Quàm pro ſuo ſenſu. *Quàm prout rectius ipſis eſſe videatur.*

30 Cum cęteri. *Cum reliqui ciues tam frugaliter viuant inſtituto ciuitatis, vt quidam tam durum morem ferre nequeuntes prater legem, clam corporeis voluptatibus fruantur. Non enim oppiparè, vt Ephori in communibus epulis, quas comeſationes dicebant, ſed frugaliſſimè ciues cateri cœnabant, quidam tamen ſua quiſq́ꝫ domi in occulto, gula & veneri prater legem indulgebant.*

31 Sed nec ea rectè inſtituta ſunt à Lacedomonijs. *Docet Lacedamoniorum Rempublicam eſſe perperam inſtitutam. Primum Senatorum ratione, quorum arbitrio maximarum rerum iudicia non rectè committi putat, nec probat quòd hic magiſtratus ſit perpetuus, nec geſti muneris rationẽ reddat, & quod puerili quadam ratione & per ipſorum ambitionem Senatores deligebantur: deinde reges nõ ex genere, vt mos erat, ſed ex ſua quemq́ꝫ virtute aſtimari, ac deligi ſatius fore cõfirmat. Praterea comeſationes nõ ex publico fieri damnat, & quòd, prater reges qui nihil aliud propemodum quàm perpetui duces erant, nauium prafecti ad vitam etiam crearentur. Adhac quòd legumlator leges omnes non ad omne virtutum genus, ſed ad bellicam duntaxat virtutem dirigebat: quodq́ꝫ vectigalia publica, ad bellum & publicos*

licos vſus, nulla eſſent, ſed ciues tributum conferre cogerentur.

32 Quamquam enim ſi probi ſint. *Duo damnat in Senatoribus, primum, quòd ipſorum iudicio & arbitrio iudicia de maximis rebus permittantur, de morte ſcilicet & infamia, vt Plutarchus refert: Nam licet hoc optimis & prudentib. viris rectè permitti poſſe videatur, tamen niſi ex ſuis legibus tales fore legumlator exploratum habeat, periculoſum eſt committere. ſecundum quòd Senatores ſint ad hæc munera ſeu iudicia obeunda perpetui. Nam licet optimi eſſent & prudentes, tamen affecta ætate, cum vires non ſolum corporis, ſed etiam mentis & iudicij deficiant, remouendi eſſent à magiſtratu.*

33 Non eſſet à correctione liber. *Hoc quoq; improbat in Senatoribus, quòd cum eſſent perpetui, non corrigebantur, id eſt non poſcebatur ab eis geſti muneris ratio.*

34 Cæteros magiſtratus corrigere. *Nam ex cunctis magiſtratibus prouocatio erat ad Ephoros. Sed corrigere magiſtrat⁹ quod græcè dicitur εὐθύνειν dupliciter intelligitur: vno modo per prouocationē, vt ſuperius tribunal, vel princeps, aut populus iniquas iudicum ſententias corrigat: altero cum ab ijs qui iam abierint magiſtratu, ratio geſti muneris repoſcitur: & hoc modo corrigendos eſſe magiſtratus Ariſtoteles dicit, non priore tantum, quoniam vtroſq; magiſtratus ἀνευθύνους id eſt ſine correctione intelligere licet.*

35 Delectus Senatorum in ferendis ſuffragijs puerilis eſt. *Hic enim erat deligendi modus: Coacta concione viri delecti ad notandū clamores qui pro ſuffragio erant, in proximam domum concludebantur, qui nec videbant propter parietem interpoſitum populares, nec videbantur ab eis, ſed clamorem duntaxat concionis audiebant: nam vt cæteras controuerſias Lacedæmonij, ſic eam clamore dijudicabant. Competitores igitur non ſimul omnes, ſed ſinguli ſortibus, qui ſilentio per concionem incederent, inducebantur. Igitur qui concluſi erant, per ſingulos competitores clamoris magnitudinem tabellis notabant, ignari cui acclamaretur, præterquam quòd primum, aut ſecundum, aut tertium eſſe, aut quouis alio numero ſciebant: cui autem à plurimis & plurimum fuiſſet acclamatum, hunc Senatorem renunciabant, qui coronatus templa deorum multis pueris aſſectantibus, & laude in cœlum efferentibus adibat. Hæc igitur Senatores deligendi ratio quæ in Lycurgo à Plutarcho traditur, puerilis eſſe Ariſtoteli videtur.*

36 Quàm vt nunc fit. *Quàm ex genere & iure hæreditario. Nam reges Lacedæmoniorum ex Heraclidarum genere iure hæreditario regnabant. Satius igitur, inquit, eſſet, vt ex vita & rebus geſtis virtus & dignitas eius qui regno præficiendus eſſet, quàm ex genere, vt nunc fit apud ipſos, iudicaretur.*

37 Ex publico conuentú fieri. *Conuentū vocat comeſationē, ſeu concœ-*

nationem, ad quam gregatim quindeni circiter conueniebant.

38 Suam quiſque partem. *Vnuſquiſq; de ſuo in commune in ſingulos menſes farinæ medimnũ vnum, vini choas duas, caſei quinq; minas, ficorum ſemi minas quinque, & certam pecuniam ad obſonia conferebant.*

39 Vt ne hanc quidem impenſam. *Qui non poßit ea quæ modo diximus ad comeſationem ſeu concœnationem conferre, huic non licebat magiſtratum gerere: hoc eſt enim participem eſſe Reipub.*

40 Hæc enim vincendo eſt accommodata. *Id eſt vtilis ad vincendum. Nam quod Plato dixerat omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum eſſe vincendi cupiditate, hoc Ariſtoteles ſic interpretatur: Lacedæmonijs auctore Platone omnia ad bellicam virtutem dirigi, cuius interpretationis vt rationem reddat, illud addit: Hæc enim bellica ſcilicet virtus vtilis eſt ad vincendum, quo verbo vſus eſt Plato.*

41 Fieri cenſent. *Facienda & quærenda eſſe ſtatuunt.*

42 Errant tamen. *Rectè cenſent in eo quòd victoriam, de qua maximè contẽdendum putant, vt de maximo bono per virtutem, non per dolũ malum parandam eſſe ſtatuunt: ſed errant in eo quod victoriam anteponunt virtuti. Nam victoriæ cauſa tanquam finis, virtutem probant.*

43 Ipſorum Spartanorum. *Lacedæmoniorum, quoniam in ſua regione Laconica non habebant clientelas, ſed Ilotes quaſi ſeruos, qui ipſorum agros colebant.*

CAPVT VIII.

1. 1 CRETENSIVM Reſpub. cum ab hac non longè diſcrepet, tamen pauca non prius, ſed pleraque habet minus ſcitè conſtituta. Quoniam Laconica Reſpub. vt videtur & narrant, maxima ex parte Cretenſem eſt imitata. Sunt autem pleraque omnia vetu-
2. ſta minus expreſſa, minuſque perfecta recentioribus. Nam 2 Lycurgum memorant, cum relicta Charilai regis tutela peregrè profectus eſſet, diutiſſimè in Creta fuiſſe commoratum propter
3. cognationem. 3 Quoniam Lyctij à Laconibus fuerant in Coloniam deducti. qui autem in Coloniam venerunt, inſtituta legeſque
4. eorum acceperunt, qui tunc Cretam incolebant. 4 Itaque perioeci ad eundem modum etiam nunc eis vtuntur, vt minus ea legum decreta primus inſtituiſſe videatur. Inſula verò ipſa ſitum habere videtur probum, & ad Græciæ imperium accommodatum: imminet enim omni mari, cum Græci ferè omnes oram maritimam inhabi-

inhabitent. Nam Creta breui interuallo hinc à Peloponneſo, illinc ab Aſia, & eo loco qui eſt circa Triopium, & Rhodum dirimitur. quo factum eſt vt Minos maris imperio potiretur, & inſulas partim in ditionem redigeret, partim incolendas curaret. qui poſtremò Siciliam aggreſſus, ibi ad Caminum è vita migrauit. Cretenſium autem inſtituta & mores Laconicos æmulantur. Nam vt ilotes Laconibus, ſic periœci Cretenſibus agros colunt: & ſunt apud vtroſque comeſationes, & antiquitus Lacones non Phiditia, ſed Andria, quemadmodum Cretenſes nominabant. quo palam fit, illinc ad Lacones perueniſſe. In ordine quoque Reipub. eſt quædam æmulatio: nam Ephori eandem habent poteſtatem, quam qui Coſmi dicuntur: niſi quòd Ephori ſunt quinque numero, Coſmi verò decem. Senatores autem pares ſunt Senatoribus, quos Conſilium Cretenſes appellant. Regnum cum prius fuiſſet apud Cretenſes, poſtea ſublatum eſt: & Coſmi ſunt bellorum duces: ad popularem verò conſultationem omnes admittuntur, nihil tamen geritur concionis arbitrio, niſi quòd Senatorum & Coſmorum decreta ſuffragio conſciſcit. Cæterum comeſationes rectius ſunt apud Cretenſes, quam apud Lacones inſtitutæ: nam Lacedęmone per capita quiſque partem conſtitutam tribuit, ſin aliter lege, vt ſuprà diximus, Rempub. capeſſere vetatur: apud Cretenſes communior eſt ratio. Nam ex prouentu fructuum atque pecorum, & ex publicis vectigalibus & tributis, quæ à periœcis conferuntur, pars eſt tum ad Deos & publica munera, tum ad comeſationes conſtituta. Itaque omnes aluntur ex publico, mulieres, pueri, atque viri: multa etiam legumlator ad victus parcitatem tanquam rem vtilem pertinentia philoſophatus eſt. Ad mulierum autem diſiunctionem, ne multi filij procrearentur, conſuetudinem maſculorum induxit, rectè, an ſecus, alius erit diſputandi locus. Comeſationes igitur melius eſſe Cretenſibus inſtitutas, quàm Laconibus, certum eſt: ſed quæ pertinent ad Coſmos, peius, quàm quæ ad Ephoros. Nam quæ mala ex Ephororum, eadem ex Coſmorum imperio naſcuntur. Cum enim fiant hic quoque vulgares homines, commoditas tamen quam illic capit Reſpublica, nulla eſt apud Cretenſes: illic enim plebs quoniam cum Ephori ex omnibus creentur, ſummi magiſtratus eſt particeps, ſaluam eſſe Rempublicam vult. Hic non ex omnibus Coſmi, ſed ꝭ ex generibus quibuſdam cooptantur: & Senatores ex ijs qui Coſmi cum magiſtratum geſ- ꝭ.

 ſerint,

ſerint,de quibus perinde poſſumus, ac de ijs quæ in Lacedæmonios cadunt,diſputare. Vt enim ſine correctione magiſtratum gerant, vtque in eo tota vita permaneant, maius eſt ipſorum dignitate. & illud periculoſum, vt imperio non ex legis ſcripto, ſed ſuo iudicio & arbitratu fungantur. Nam quòd populus expers eius magiſtratus quieſcat, nullum eſt argumentum rectè inſtitutæ Reipublicæ. Nec enim vt Ephoris, ſic Coſmis eſt occaſio, vt venalem magiſtratum habeant, cum inſulam incolentes 6 longe à corruptoribus abſint. Neque verò probanda medicina eſt, qua huic errori medentur: quippe quæ non ciuilis eſt, ſed 7 dynaſtiæ potius accommodata. Quoniam ſæpe Coſmi à conſpirantibus vel collegis, vel priuatis hominibus exiguntur. Sed interim Coſmis ipſis magiſtratu ſeſe abdicare licet: quæ omnia rectius ex lege, quàm ex voluntate hominum quæ periculoſa norma eſt, efficerentur.Sed vincit omnem prauitatem ea rerum perturbatio,quam potentiores inferunt, cum iudiciorum pœnas dare nolunt: quo item declaratur,ciuitatis ordinem quo Cretenſes vtuntur, aliquid habere Reipub.8 non tamen eſſe Rempublicam, ſed potius dynaſtiam,qui ſciſſo populo, amicíſque rem ad vnius imperium deferre ſolent,tumultuantéſque inteſtino bello diſſidere. Atquid intereſt,tale quiddam fiat,an ad tempus quæ talis eſt, ciuitas eſſe definat, diſſoluta ciuili ſocietate? Eſt autem periculoſa ciuitas eorum, qui turbam ac iniuriam inferre & velint & poſſint. Cæterum, vt diximus,beneficio loci cõſeruatur,qui externorũ hoſtiũ inuaſiones excludit 9 quo fit,vt periœci in officio Cretenſib. cõtineantur,cũ ilotes ſæpe numero deſciſcãt. quoniã Cretenſes externũ imperiũ nullũ habẽt,bellũ tamẽ quod inſulæ nuper fuit extrinſecus illatũ infirmitatẽ legũ ipſius declarauit,ſed de Republica Cretenſiũ hactenus.

Scholia in Caput VIII.

1 CRETENSIVM Reſpub cum ab hac non longè diſcrepet. *Multa Cretenſiũ inſtituta ſimillima eſſe dicit Lacedæmonijs,propterea quòd Lycurgus qui leges dedit Lacedæmonijs, diu verſatus in Creta inſula,quæ centum vrbibus olim habitabatur: multa inde fuerit mutuatus ex legibus à Minoe datis, qui olim in Creta regnauit:quam inſulam occaſione loci, magnam facultatem habere dicit ad Græciæ imperio potiundũ.ſũt aũt his duabus reb. publicis hac ſimilia,quòd vt ilotes Lacedæmonijs,ſic periœci Cretenſibus agros colunt:& quòd vtriq; comeſſationibus vtuntur,item quòd Ephoris Lacedæmoniorum eadẽ eſt poteſtas,quæ Coſmis apud Cretenſes,niſi quod hi ſunt*

ſunt decem, Ephori quinque numero, & Senatores totidẽ numero ſunt vtrobiq;. Comeſationes eo differunt, quòd Cretenſibus ex publico fiunt, quòd eſt commodius, Lacedæmonijs ex priuato ſuam ſingulis partem conferentibus. Sed ecõtrario Ephororum ratio commodior eſt quàm Coſmorum. Nam Ephori ex omni populo deligũtur, Coſmi ex certis hominum generibus, & Senatores ex ijs qui Coſmi fuerint. Senatores perpetui ſunt, quemadmodum apud Lacedæmonios: & ſine correctione & controuerſijs dijudicant, non ex legum ſcripto, ſed ſuo iudicio. Vnde eadem incommoda conſequuntur, quæ apud Lacedæmonios. Itaq; Reſpub. Cretenſium non legum, ſed loci beneficio conſeruatur.

2. Lycurgum memorant. *Lycurgus Eunomi Lacedæmoniorum regis filius fuiſſe traditur, minor natu Polidecte fratre, ex quo Charilaus poſthumus natus eſt. igitur Polidecte mortuo, qui patri in regnum ſucceſſerat, Lycurgus regnum ſuſcepit. Sed cum fratris vxorem grauidam fuiſſe relictam cognouiſſet, palã profeſſus eſt ſe fratris filio, ſi mas fuiſſet natus, regnum traditurum: & interim ſe non regem, ſed regni procuratorem fore. Nato Charilao cum menſes octo regnum adminiſtraſſet, vitandæ inuidiæ & ſuſpicionis cauſa, ſi quid infanti humanitus accidiſſet, omiſſa procuratione, vrbe diſceßit, & in Cretam nauigauit, tam diu abſuturus, donec hæredem regni Charilaus genuiſſet. Sic enim vocabatur, nomine ſumpto à populari gaudio, quod magnum fuit cum ipſe naſceretur, non Charillus, vt perperam eſt in codicibus Ariſtotelicis ſcriptum.*

3. Quoniam Lyctij. *Qui Lyctum Cretæ vrbem habitabant. Propter cognationem igitur quæ Lacedæmonijs erat cum Lyctijs (hi enim à Lacedæmonijs qui Lacones quoque & Spartani ſeu Spartiatæ nominantur, fuerant in Coloniam deducti) Lycurgus apud ipſos fuit, in Creta commoratus.*

4. Itaque periœci. *Periœci ſi quis ad verbum interpretetur, ſunt vicini circumiecti: aut igitur periœcos dicit Cretenſes, alios qui oppida Lycto circũiecta inhabitabant, aut agricolas qui ciuibus Cretenſibus agros colebant. nam in Creta hoc erant periœci, quod ilotes apud Lacedæmonios: qui periœci non ſerui, ſed vectigales erant, de quorum tributis infrà mentionem facit. Cum igitur hi periœci incolæ vetuſtißimi Cretæ legibus illis vterentur, probabile eſt eas leges antiquißimas eſſe, & à Minoe datas.*

5. Ex generibus quibuſdam. *Ex certis ordinibus.*

6. Longe abſint à corruptoribus. *Cretenſes Coſmi propter interiectũ mare longè ab hoſtibus abſunt, à quibus poßint muneribus corrumpi, non tam propter magnum interuallum, quàm propter nauigandi difficultatem.*

7. Dynaſtiæ potius accommodata. *Dynaſtia eſt extrema & peßima*

ſpecies paucorum potentia, de qua diſſeritur lib. iiij.

8. Non eſſe Rempublicam. *Nullo genere Reipub. propriè cõtineri, quia Reſpub. eſt ordo vrbẽ incolentium, vt ipſe definit lib. iij. Hic autem nullus penè ordo eſt, & vbi leges non imperant, vt ipſe ait lib. iiij. non eſt Reſp. id eſt ciuilis communio. quoniam igitur Reſpub. Cretenſium non tam legibus quàm potentiorũ libidine geritur, idcirco ipſorum nõ eſt prorſus Reſpub. ſed potius dynaſtia. Nam licet dynaſtia inter ſpecies Reipub. quæ dicitur paucorũ potentia, numeretur: tamen iam impropriè dicitur paucorũ potentia, vt vltima ſpecies Reipub. popularis, quæ huic ſimilis eſt, non propriè dicitur Reſpub. popularis, aut omnino Reſpub. quia iam deſinit eſſe ordo ciuilis, vt ipſe teſtatur lib. iiij.*

9. Quo fit vt periœci. *Quoniã interiectũ mare hoſtes à Creta ſubmouet, periœci non habent deficiendi occaſionẽ, vt ilotes: qui cum eſſent in continente, vicinorum hoſtium fauore & auxilio in Lacedæmonios arma ſumebant.*

CAPVT IX.

1\. 1 CARTHAGINIENSIVM verò Reſp. rectè inſtituta eſſe, & cæteras multis in rebus excedere videtur, ſed quibuſdam inſtitutis Laconicam potiſſimum æmulari. Nam hæ tres finitimæ ſunt inter ſe, longeque cæteris præſtant, Cretẽſis, Laconica, & quæ tertio loco memorata eſt Carthaginienſis: & multa ſunt apud ipſos probè conſtituta. Rectè autem eis inſtitutam eſſe Republi-
2\. cam argumento eſt, 2 quòd cum plebem habeat, retinet tamen ordinem Reipub. nec ſeditiones in ea, quę quidem memorabiles ſint, nec tyrannides extiterunt. Hæc autem habet quibus Laconicam
3\. Rempub æmulatur, 3 ſodalitatum comeſationes, quæ Phiditijs ſunt ſimilia: centum quatuor virorum imperium, quod Ephoris
4\. reſpondet, niſi quòd hoc habẽt melius inſtitutũ: 4 illi enim ex quibuſuis gregarijſque ſunt. hoc autem imperium optimo cuique mandatur. Sed reges habent & Senatum Carthaginienſes, Laconicis Regibus & Senatoribus reſpondentes: & hoc quoque commo-
5\. dius eſt 5 reges non ex eodem genere, nec ex quouis deligere, aut ſi quod genus eſt præſtantius alijs, ex hoc ei regnum deferre, qui virtute, non qui ætate cæteros antecedat. Nam cum magnarum rerum ſummam poteſtatem reges accipiant, ſi ſint ignaui, mag-
6\. nis incommodis ciuitates afficiunt, 6 vt iam Lacedæmoniorum ciuitatem affecerunt. Pleraque igitur, quæ quia vitioſa ſunt, vitu-

peran-

perantur,communia ſunt cunctis,de quibus diximus, Rebuſpublicis. Ex ijs verò quæ ad ſtatus optimatum & Reipublicæ rationem referuntur,quædam ad popularem ſtatum, quædam ad paucorum potentiam magis inclinant 7 Nam quæ velint ad populum referre, 7.
quæ ſecus, in arbitrio regum eſt & Senatorum qui ſi quid omnes communi conſenſu decreuerint, id ratum eſt: ſin aliter, hoc etiam pertinet ad iudicium populare. Quæcunque autem referuntur,ea non ſolum audiendi populus, ſed etiam ſtatuendi ſummam poteſtatem habet. & ſi quis contra relata dicere velit, licet quod in alijs Rebuſpublicis negatur. 8 Cæterum à ſeipſis deligi 8.
quinque viros, quorum arbitrio multæ res & magnæ geruntur, & 9 centumuiralem magiſtratum,qui maximus eſt, hos deligere, 9.
& hos diutius imperare quàm alios:quippe cum & ante, & poſt geſtum magiſtratum imperium teneant: hæc inquam omnia pertinent ad paucorum potentiam. Quòd autem ſine mercede magiſtratus gerunt, quòd non ſorte creantur, & ſi quid aliud habetur huiuſmodi, conueniens eſt ſtatui optimatum: & item quod cauſas cunctas qui tenent imperium, non quemadmodum apud Lacedæmonios,alij alias cognoſcunt. Cæterum apud Carthaginienſes ſic habet optimatum ſtatus,vt maximè ad paucorum potentiam deflectat, 10 ex quadam quæ vulgo probatur exiſtimatione. 10.
Non enim ſolum virtutem,ſed etiam diuitias ſpectari in magiſtratibus mandandis oportere cenſuit,propterea quod fieri non poſſit vt egenus rectè obeat imperium,& magiſtratui gerendo vacet. Cũ igitur vt diuitiæ creandis magiſtratibus ſuffragentur ad paucorum potentiam, virtutem autem ſpectari ad optimatum imperium pertineat, 11 hæc eſſe tertia quædam ratio conſtitutæ Reipublicæ apud Carthaginienſes videri poteſt.Nam hæc duo ſpectantes magiſtratus creant, præſertim maximos, reges dico, ac bellorum duces. Hunc autem errorem ab optimatum ſtatu deflectendi, legumlatoris peccatum fuiſſe putare conuenit. Nam hoc ab initio prouidere neceſſarium in primis erat, vt virtute præſtantes in otio abſq; vlla fœditate degere poſſent, non ſolum in magiſtratu,ſed etiam in vita priuata. 12 Quòd ſi propter otium diuitiarum eſt habenda ratio, tamen turpe eſt maxima imperia regnum & ductum militarem facere venalia. Hæc enim lex diuitijs quàm virtuti maiorem dignitatem tribuit,& in omnem ciuitatem auaritiam inducit. 13 Quicquid autem Reipub. principes in ho- 13.

nore habent, eo neceſſe eſt vt cæteri ciues ipſorum ſententiam ſequantur. Porrò in qua Republica virtus non eſt maximè omnium in precio, in hac optimatum imperium ſtabilitatem habere non poteſt. Nam qui magiſtratus emerint, hos quæſtibus aſſueſcere probabile eſt, cum facto ſumptu imperia ſint aſſecuti. Nec enim credibile eſt fore, vt vir egenus quidem, probus tamen quæſtui
14. Rempublicam habere velit: deterior 14 qui ſumptus fecerit, non velit Qui ergo magiſtratus ex virtute gerendi facultatem habent,
15. hos fungi magiſtratibus oportet. Quod 15 ſi iam proborum egeſtatem legumlator contemnebat, oportuit tamen otio magiſtratuum conſulere. Illud quoque improbandum eſſe videtur, quod tamen apud Carthaginienſes glorioſum habetur, eundem pluribus magiſtratibus præeſſe. Nam vnum opus ab vno optimè perficitur. quod vt fiat, munus eſt legumlatoris prouidere, nec iubere vt tibia canat
16. quiſquam, & idem calceos conficiat. Itaque 16 niſi parua ſit ciuitas, ciuile eſt & magis populare, vt pluribus magiſtratus communicentur. eſt enim, vt diximus, communius, & eorum quodque melius, celeriuſque perficitur, vt tum in bellicis rebus, tum in nauticis apparet. Nam vtrobique per omnes ferè commeat imperandi & parendi viciſſitudo. Sed cum Reſpublica ad paucorum imperium ſit
17. redacta, 17 optimè tamē incommodum effugiunt, ſemper aliquam
18. plebis partem 18 quam in oppida mittunt, ditantes: hoc enim medentur, & ſtabilem Rempublicam faciunt. At hoc fortunę opus eſt, & beneficium, cum tamen diſſidendi occaſiones ſublatas eſſe oporteat legumlatoris prouiſione. Nunc ſi reflante fortuna, qui ſub imperio ſūt à Republica defecerint, nulla medicina eſt in legibus, qua plebs valeat in quiete, ac in officio contineri. Ac Lacedæmoniorū quidem & Cretenſium Carthaginienſiumque Reſpub. quæ merito celebrantur, ad hunc modum ſeſe habent.

Scholia in Caput VIIII.

1 CARTHAGINIENSIVM verò Reſpublica. *Diſputat in Carthaginienſium Rempublicam, ipſamq́; docet quibuſdam in rebus æmulam eſſe Lacedæmoniorum Reipublicæ, vt in comeſationibus, non totius populi, vt apud Lacedæmonios, ſed quarundam ſodalitatum, & in centum quatuor virorum imperio, quod ſimile erat Ephoriæ, item in Regibus & Senatoribus. ſed Reges, inquit, commodius à Carthaginienſibus, ex cuiuſq; meritis & digni-*

dignitate deligebantur, quam à Lacedæmonijs, qui ex vno duntaxat Heraclidarum genere Reges accipiebant. Sed Carthaginienſis Reſpub. partim ad popularem inclinabat, quatenus ſcilicet multa in Regum Senatorúmque diſcordia ad populum referebantur, partim ad paucorum potentiam, in magiſtratuum ſcilicet creatione. Sed illud erat optimatum ſtatui conueniens, quòd ſine mercede magiſtratus gerebantur, & quod ſuffragio mandebantur, non ſorte, ſed magna ex parte in paucorum potentiam inclinabat, quia magna diuitiarum ratio in mandandis magiſtratibus habebatur, quanquam virtus quoque ſpectaretur. in quo tamen ea fuit legumlatoris culpa, quòd rationem qua viri præſtantes virtute, licet eſſent egeni, otio frui, & magiſtratus gerere poſſent, non inuenit. Illud quoque improbat, quòd cum vnus magiſtratus ab vno multo melius adminiſtretur, & hoc ſit populo gratius, vt plures ſint Reipublicæ participes, tamen vnus homo multis ſimul magiſtratibus fungebatur.

2. Quod cum plebem habeat. *Cum plebs ſit particeps Reipublicæ. Nam in quibuſdam rebuſpublicis plebs omnino à publicorum munerũ adminiſtratione ſummouetur: cum autem plebi Reſp. communicatur, magna prouiſione opus eſt ne ex honorum diſtributionibus, & publicis deliberationibus ſeditiones, aut etiam tyrannides exiſtant.*

3. Sodalitatum comeſationes. *Non enim tota ciuitas erat in comeſationes diſtributa: vt apud Lacedæmonios, ſed ſodalitates quadam & collegia comeſationibus vtebantur: nam fortaſſis quinqueuiri ſimul cœnabant, & item centumquatuoruiri, quæ ſocietates poſſunt ἑταιρίαι Græcè, Latinè ſodalitates, ſiue collegia nuncupari: hæ verò comeſationes ſimiles erant Lacedæmoniorum comeſationibus, Phiditijs nominatis.*

4. Illi enim ex quibuſuis. *Ephori ex plebeis & vulgaribus magna ex parte creabantur.*

5. Reges deligere. *Ratio, inquit, reges deligendi commodior eſt Carthaginienſibus, quàm Lacedæmonijs: his enim ex vno Heraclidarum genere reges erant, qui hæreditario & ætatis iure regnum à patribus traditum accipiebant. Carthaginienſes autem non ex vno genere ſiue familia, ſed nec ex quouis genere, ſex ex optimis & præſtantibus generibus, vt viſum eſſet, reges deligebant. Quòd ſi genus aliquod maximè probabant, ex hoc non ei qui maximus natu eſſet, ſed qui virtute præſtaret, regnum deferebant.*

6. Vt iam Lacedæmoniorũ ciuitatem affecerunt. *Quia non ex virtute & rebus geſtis delectos Reges accipiebant, ſed qualeſcunque nati eſſent iure hæreditario. in quibuſdam exemplaribus non Lacedæmoniorum legitur,*

ſed Carthaginienſium: quod ſi rectè habet, eo pertinet, vt Carthaginienſes intelligantur magna incommoda ex Regum ignauia pertuliſſe, ſi quando pretio aut amore corrupti prauum Regem conſtituiſſent.

7 Nam quæ vellent. *Locus eſt difficilis, dictio græca in hunc modũ habet.* τοῦ μὲν γὰρ τὸ μὲν προσάγειν, τὸ δὲ μὴ προσάγειν πρὸς τὸν δῆμον οἱ βασιλεῖς κύριοι μετὰ τῶν γερόντων, ἂν ὁμογνωμονῶσι πάντες. εἰ δὲ μή, καὶ οὗτος ὁ δῆμος. *Quod eſt Latinè penè ad verbum,* vt h ec ad populum referantur, illa ſecus in arbitrio Regum eſt & Senatorum, ſi conſenſerint omnes: ſin minus, etiam hæc pertinent ad populum. *quòd ſi ſic accipiatur, vt à pleriſque poſſe Reges & Senatores quæ velint ad populum referre, ſi tamen omnes conſenſerint, eſſe referendum, ſenſus ineptus eſſe videtur & perplexus. Hoc enim modo cuncta ad iudicium & arbitrium populare pertinerent: quia ſi conſentiunt omnes vt referatur, tum ea d cit ad populi iudicium pertinere: ſi non conſentiunt omnes, referri oportet ſi autem referatur, iam earum rerum iudicium populo permittitur. Ergo vtroque modo res cõmittenda eſt populi iudicio: quam difficultatem commodè interpres expediuiſſe videtur, ſic accipiens & exponens ſenſum, vt aliquid eſſet per intelligentiam adijciendum, vt ſæpe fit apud Græcos, præſertim Atticos, & ipſum Ariſtotelem. dicitque* ἐλλειπτικὸς λόγος, *id eſt manca oratio, & in qua aliquid deſideratur. igitur illud ſi conſenſerint omnes, non pendet ex ſuperiore oratione, ſed potius eſt eius repetitio & declaratio in hunc modum: Si conſenſerint de re quapiam omnes Reges & Senatores, ſubaudi, nihil eſt neceſſe ad populum referre, aut id ratum eſt in quo conſentiũt ſin minus, id eſt ſi fuerit inter ipſos diſſenſio, referendum eſt ad populum, & ſic populus habet de his deliberandi & ſtatuendi poteſtatem.*

8. Cæterum à ſeipſis deligi quinque viros. *Id eſt à centum quatuor viris, ex ipſis centum quatuor deligi quinqueuiros: ab illis enim eligi docet cũ ait, & cẽtum deligere hos viros. quod licet per amphibologiam dictum ſit ab Ariſtotele obſcuritatem interdum affectante, tamen intelligendum eſt quinqueuiros à centum quatuor ex ſuo numero legi. Hæc igitur conuenire ait paucorum potentiæ: & item illud, quòd quinq; viri diutius imperant, quã alij ſcilicet centum quatuor: quoniam ante quinqueuiratum erant in cẽtumuirali magiſtratu, & poſt centumuiralem, in quinqueuiratu, qui maximus erat magiſtratus*

9. Centumuiralem magiſtratum. *Quem gerunt centumuiri, nam & ſi centum quatuor eſſe paulò antè dixerat, tamen centum dicit, vt ſuprà in Repub. Platonis, cap. iij. Cum Plato cuſtodum quinque millia & quadraginta dicat, ipſe quinque millia dicit, omittens paruum numerum breuitatis*

cauſa, qui parum aut nihil facit ad rem.

10 Ex quadam quæ vulgò probatur exiſtimatione. *Virtuti ſcilicet obeſſe paupertatem ad Rempub. rectè gerẽdam, atque ideo magiſtratus bonis ſimul & diuitibus eſſe mandandos.*

11. Hæc eſſe tertia ratio. *Nam vna ratione hæc Reſpub. conſtituta eſt conueniente ſtatui populari: altera paucorum potentia: tertia ſtatui optimatum.*

12. Quod ſi propter otium. *Quamuis ſit ratio diuitiarum in mandandis magiſtratibus habenda, vt eũ gerendis vacent ab operibus neceſſarijs · ij quibus fuerint mandati, tamen turpe eſt & Reipub. pernicioſũ maximos magiſtratus facere venales, id eſt reges & bellorum duces per largitionem emptis ſuffragijs conſtitui, à quo ſcilicet malo Carthaginienſes non aberant.*

13. Si quid autem Reipub. principes. *Quos pecuniarum ſtudioſos eſſe oportet ad ſummos magiſtratus emendos, ſi venales ſint.*

14. Qui ſumptus fecerit. *Vel emendo magiſtratum initio, vel ipſum ſuis ſumptibus gerendo ſine mercede publica.*

15. Si proborum egeſtatem, ἀπορίαν. *Sic enim legitur in exẽplaribus emendatis, non ἐυπορίαν. quamuis, inquit, non conſuleret proborum hominum egeſtati in vita priuata, tamen prouidendũ erat, vt poſſent otium habere ad gerendos magiſtratus, propoſita eis publica mercede, aut alia ratione.*

16. Niſi ſit parua ciuitas. *Nam cum ciuitas parua eſt, neceßitas & paucitas hominum idoneorum cogit plures magiſtratus vni viro mandare, & verũ lucernas facere, vt ipſe declarabit lib. quarto, cap. decimoquinto.*

17. Optimè incommodum effugiunt *Vitant plebis ſeditiones.*

18. Quam in oppida mittunt. *In oppida Carthagini ſubiecta, vt eis præſint & ex præfecturis diteſcãt: hac enim ratione optimè effugiunt ſeditiones, quæ à plebe poſſent excitari paucorum potentiam indignante.*

CAPVT X.

1. QVI de Republica præceperunt, horum quidam nullis omnino publicis muneribus functi ſunt, ſed vitam priuatam perduxerunt, de quibus ferè omnibus ſi quid memorandum tradidere, ſuprà eſt à nobis diſputatum. Alij Rempublicam ipſi gerentes partim ſuis ciuitatibus, nonnulli externis leges ſcripſerunt, quorum quidam 2 legum duntaxat fuerunt auctores. Alij Rempublicam quoque fundarunt, vt Lycurgus, & Solon: hi enim leges & Rempublicam cõdiderunt. De Lacedæmoniorum igitur Republi- 1 2.

ca ſuprà diſſeruimus. Solonem quidam probum legumlatorem
fuiſſe putant, qui paucorum imperio intemperanter abutentium
dominatum ſuſtulerit, & ſeruientem populum in libertatem ven-
3. dicauerit, ſtatumque popularem rectè Republica temperata 3 in
4. morem maiorum conſtituerit. Nam 4 conſilium Areopagi ad pau-
corum potentiam pertinere tradunt, quòd autem ſuffragio magi-
ſtratus mandentur, ad optimatum imperium: tribunalium verò
rationem popularem eſſe. Solon autem, vt videtur, illa quæ prius
erant, non ſuſtulit, conſilium dico & magiſtratuum delectionem:
5. 5 populum autem per iudicum ex omnibus aſciſcendorum tribu-
nalia conſtituit. Itaque non defuere qui factum Solonis accuſarent,
6. 6 quòd alteram Reipublicæ partem ſuſtuliſſet, rebus cunctis ad tri-
bunalis quod ſorte legebatur, arbitrium reuocatis. Nam poſtquam
7. hoc inualuit, 7 populo quaſi tyranno gratificantes, Rempub-
8. licam in ſtatum popularem quo nunc eſt, induxerunt. 8 Araopa-
gi conſilium Ephialtes & Pericles compeſcuit, eiuſque auctorita-
tem minuit. iudicibus mercedem Pericles idem conſtituit. & ad
hunc modum duces aſſentatoreſque populares, populi potentiam
augentes Rempublicam in hunc popularem dominatum deiece-
runt: id tamen non Solonis voluntate, ſed caſu potius factum fuiſſe
9. videtur. 9 Nam populus cum naualis victoriæ auctor Medorũ bel-
lo fuiſſet, magnos ſpiritus & arrogantiam ſumpſit, habuitq́; prauos
duces curæ popularis captatores, bonis ciuibus contra nitentibus.
Quoniam Solon, vt videtur, poteſtatem populo maximè neceſ-
ſariam, mandandi & corrigendi magiſtratus tribuit: quæ poteſtas
10. ſi populo denegetur, ſeruum eum eſſe neceſſe eſt, & 10 hoſtili odio
diſſidere. Magiſtratus verò cunctos nobilibus & locupletibus
11. mandari voluit, ex ijs videlicet, 11 quorum cenſus eſſet quingen-
torum medimnorum, & ex Zeugitis, & item ex cenſu tertio eque-
ſtri nominato. Quartus autem cenſus erat Theticus, à mercenarijs
dictus, cui nullus magiſtratus communicabatur. Conditores quo-
12. que legum fuere 12 Locris Epizephyrijs Zaleucus: Charondas Ca-
13. taneus ciuibus ſuis, & cæteris 13 Chalcidicis Siciliæ, & Italiæ ciuita-
tibus. Quidam Onomacritum fuiſſe primum qui condendarum
legum ſolertiam habuerit, colligere conati ſunt: eundemque ad
Cretam, cum eſſet Locrenſis, in ea ſe facultate exercuiſſe, dum
ibidem diuinandi artem profitendo peregrinaretur, atque hu-
ius diſcipulum Thaletem, Thaletis Lycurgum & Zaleucum,

Zaleuci Charondam auditores fuiſſe tradunt,temerè tamen,14 nec 14.
temporum rationi congruenter.Philolaus quoq; Corinthius The-
banis legum conditor fuit. Erat autem Phiolaus 15 ex Bacchida- 15.
rum genere,qui Dioclis Olympionicæ amore captus, cum hic ma-
tris Alcionæ amorem peroſus vrbem relinqueret, ipſum eſt The-
bas ſequutus,atque ibi vterque vita functus eſt, quorum ſepulchra
monſtrantur etiam nunc eo ſitu, vt alterum ex altero videri queat,
ſed ita vt in Corinthiorum agrum, ex altero proſpectus ſit,ex alte-
ro non item.Sic enim fabulantur 16 ſepulturam ipſos conſtituiſſe, 16.
Dioclem propter dolorem acceptę calamitatis,ne Corinthius ager
à tumulo proſpiceretur: Philolaum, vt proſpiceretur. Tali ergo
cauſa vt apud Thebanos morarentur, inducti fuiſſe memorantur,
quibus Philolaus, cum de reb alijs leges tulit,tum de filiorum pro-
creatione,17 quas leges illi theticas appellant,quaſi poſitiuas. Illud 17.
aut propriè ab eo ſancitum eſt,18 vt numerus patrimoniorum ſer- 18.
uaretur.Charondæ nullum eſt proprium inſtitutum, præter iudi-
cia de falſis teſtimonijs. Hic enim primus his de rebus conſiderauit,
fuitque accurata leges condendi ratione. 19 huius etiam temporis 19.
legum latoribus argutior.Philolai propria eſt patrimoniorum inæ-
qualitas. Platonis vxorum & filiorum, bonorumque communi-
tas,& mulierum comeſationes. Præterea lex in ebrietatem, vt ſo-
brij conuiuijs præficiantur:ac de bellicis exercitationibus, vt medi-
tando fierent,milites ambidextri: nec enim oportere vt altera ma-
nus vſui ſit,inutilis altera. Draconis extant quidem leges, quas ta-
mē dedit 20 Reipublicę iam conſtitutæ,in quib.legib.nihil eſt pro- 20.
prium,quod quidem ſit memoriæ prodendum,præter ſeueritatem
21 ob pœnæ magnitudinem.22 Pittacus quoque legum ſcriptor fu- 21. 22.
it,non tamen Reipublicæ conditor.Huius fuit propria lex, vt ebrij
ſiquem pulſaſſent, grauiori pœna,quàm ſobrij plecterentur.Nam
quia plures temulenti quàm ſobrij contumeliam inferunt, non ad
veniam ſpectauit,quæ potius eſt danda temulento,23 ſed ad vtilita- 23.
tem. 24 Andromachus quoque Rheginus leges Thraciæ Chalci- 24.
denſibus condidit,cuius extant leges de re capitali, & de puellis or-
bis ad quas parentum bona peruenerint. Nihil tamen eſt quod ab
hoc propriè ſancitum eſſe dicere queas, ſed de Rebuſpublicis, tum
25 quæ propriè intelliguntur, tum de quibus quidam conſcripſere 25.
hactenus.

Scholia in Caput X.

1 QVI de Republica præceperunt. *Explicat legumlatorum diſcrimina quorum aliquos vitam priuatam perduxiſſe, alios Reipub.muneribus functos fuiſſe tradit, & horum quoſdam leges duntaxat tuliſſe, alios Reſpublicas etiam inſtituiſſe. Deinde Athenienſis Reipublicæ rationem paucis commemorat, vt fuerit ex varijs Reipub.generibus à Solone omnium ordinum habita ratione conſtituta, vt poſtea corrupta à popularibus hominibus, & in popularem formam redacta, tum multos diuerſarum gentium legumlatores & philoſophos, qui leges ſcripſerint recenſent: & quid propriè quiſq; ſanxerit, commemorat.*

2 Legum duntaxat fuerunt auctores. *Non condiderunt ſiue conſtituerunt Rempublicam, ſed iam conditæ leges tulerunt.*

3 In morem maiorum. *Non in eum quo nunc Athenienſes vtuntur deprauato & diſſoluto, ſed ita vt propriè Reſpub. & eſſet & nominaretur ex varijs generibus Reipub. temperata, vt ſtatum popularem conſtituiſſe ab his Solon diceretur: non quod ſtatum popularem inſtituiſſet, quæ forma eſt Reipub.deprauata, ſed quod populum à paucorum dominatu liberaſſet, & participem Reipub.feciſſet.*

4 Areopagi conſilium. *Senatum: eſt enim Areopagus curia ſiue locus Athenis, vbi Senatores conſultabant, vnde Senatores Areopagitæ dicebantur.*

5 Populum autem conſtituit. *Habuit rationem populi, atque ei magiſtratus communicauit.*

6 Quod alteram Reipublicæ partem ſuſtuliſſet. *Partem locupletum, & optimatum.*

7 Populo quaſi tyrāno. *Tres Reſpublicæ deprauatæ inter ſe cognatæ sũt, & ſimilima, vt ipſe declarabit: in monarchia, tyrannis: in paucorum potentia, Dynaſtia: in populari, extremus ſtatus popularis. Vt autem tyranno adulatores, ſic extremo populo quaſi tyranno homines populares blandiuntur, qui græcè δημαγωγοί nominantur, à quibus Rempublicam Athenienſium in eum ſtatum quo tunc erat, deductam eſſe dicit.*

8 Areopagi conſilium Ephialtes & Pericles compeſcuit. *Senatorum auctoritatem & potentiam minuit. Ephialtes autem fuit, vt refert Plutarchus, Periclis adminiſter in augenda populi potentia, vt per hanc ipſe Pericles Athenienſium Reipublicæ dominaretur.*

9 Nam populus cum naualis victoriæ fuiſſet auctor Medorum bello. *In eo bello quod Xerxes Medorum, & Perſarum rex, cum infinito pedeſtri & nauali exercitu Græciæ intulit. Victus enim fuit ad Salaminē inſulam pro*

*lam prælio nauali virtute Græcorũ ſed potiſsimum Athenienſium, idq́ꝫ omni-
um indicio, vt refert Trogus Pompeius, ex qua victoria populus Athenienſis
magnos ſpiritus, magnamq́ꝫ arrogantiam ſampſiſſe ab Ariſtotele dicitur. In o-
mnibus græcis exẽplaribus quæ mihi videre contigit, hoc in loco τ̃ ναυαρχίας
ſcriptum eſt, quæ vox non victoriam naualem, ſed nauium præfecturam ſigni-
ficat. Nec facilè poteſt ad aliquem huc conuenientem ſenſum accommodari.
quare cum hic perſpicuè prælium nauale ſignificet Ariſtoteles, quo Medi vi-
cti ſunt à Græcis, mendum ſubeſſe ſuſpicari mihi venit in mentem, & pro
ναυαγίας ſuppoſitum fuiſſe vitio librariorum, ναυαρχίας facillimo ſcilicet
lapſu: ναυαγία enim naufragium ſonat propriè, & per tranſlationem quen-
cunque caſum ſeu cladem, auctore Suyda, vt hoc verbo clades Medorum na-
ualis & Græcorum victoria ſignificetur. qua ratione ductus non nauium præ
fecturam, ſed victoriam naualem conuerti: nam vtrocunque modo legatur,
ſenſus in hanc intelligentiam eſt reuocandus.*

10 Hoſtili odio diſsidere. *A gerentibus Rempublicam.*

11 Quorum cenſus eſſet quingentorum medimnorum. *Solon, vt re-
fert Plutarchus, maximum primumq́ꝫ cenſum quingentorum medimnorum
eſſe voluit: ſecundum trecentorum, tertium ducentorum, quartum extre-
mum, in quo opifices & mercenarij continebantur. Quorum qui ſecundum
cenſum habebant, equites: qui tertium, zeugitas vocari Plutarchus idem tra
dit. Quod ſi verum eſt, Ariſtoteles non ordine magnitudinis, ſed vt venit in
mentem cenſus numerauit, cum equeſtrem ordinem tertio loco poſuit.*

12 Locris Epizephyrijs. *Ternos Locros memorãt auctores, Locros Ozolos,
Aetolis proximos, Locros Epicnemidios, qui olim leges dicebantur, per quos
Cephyſus amnis defertur. Locros Epizephyrios in Italiæ parte, quæ magna
Græcia dicebatur à Zephyrio promontorio, vt refert Plinius, cognominatos.*

13 Cæteris Chalcidicis Siciliæ & Italiæ ciuitatib.. *Erant ſcilicet populi
non modo in Sicilia, ſed etiam in Italia Chalcidici cognominati, qui à Cha-
ronda leges acceperunt. Hæ autem omnes ciuitates ſiue populi originem ab
Eubæa Calcidenſibus traxiſſe videntur. Certe Hellanicus Theoclem memo-
rat, cum Chalcidenſibus & Naxijs vrbes in Sicilia condidiſſe. Chalcis autem
vrbs eſt in Eubœa.*

14 Nec temporũ rationi congruẽtur. *Non his temporib. vixere philoſo
phi, & legũlatores memorati, vt poſſent hoc ordine alij aliorũ eſſe diſcipuli.*

15 Ex Bacchidarum genere. *Bacchidarum familia nobiliſsima fuit Co-
rinthi, genus à Baccho ducens, vt Heraclidæ ab Hercule.*

16 Sepulturam ipſos conſtituiſſe. *Eorum exemplarium fidem ſecutus
eſt interpres, in quibus ταφὺν legitur, in alijs enim γραφὺν id eſt ſcri-*

pturam

pturam habetur. Sed illa lectio magis placuit: eſt enim ſenſus ſic vtrunq; illorum conſtituiſſe ſuam ſepulturam.

17 Quas leges illi theticas appellant. *Fortaſſe quia erãt velut fundamenta Reipublicæ. Nam θέσις interdum, vt ὑπόθεσις fundamentum ſignificat. quòd verò ait de filiorum procreatione, ad ritum nuptiarum referendum eſſe videtur.*

18 Vt numerus patrimoniorum ſeruaretur. *Vt patrimonia manerent indiuiſa: nam per diuiſionem numerus creſcit.*

19 Huius temporis legumlatoribus argutia. *Platonem deſignare videtur, quo Charondam dicit argutiorem, id eſt ſolertiorem in ferendis legibus fuiſſe.*

20 Reipublicæ iam conſtitutæ. *Reipublicæ Athenienſium, quæ iam ante Draconem fuerat inſtituta.*

21 Ob pœnæ magnitudinem. *Omnibus enim criminibus, etiam leuiſſimis, capitis pœnam Draco cõſtituit: vt rectè Demades Draconem leges non atramento, ſed ſanguine ſcripſiſſe dixerit. Quamobrem omnes latas ab eo leges, præterquam de homicidio, Solon antiquauit.*

22 Pittacus quoque. *Mitylenæus hic fuit inter ſeptem ſapientes connumeratus, qui imperium à ſuis Mitylenæis delatum, cum decem annos tenuiſſet, datis legibus ſponte depoſuit, & paruo contentus, dimidium dicebat plus eſſe quàm totum, ex Diogene Laertio.*

23 Sed ad vtilitatem. *Vt magnitudine pœnæ homines ab ebrietate deterrerentur.*

24 Andromachus quoq; Rheginus. *Ex Rhegio vrbe Italiæ ad fretũ Siculum, & magnam Græciam. hic igitur fuit ex ijs, quos ſuprà dixit alienis ciuitatibus leges dediſſe. Dedit enim Chalcidenſibus Thraciæ, quorum vrbs Chalcis erat ad montem Athon, quidicet ab alijs in Macedonia parte numeretur, tamen Ariſtoteles eam Thraciæ tribuere videtur, quam olim latiſſimè patuiſſe docet Pomponius Mela, dum Thraciam à ponti lateris fronte vſque in Illyricos penitus immiſſam eſſe tradit.*

25 Quæ propriè intelliguntur *Quibus vtebantur aliquæ ciuitates. Nam Reſpublica Platonis & ſiqua eſt alia ab aliquo philoſophorum deſcripta, non tamen à ciuitate quapiam accepta, non propriè dicitur Reſpublica.*

ARISTOTELIS DE REPVBLICA LIBER TERTIVS,

Interprete & enarratore
IOANNE GENESIO SEPVLVEDA
CORDVBENSI.

CAPVT I.

QVI de Repub. quæ & qualis quęque ſit commen- 1.
tatur, huius prima ferè conſideratio eſt
de ciuitate, vt quid tandem ciuitas ſit, intelli-
gatur. 2 Nunc enim contentiones exiſtunt, 2.
quibuſdam rem à ciuitate, alijs non à ciuitate,
ſed à paucorum potentia, vel à tyranno acta
eſſe confirmantibus. Cæterum viri ciuilis le-
gumque latoris munus totum videmus in ci-
uitate verſari. Eſt autem Reſpublica ordo quidam vrbem incolen-
tium. 3 Sed quoniam vt quoduis aliud totum, & ex multis partibus 3.
conſiſtens, ſic ciuitas eſt de numero compoſitorum. Dum ciuitas
ſit ciuiũ multitudo, oportet haud dubiè vt primum omnium de ci-
ue diſſeramus, quẽ igitur oporteat ciuẽ appellare, & quis ciuis ſit, cõ-
ſiderandũ eſt: nam ſæpe ciuis in quæſtionẽ venit, nec oẽs eundẽ eſſe
ciuẽ cõſentiũt: ſæpe.n. qui ciuis eſt in populari principatu, 4 is nõ eſt
ciuis in paucorũ potentia. Omiſſis igitur ijs qui alia quadã ratione 4.
hoc nomen ſortiuntur, 5 vt ciues factitij, ciuis non loci habitatione 5.
cenſetur: hæc enim inquilinis quoq; & ſeruis eſt cum ciuibus co m-
munis. Sed ne ij quidem ſunt in ciuibus habendi, qui fori ius ſic ha-
bẽt, vt eis tribunal adire, ac ius petere liceat. Hæc enim facultas, ijs
quoque tributa eſt, qui cum ciuibus contrahunt, habentque com-
mercium: 6 nam & hæc eis permittuntur: de quorum hominum 6.
numero, inquilinis multis in locis 7 talis ſocietas non perfectè com 7.
municatur, qui non ſimpliciter, planè, ſed quodammodo ciues
appellãdi ſunt, vt pueri, qui propter ætatẽ 8 nondum ſcripti ſunt, & 8.
ſenes qui iam 9 munerũ vacationẽ habent: nam hos nõ ſimpliciter, 9.
ſed cum additamento, alteros imperfectos, alteros 10 effœtos ciues, 10.
aut tale quiddam appellamus: nihil enim refert, modo quod dici-

mus, in-

11. mus, intelligatur: quærimus enim ciuẽ ſimpliciter, & qui 11 nulla
tali exceptione repelli valeat. nam ſimilia & obijci poſſunt, & reſel
li, de infamib. & ijs qui miſſi fuerint in exilium. Ciuis igitur nul-
21. la re alia magis definiri poteſt, quàm quòd ſit 12 iudicij & imperij
13. 14. particeps, 13 ſed imperia ſeu magiſtratus quædam ſunt 14 tempore
determinata, vt aliqua bis eundem obire prorſus non liceat, aut non
aliter quàm certis temporibus interiectis: quædam verò indefinita,
15. 16. cuiuſmodi ſunt 15 iudex & conſultator. 16 ſed fortaſſe dicat aliquis,
neque hos imperare, neque idcirco eſſe participes imperij. at ridi-
culum eſſet penes quos eſt maximarum rerum poteſtas, hos cum
17. imperio eſſe negare: 17 ſed in nullo ponamus diſcrimine, cum ſit
18 de nomine controuerſia. nam 18 quod eſt conſultari cum iudice
commune, nomine vacat, nec eſt vocabulum quod vtrique conue-
niat: diſtinctionis tamẽ gratia imperium indefinitum nominetur.
1 Quibus igitur imperium 19 ad hunc modum communicatur, eos
9 ciues eſſe conſtituimus, atque huiuſmodi quidem ferè eſt ciuis de-
finitio, quæ in omnes qui ciues nuncupantur, maximè conueniat.
Intelligendum eſt tamen in quibus rebus ſubiecta ſic ſpecie diffe-
runt, vt hoc ſit primum, illud ſecundum, aliud tertium: in his aut
nihil omnino, quia talia ſunt, aut vix aliquid eſſe cõmune. Reſpub.
autem ſpecie inter ſe differre, & has poſteriores, illas priores eſſe vi-
20. demus. 20 Nam deprauatas & à recta norma deflectentes, rectis &
incorruptis poſteriores eſſe neceſſe eſt: quomodo autẽ à recta nor-
ma digreſſas dicamus, poſtea declarabimus. Itaque cum ciuis alius in
21. alia Repub. neceſſario ſit, efficitur 21 vt quẽ diximus, is in populari
potiſſimum Repub. ciuis habeatur: vt verò in alijs fieri quidem
22. poſſit, non tamen ſit neceſſe: in quibuſdam enim 22 nec populus
eſt, nec legitima concio, ſed Senatores & per partes cauſas cognoſ-
23. cunt, vt Lacedæmone 23 de contractis pactiſque rebus cauſas E-
24. phori, ſed alius aliam dijudicat: capitales autem Senatores, 24 & for-
taſſe alius quidam magiſtratus alias. eodemque modo fit Carthagi-
ne. Quidam enim magiſtratus cauſas omnes cognoſcunt. Eſt tamen
quod corrigi poſſit in ciuis definitione: in alijs enim Rebuſpub.
non indefinitus magiſtratus conſultor eſt & iudex, ſed qui fuerit
pro magiſtratus ratione definitus: nam ijs aut omnibus aut quibuſ-
dam deliberare & iudicare de rebus omnibus, vel de parte permit-
titur. Ciuis igitur quis ſit, facilè eſt ex ijs quæ diximus, intelligere.
Nam cui deliberandi & iudicandi in quaque ciuitate facultas ad-

eſt,

eſt,hunc ciuem eius eſſe definimus: & ciuitatem talium hominum
multitudinem, 25 cui, vt ſummatim loquar, copia ſuppetit earum 25.
rerum quæ pertinent ad vitam degendam. 26 Sunt etiam qui 27 ad 26. 27.
vſum ciuem eſſe definiant,qui non patre aut matre tantum, ſed v-
troque parente ciue ſit procreatus: quidam vlterius etiam,ad auos
duos,treſve,aut plures etiam procedunt. Quibus ſic 28 ciuiliter ac 28.
breuiter definitis,quidam de tertio illo,& quarto, quomodo ſit ci-
uis habẽdus,exquirunt.Gorgias Leontinus 29 partim fortaſſe am- 29.
bigendo,partim per ironiam dixit,vt mortaria ſunt,quæ facta fue-
rint à mortariorum artificibus: ſic Lariſſæos eſſe, qui facti fuerint
ab artificibus ſuis.Nam eſſe quoſdam Lariſſæorum effectores,quod
multum habet ruditatis:nam ſi eſſent Reipublicæ participes, eſſent
vtique ciues ex dicta definitione:nec quod de patre ciue,aut matre
dicunt,id poteſt in eos 30 qui primùm vrbem vel incoluerunt,vel 30.
condiderunt conuenire: ſed de ijs fortaſſe magis quærendum ſit,
qui forma Reipublicæ mutata ad eius communitatem ſunt recepti,
vt Athenis factum eſt auctore Cliſthene,31 tyrannis exactis:nam is 31.
in tribus multos peregrinos ſeruoſque aduenas diſtribuit. Cæte-
rum de his non quis eorum ciuis ſit, ſed iuſtè an ſecus facti ſint ci-
ues,quæritur.quo in loco illud præterea in quæſtionem venire po-
teſt, num ſi quis iniuſtè ciuis eſt, is protinus non ſit in ciuibus ha-
bendus, quaſi 32 eadem ſit vis iniuſti & falſi. ſed cum quoſdam in- 32.
iuſtè imperantes videre liceat, quos imperare quidem dicimus, ta-
men iuſtè imperare negamus, & ciuis imperio quodam definiatur:
nam cui 33 tale imperium communicatur,hunc ciuem eſſe dicimus. 33.
dubitari non debet, quin hi quoque ſint in ciuibus habendi:ſed il-
lud iuſtè an iniuſtè facti ſint,ad quæſtionem ſuperiorem pertinet.
Ambigunt enim nonnulli,quando ciuitas, quando nõ ciuitas egit
vt cum ex paucorum dominatu, vel tyrannide facta eſt Reſpub.
popularis,tunc enim quidam 34 pactis,quaſi ea non à ciuitate,ſed à 34.
tyranno inita ſint, ſtare nolunt: nec alia multa huius generis ſer-
uare, quaſi quædam Reſpublica vi non propter publicam com-
moditatem conſiſtat 35 Si ergo quidam rem populariter ad- 35.
miniſtrant,hoc modo perinde acta huius Reipublicæ
dicenda ſunt acta huius ciuitatis,& quæ ex
paucorum dominatu, & tyranni-
de acta ſint.

Scholia in Caput I.

1 QVI de Repub. quæ & qualis ſit commentatur. *Quia Reſpub eſt ordo vrbem inhabitantium, id eſt ordo ciuitatis, præſertim magiſtratuum, vt lib. iiij. declaratur, cap I. & item quia Reſpub. eſt vita ciuitatis, vt eſt in eodem libro iiij. cap. xi. idcirco vt Reipub. rationem intelligamus, neceſſe eſt quid ſit ciuitas intelligere: & quia ciuitas eſt ciuium multitudo, cum de partibus priuſquam de toto ſit more & inſtituto noſtro diſſerendum, primum omnium de ciue diſputare conuenit, qui cum alius ſit in alia Reipub. forma, tamen ciuis in vniuerſum iudicandi, & deliberandi facultate cenſetur, quod vtrunque magiſtratus inde finitus nominatur: & hominum, quibus ſic Reſpub. communicatur, multitudo: cui ſuppetat rerum neceſſariarum & commodarum copia, ciuitas eſſe definitur.*

2 Nunc enim contentiones exiſtunt. *Non conſtat inter omnes quæ ſit ciuitas appellanda: nam mutata Republica forma exempli gratia, ex paucorum dominatu, aut ex tyrannide in popularē, cum de fœderibus ſuperioris tēporis atq; pactis ſtandum ſit, an ſecus, deliberatur quidam fœdera & pacta inita eſſe dicunt à ciuitate, & propterea ſeruanda: alij negant, ſed à paucis, vel à tyranno, ac idcirco non ſeruanda, ſed acta omnia reſcindenda eſſe contendunt: quæ controuerſia facile dirimetur, ſi ciuitas quid ſit, definierimus.*

3 Sed quoniam, vt quoduis aliud totum ex multis partibus conſiſtens. *Vt omne totum ex partibus diuiſi generis conſtatum.*

4 Is non eſt ciuis in paucorum potentia. *Vt qui liber eſt minimo tamen cenſu, huic enim Reſpub in ſtatu populari communicatur, in paucorum potentia non item: quare illic ciuis eſt, hic non habetur pro ciue.*

5 Vt ciues factitij. *Ciuitate donati, qui non tam re ſunt, quàm priuilegio ciues.*

6 Nam & hæc eis permittuntur. *Mercatoribus, & qui in vrbe negotiantur, ius petere licet, & legibus agere, ſi quid detrimenti per iniuriam accipiant.*

7 Talis ſocietas. *Iudiciorum communitas: coguntur enim in quibuſdam ciuitatibus inquilini patronum ciuem adhibere, nec per ſe licet eis litigare: quo fit, vt non perfectè ſint iudiciorum participes, vt declarant verba, quæ vetus ad verbum interpretatio hoc in loco adijcit: nam poſt illud,* Talis ſocietas non perfectè communicatur, *addit hoc,* ſed neceſſe eſt tribuere aſtitorem : *quare imperfectè aliqualiter participant tali communione, vt græcū exemplar quod interpres ille ſequitur, ſic habuiſſe videatur,* ἀλλ' ἀναγκαῖον ἀποδοῦναι παραστάτην διὸ ἀτελῶς πως μετέχουσι τῆς τοιαύτης κοινωνίας

κοινωνίας, quod ſiue gloſſema eſt in dictionem à librarijs tranſlatum, ſiue in alijs codicibus deſideratur, illum ſenſum habet, quem initio propoſuimus.

8 Nondum ſcripti ſunt. *In albo, ſeu libro & catalogo ciuium.*

9 Munerum habent vacationem. *Immunitatem publici muneris gerendi.*

10. Effœtos ciues. *Vt pote quibus vires iam aut corporis aut mentis, quæ & ipſa ſuum ſenium habet, vt ſuprà dictum eſt, lib. ij. non ſuppetunt ad gerendos magiſtratus, & munera publica obeunda: non quod anima intellectualis quæ immortalis eſt, ſeneſcat, ſed quia deficientibus corporeis inſtrumentis, ſenectutis vitio, vſus quoque rationis & intellectus attenuatur, & quaſi ſeneſcit, vnde natum eſt prouerbium: bis pueri ſenes.*

11 Nulla tali exceptione *Qualis eſt inquilinorum conditio.*

12. Iudicij & imperij. *Iudicandi. quod fit etiam ferendo ſuffragium in mandandis magiſtratibus, & conſultandi in conuentu populari.*

13. Sed imperia ſeu magiſtratus. *quod græcè eſt ἀρχὴ, hoc latinè tum magiſtratus, tum imperium dicitur: quare interpres vnum vocabulum duobus declarauit. Magiſtratus igitur ſiue imperia quædam ſunt definita tempore, non perpetua quædam indefinita.*

14 Tempore determinata. *quod græcè eſt διῃρημένας, determinata conuertit interpres: ſic enim locus poſtulat, & verbum διαιρέομαι, ſæpe ab Ariſtotele in hanc intelligentiam vſurpatur, vt διαιρεῖσθαι dicat tum diſputare & differere, tum conſtituere, & ratione determinare.*

15. Vt iudex & conſultator. *Poteſtas iudicãdi præſertim ferendis ſuffragijs: hæc enim iudicandi ratio ad plurimos pertinet, & deliberandi in cõuentu populari. Nam ferre ſuffragium κρίνειν ſolet Ariſtoteles dicere, id eſt iudicare, vt ſuprà libro ſecundo de electione regum Carthaginienſium, κατὰ τὸν αὐτοῦ βίον ἕκαστον κρίνεσθαι τῶν βασιλέων. Nã per ſuffragiũ iudiciũ inter cãpetitores fertur, quare ipſam ſuffragiorũ lationẽ κρίσιν id eſt iudicium appellare ſolet, vt in eodẽ libro, & capite κατὰ τὴν κρίσιν ἐστὶ παιδαριώδης. Præterea poſcere geſti magiſtratus rationẽ, ſiue ex prouocatione corrigere, quod græcè eſt εὐθύνειν, ad iudicium pertinet, quod in multis Rebuſpublicis populo permittitur, ac omnino permitti debet, vt ipſe dixit libro ſecundo, capitulo vltimo Conſultorem autem ſiue conſultatorem conuertit interpres, quod græcè eſt ἐκκλησιαστὴς, quaſi concionator, quoniam ſic Ariſtoteles paſsim omnes qui in concione, id eſt in conuentu populari deliberant, appellat. itaque hoc ipſum deliberare modo ἐκκλησιάζειν dicit, modo βουλεύεσθαι,*

vt paulò infrà hoc eodem capite.

16 Sed fortaſſe dicat aliquis. *Cæteri magiſtratus, vt conſul, cenſor, imperator, ſiue dux belli, haud dubiè tenent imperium. at iudex qui nihil aliud eſſe videtur, quàm legis adminiſter, & executor & deliberator, cuius partes ſunt quid optimum factu ſit, conſiderare, & conſtituere, habere imperium nõ videntur: at eorum nullum eſſe imperium, qui maximam rerum poteſtatem habent in ciuitate, iudicum ſcilicet, & conſultatorum abſurdum dictu eſſe videtur.*

17 Sed in nullo ponamus diſcrimine. *Nihil noſtra interſit, nec ea nos cura ſollicitet.*

18. Quod eſt conſultori. *Nullum eſt nomen commune, quo conſultor & iudex nominentur, vt homo & equus, communi animalis nomine nuncupantur.*

19 Ad hunc modum. *Iudicando & conſultando.*

20 Nam deprauatas. *Quemadmodum totum natura prius eſt parte, & ciuitas domo, vt dictum eſt in primo libro, id eſt potior, & melior: ſic recta Reſpublica prior eſt, quàm deprauata.*

21. Vt quem diximus. *Ciuis quẽadmodum diximus definitus, ſcilicet qui iudicandi & deliberandi facultatem habet, quoniam in Republica populari nullus vnquam ciuis à concione ſeu deliberatione populari excluditur, nec à iudicio ſaltem ab eo, quo dijudicantur competitores, hoc eſt à ferendo ſuffragio. quod quanquam fieri poßit eodem modo in alijs Rebuſpublicis, exempli gratia in paucorum potentia, vbi populus habet ferendi ſuffragium, & deligendi poteſtatem, ſed ex magnis cenſibus, & de quibuſdam rebus in concione deliberandi: tamen fieri poteſt, vt nec iudicare vllo modo, nec deliberare, niſi certis & definitis magiſtratibus liceat.*

22. Nec populus eſt, nec legitima concio. *Nihil per communem popularium conuentum deliberatur aut iudicatur.*

23. De contractis pactiſq; rebus. *Contrahere cum altero dicitur, qui emit, vendit, locat, conducit, paciſcitur, aut aliud ſimile facit: qui cõtractus & pacta, συμβόλαια græcè nominantur. omnia autem iudicia, vt Cicero teſtatur, aut diſtrahendarum controuerſiarum, quod pertinet ad res cõtractas & pactas, aut puniendorum maleficiorum cauſa reperta ſunt: cuius generis poſterioris cauſæ à Græcis φονικαὶ δίκαι dicũtur, id eſt capitales, quia ſæpe in his de capite reus periclitatur: aut de exilio, quæ mors ciuilis nominatur, vulgo criminales dicuntur.*

24. Et fortaſſe alius magiſtratus alias. *Nam vtrunque genus cauſarũ poteſt in partes diuidi, & diuerſorum magiſtratuum cognitioni tribui.*

25. Cui copia ſuppetat. *Quæ multitudo eiuſmodi ſit, vt mutuo auxilio & facultatibus ciuium vniuerſa ciuitas copiam rerum neceſſariarum, & commodarum ad vitam degendam habeat.*

26. Sunt etiam qui ad vſum ciuem eſſe definiant. *Alteram ciuis definitionem proponit & refellit: nam quidam ciuem eſſe definiunt, qui vtroq; parente, aut etiam ciuis ciuibus natus ſit. quæ definitio nec in vrbis conditores cõuenire poteſt, nec in eos qui primi vrbem inhabitarunt: quoſdã etiam iniuſtè ciues eſſe factos docet, qui tamen veri ſunt ciues, & ciuitatem tamdiu manere eandem, quamdiu manet eadem Reipublicæ forma.*

27. Ad vſum. *In hac doctrina ciuili, vt libro primo declaratum eſt, quædã cognitionis & contemplationis, pleraq; vſus & actionis gratia diſſerũtur. Superior igitur ciuis definitio magis ad cognitionem & partem ſpeculatiuam pertinet: hæc vſum & partem actiuam magis attingit.*

28. Ciuiliter. *Prout pertinet ad vſum, & adminiſtrationem ciuitatis.*

29. Partim fortaſſis ambigendo, partim per ironiam. *Nã vt ciuẽ definiret Gorgias, cuius parentes fuiſſent ciues, fortaſſe dubitando & quærendo fecit, quod verò mortariorum ſimilitudine vteretur per ironiam quæ latinè dicitur diſſimulatio: quanquam verbum ipſum ironia iam eſt in latinam conſuetudinem receptum. Eſt autem ironia, ſiue diſſimulatio, cum aliquis de ſe minora ſuis virtutibus, vel doctrina prædicat, aut dicit: vt Socrates, qui ſe cuncta ignorare dicebat, præterquam quòd nihil ſciret. Gorgias igitur vtitur exemplo mortariorum abiecto, & nimis vulgari, nec conueniente magno philoſopho, velut innuens ſe vulgarem & indoctum eſſe, quod pertinet ad ironiam, de qua pluribus verbis diſſerit Ariſtoteles lib. iiij. Ethicorum ad Nicomachum. aut ironiam dixit pro ioco: nam* εἰρωνεύεσθαι, *quo verbo vſus eſt Ariſtoteles, interdum iocari ſignificat, vt apud eundem in artis rhetoricæ, lib. ij.* καὶ τοῖς εἰρωνευομένοις πρὸς τοὺς σπουδάζοντας: καταφρονητικὸν γὰρ ἡ εἰρωνεία Iraſcũtur, *inquit*, homines ijs, qui ſecũ ſerio agentibus iocantur: *nã iocus ad cõtemptum pertinet. Vtitur autẽ Gorgias exemplo Lariſſæorum, quæ ciuitas eſt Theſſaliæ: quanquam Lariſſæ multæ etiã aliæ nominãtur.*

30. Qui primi vrbem incoluerunt, vel condiderunt. *Vt qui primi in aliquã iam conditam vrbem coloni deducti ſunt, vel ipſi vrbem condiderũt. Nã cum eſſent ipſi primi ciues eius ciuitatis, non poterant ab alijs ciuibus eiuſdem ciuitatis eſſe procreati: tunc enim eſſent ciues priores primis, quod fieri non poteſt.*

31. Tyrannis exactis. *Victi magna ſtrage Athenienſes à Lacedæmonijs, non aliter pacem ab ipſis impetrare potuerũt, quàm vt triginta rectores ciuitatis acciperent, ex ipſis tamen Athenienſibus vt Reſpub. ex populari paucorũ*

poten-

potentia fieret, quod vbiq; facere Lacedamonij conabantur, qui triginta ac-cepto imperio pro rectoribus tyrannos egerunt, duce tamen & auctore Thra-ſibulo triginta tyranni exacti, & in exilium miſsi ſunt, ſuffectis decem, qui Rempub. adminiſtrarent, qui eandem crudelitatis viam ingreſsi, eodem mo-do in exilium miſsi ſunt Cum bellis igitur ſuperioribus, & tyrannorum ſaui-tia Athenienſes ad magnam paucitatem fuiſſent redacti, auctore Cliſthene, multos externos, & inquilinos, & ſeruos manumiſſos in ciuitatē ad ſupplen-dam ciuium paucitatē receperunt.

32. Eadem ſit vis iniuſti & falſi. *Quaſi idem ſignificat iniuſtum & fal-ſum, idemq; ſit quempiam iniuſtè ciuem eſſe, quod falſo ciuem dici.*

33. Tale imperium. *Ius deliberandi & iudicandi.*

34. Pactis ſtare. *διαλύειν græcè propriè diſſoluere ſignificat ſed quia per pacta & fœdera diſcordia diſſoluuntur ac dirimuntur, idcirco tum fœdus fe-rire & paciſci, tum fœderibus & pactis ſtare, eodem verbo Græci ſignificant, vt ſæpe Ariſtoteles, qui hoc in loco pro ſtare fœderibus pactiſq; dixit, vt inter-pres conuertit.*

35. Si ergo quidam rem populariter adminiſtrant. *Quemadmodum, inquit, acta populi in Repub. populari ſunt acta huius ciuitatis, quæ populari-ter adminiſtratur: ſic acta à tyrāno dicēda ſunt acta ciuitatis, quæ tyrannicè gubernatur. Sed mutata Reipublicæ forma ex tyrannide exēpli gratia, in po-pularem, in hac tyranni acta negari poſſunt ab hac ciuitate, acta non tamen ſimpliciter à ciuitate: non enim hoc eſt à ciuitate agi, quod agi ab eadem ciui-tate. quādo verò eadem ciuitas dici debeat, proximo capite declarabitur.*

CAPVT II.

1\. 1 CÆTERVM ſermo propriè ad hanc quæſtionem pertinet,
qua tandem ratione ciuitas eadem aut non eadem, ſed diuerſa
eſſe dici debeat. Huius autem dubitationis facillima quæſtio in
2\. loco & hominibus verſatur: fieri enim poteſt, 2 vt locus & ho-
mines diuidantur, & alij alium inhabitent. ſed hæc quæſtio idcir-
3\. co facilior eſt iudicanda, quoniam 3 cum ciuitas multifariam dica-
tur, non eſt difficile veritatem inueſtigare. Pari ratione de ciuita-
te hominum eundem locum incolentium dubitatur, quando vna
4 eſſe putari debeat: nec enim ex mœnibus æſtimanda eſt: 4 nam Pe-
5\. loponneſum vno muro circundare liceat, 5 cuiuſmodi fortaſſis eſt
Babylon, & quæcunque gentis magis quàm vrbis ambitum habet:
qua Babylone ab hoſtibus capta, triduo partem ciuitatis id non
ſenſiſſe

ſenſiſſe ferunt. Sed de his rebus commodius alio in loco diſputabitur: nam de magnitudine vrbis homini ciuili quantam, & vnam multitudinem, an plures eſſe oporteat, compertum eſſe debet. Sed eiſdem hominibus eundem locum incolentibus quæritur, nũ ciuitas tandiu ſit vna dicenda, dum idem ſit genus incolentium, quamuis perpetua viciſſitudine alij intereant, alij rurſus procreentur. vt fluuios & item fontes eoſdem dicere ſolemus, licet aqua profluens altera ſublabente ſuccedat altera: an homines ſimilem ob cauſam eoſdem dicere oportet, ciuitatem non item? Nam ſi ciuitas eſt ſocietas quædam, ſocietas autem ciuium, vtique ſi Reſpublica altera fiat ſpecie cum ſit Reſpublica diuerſa, neceſſarium eſſe videri poteſt ciuitatem quoque non eſſe eandem: vt chorus, qui modò comicus eſt, modò tragicus, licet ſæpe eiſdem hominibus conſtet, diuerſus tamen eſſe dicitur. Eodemque modo quamlibet aliam ſocietatem & compoſitionem diuerſam eſſe dicimus, ſi ſpecies compoſitionis ſit diuerſa: vt concentum earundem vocum diuerſum eſſe diceremus, ſi nunc Doricus eſſet, aliàs Phrygius. Quod ſi ita eſt, ſatis intelligitur ciuitatem ad Reipublicæ formam ſpectantibus eſſe dicendam: quæ tum diuerſa, tum eadem dici poteſt, ſiue ab eiſdem hominibus, ſiue à prorſus diuerſis incolatur. Sed vtrum ciuitas forma Reipub. mutata, ſtare pactis debeat, an ſecus, alia quæſtio eſt.

Scholia in Caput II.

1 CAETERVM hic ſermo propriè pertinet. *Mutatione facta in ciuitate quæri ſolet, maneat eadem ciuitas, an ſecus. ſed huius quæſtionis nõ eſt difficilis ſolutio: nam ſi locus duntaxat mutetur, erit vrbs alia, non alia ciuitas. ſi homines duntaxat mutentur manente Reipub. forma, manet eadem ciuitas. ſed ſi forma Reipub. mutatur, alia ciuitas efficitur.*

2. Vt locus & homines diuidãtur. *Id eſt vrbs & ciuitas: vt ſi ducto muro per medium vrbis alij hanc partem, alij illam inhabitarent.*

3. Cum ciuitas multifariam dicatur *πόλις græcè, nunc vrbem, id eſt locũ, mœnia ac ædificia: modò ciuitatem, id eſt homines vrbẽ inhabitãtes ſignificat: quæ diſtinctio facilẽ quæſtionẽ reddit. poteſt enim manere eadẽ vrbs mutatis hominibus: & forma Reipub. ac viciſsim vrbe diruta & ſolo æquata, poteſt manere ciuitas eadem, id eſt ſocietas ciuilis: quæ etiam ſi in alium locum tranſeat, erit eadem ciuitas, vnde poëta,* Veios habitante Camillo, Illic Roma fuit.

4. Nã Peloponneſum. *Pelopõneſus peninſula eſt Græciæ, in cuius iſthmo Corinthus eſt, quæ regio latè patens, vt mari penè tota circũfuſa eſt: ſic poſſet vno muro cingi, & tunc multæ gentes & variæ eſſent vna ciuitas, ſi propter vnum murum ciuitas diceretur vna: quod planè falſum eſt, vel eſſet vna vrbs, non tamen vna ciuitas, cum ſint ciuiles ſocietates complures & diuerſæ.*

5. Cuiuſmodi fortaſſis eſt Babylon. *Chaldaicarum gentiũ caput eſt Babylon, vrbs ſexaginta millia paſſuum amplexa, muris ducenos pedes altis, quinquagenos latis, in ſingulos pedes ternis digitis menſura ampliore quàm Romana, vt Plinius refert, quam Euphrates fluuius interfluit.*

6. Chorus, qui modò comicus eſt, modò tragicus. *Chorus dicitur, quãdo multæ perſonæ ſimul loquentes, ſeu canẽtes inducũtur in comœdia vel tragœdia fieri autem poteſt vt ĳdem homines nunc comicum, aliàs tragicum chorum conſtituant: ſemper tamen comicus chorus forma diuerſus eſt à tragico, licet materia idem ſit chorus. à forma verò res quæq; nominatur, cum forma ſit cuiuſq; ſubſtantiæ ratio; ſecundo de generatione.*

CAPVT III.

1. 1 POST hæc proximũm eſt vt viri ac boni ciuis eadem ſit virtus an diuerſa, diſſeramus. Ad quam quæſtionem dijudicandam, operæprecium fuerit quænam ſit ciuis virtus, primum omnium ſummatim conſtituere. Vt igitur nauta vnus quidam eſt nauigandi ſociorum, ſic item ciuis vnus eſſe dicitur eorum qui ciuilem ſocietatem habent. Nautæ verò licet facultate ſint diſſimiles, hic remex, ille gubernator, quidam curator proræ, & alius alia quadam
2. tali appellatione cenſeatur, haud dubiè tamen 2 perfectiſſima cu-
3. iuſque ratio propria fuerit virtutis eius, 3 ac eodem modo communis quædam ratio omnibus accommodabitur. Nam cunctis ipſis nauigationis ſalus propoſita eſt: hanc enim expetit eorũ quiſque. Eadem igitur ratione ciuibus, quanquam diſſimiles ſint, tamen omnibus eſt communitatis ſalus propoſita: communitas autem eſt Reſpub. quo fit, vt neceſſario ciuis virtus ad Rempublicam accommodetur. Si ergo Reipublicæ cõplures ſunt formæ, haud dubiè fieri non poteſt, vt vna ſit ciuis probi perfecta virtus. Perſpi-
4. cuum eſt igitur, 4 probum ciuem eſſe poſſe quenquam, qui non ſit idem virtutem, qua vir bonus cenſetur, conſequutus. Cæterum alio quoque modo differentibus, licet eadem ratione in optima

Repub-

Republica uti. Nam cum ciuitas ex probis omnibus conſtare nequeat, oporteatque rectè ſuo quenque officio fungi, 5 quod à virtute proficiſcitur, nec ciues omnes poſſint eſſe ſimiles, non erit vtique vna boni ciuis & viri probi virtus. Nam virtutem boni ciuis cunctis ciuibus adeſſe oportet, cum hoc neceſſario optimæ ciuitatis ratio poſtulet. Vt autem 6 viri probi virtus omnibus adſit, fieri non poteſt, ſi non eſt neceſſe vt probi viri ſint ciues omnes qui ſunt in ciuitate proba. Præterea cum ciuitas ex diſſimilibus conſtet, vt enim animal protinus ex anima & corpore, anima ex ratione & appetentia, domus ex viro & vxore, poſſeſſio ex domino & ſeruo: ſic ciuitas ex his omnibus, & alijs præterea diſſimilibus generibus conſiſtit: profectò neceſſe eſt non eſſe vnam ciuium omnium virtutem, quemadmodum in choro 7 non eadem eſt virtus ducentis chorum, & eius qui proximus eſt ab eo His igitur planum fit, non eandem ſimpliciter eſſe ciuium omnium virtutem: 8 ſed illud videndum eſt, an cuiuſpiam boni ciuis virtus eadem ſit, quæ boni viri. Nã qui probè imperat, hunc bonum & prudentem eſſe dicimus: 9 virũ autem ciuilem prudentem eſſe neceſſe eſt. & quidam ſtatim diuerſam eſſe dicunt principis inſtitutionem, & regum filios equeſtribus & bellicis inſtitutis erudiri videmus, & Euripides ait:

Nec verò ſpecioſa, ſed requirit
Quæ Reſpublica hæc mihi.

ceu quædam ſit principis educatio ac inſtitutio. Quod ſi eius qui rectè imperat, & viri boni eadem eſt virtus, eſt autem is quoque ciuis qui paret imperio, non fuerit vtique eadem ſimpliciter ciuis atque viri virtus, ſed cuiuſdam ciuis, cum principis non eadem ſit, quæ ciuis. Ac fortaſſis idcirco Iaſon ſe quòd non regnaret, fame confici dicebat, quaſi priuatus eſſe neſciret. 10 veruntamen & imperare, & imperio rectè parere laudi datur. Si ergo boni viri virtutem imperatricem eſſe conſtituimus, ciuis autem virtutem vtraque, 11 non eodem modo vtrunque laudabitur. Sed quoniam interdum vtraque videtur non eadem ſcilicet imperanti & parenti diſcenda eſſe, ciuem autem oportere vtrãque ſcire, ambarũq; participare, 12 ex his quæ ſubijciemus, quomodo ſeſe res habeat intelligetur. Eſt enim imperium, quod herile nuncupatur, quod qui tenet, hic vt res 13 quæ neceſſariæ dicuntur, facere nouerit, nihil eſt neceſſe, ſed vt eis vti ſciat: nam illud alterum ſeruile eſt, id eſt vt huiuſmodi operum ſeſe miniſtrum exhibere poſſit. Cæterum

ſeruorum genera complura ſunt, cum opera ſeruilia ſint com-
plura, in quorum vno genere operarij verſantur: hi verò ſunt,
14. 14 vt vocabulum declarat, qui manibus victum quærunt, de quo-
15. rum numero 15 artifices illiberales habentur. quare apud quoſdam
16. antiquitus, 16 antequam extremus populus fieret, imperium cum
opificibus non communicabatur. Eorum igitur opera quibus ad
hunc modum imperatur, diſcere nec vir bonus debet, nec ciuilis,
17. nec omnino ciuis probus, niſi forte ad ſuum ipſius vſum: 17 tunc e-
nim non efficeretur vt alter dominus eſſet, alter ſeruus: ſed eſt aliud
imperium quo ſimilibus genere, ac liberis hominibus imperatur.
Sic enim ciuile imperium definimus, quod parendo diſcitur ab eo
qui debet imperare: vt eques equitatus præfecto, miles duci pa-
rendo, equitatum, exercitumque ducere diſcunt. Item milites dum
in acie curantis & inſidias collocantis imperata faciunt, his mune-
ribus præeſſe docentur. Rectè igitur fieri poſſe negant, vt bene
18. quis imperet, qui non fuerit imperio ſubiectus. 18 Sed cum horũ
virtus diuerſa ſit, tamen bonus ciuis ſcire ac poſſe debet tum im-
perata facere, tum etiam imperare: virtuſque ciuis eſt imperium
19. 20 liberorum noſſe 19 in vtranque partem: 20 boni ergo viri vtrunq;.
21. 21 quanquam temperantiæ & iuſtitiæ imperatricis ſpecies eſt di-
uerſa. Nam qui ſubiectus eſt, liber tamen, eius haud dubiè non eſt
vna virtus, exempli gratia, iuſticia: ſed ſpecies habet per quas im-
peret, imperataque faciat, vt viri ac mulieris diuerſa eſt temperan-
tia & fortitudo. Nam vir ſi ſic fortis eſſet, vt fortis mulier, timi-
22. dus haberetur. & 22 mulier garrula, ſi ſic eſſet moderata, vt vir pro-
bus. Nam & cura rei familiaris alia viri eſt, alia vxoris: viri enim
munus eſt parare, vxoris cuſtodire. Sed virtutum ſola prudentia
eſt imperium obtinentis propria. nam cæteræ neceſſariò commu-
nes eſſe videntur imperantibus cum ijs quibus imperatur. eius cer-
23 tè cui imperatur virtus, non eſt prudentia, 23 ſed vera opinio: cui
enim imperatur, is ſimilis eſt tibiarum artifici: qui imperat, is ti-
bicinem tibijs vtentem æmulatur. Ac virtus quidem vtrum eadem
ſit boni viri ac probi ciuis, an diuerſa, & quomodo eadem, & quo
24. diuerſa, ex his planum efficitur. 24 Sed ſupereſt etiam nunc quæ-
ſtio alia de ciue, num verè is ciuis ſit, cui aditus ad imperia patet,
an etiam opifices ſint in ciuibus habendi. Nam ſi ſic ſtatuerimus
hos quoque ciues eſſe quibus imperia magiſtratuſvé non commu-
nicantur, non poterit talis virtus cuiuſlibet eſſe ciuis, cum hic
ciuis

ciuis habeatur: ſin autem nemo talis ciuis eſt. qua in parte horum quiſque ſtatuetur, cum neque inquilinus ſit, neque peregrinus An nullũ ex hac ratione incõmodũ euenire putandũ eſt? nã neque ſerui neque libertini 25 quicquam ex ijs quæ diximus ſunt. Illud enim verè dicitur, non omnes, ſine quib. ciuitas conſtare nequeat, pro 25 25.
ciuibus eſſe habendos, cum ne pueri quidem perinde ciues ſint, atq; viri: ſed hi ſimpliciter, illi verò 26 ex ſuppoſitione: ſunt enim ciues, 26.
ſed imperfecti. Olim igitur apud quoſdam, opifices aut ſerui erant, aut peregrini itaque multi nuncquoque tales ſunt. & profectò ciuitas optima nunquam opificem ciuem facit Quòd ſi opifex quoq; in ciuibus eſt habendus, nimirum ciuis 27 virtus quam diximus, 27.
non cuiuſuis, nec liberi duntaxat dicenda eſt, ſed eorum qui ſunt operum neceſſariorum immunes: in quibus qui vni priuatim miniſtrant, famuli: qui publicè, opifices & mercenarij nuncupantur. Cæterum ſi paulò diligentius quæ deinceps dicemus conſideres, in promptu erit hæc quomodo ſeſe habeant, intelligere: nam quod diximus, rerum vſus declarat. Neceſſe eſt enim cum Reipublicæ complures ſint formæ, ciuis quoque ſpecies eſſe multas, eius præſertim qui ſubiectus eſt imperio: vt ſit neceſſe in quadam Reipublicæ formatum opificem, tum mercenarium eſſe ciues: in quibuſdam fieri nequeat, 28 vt in ea, ſiqua eſt, quæ dicitur optimatũ, in qua ho 28.
nores pro ratione virtutis, & pro dignitate conferuntur. Nam qui vitam in arte ſordida mercenariaque degit, hic non poteſt in ea quę virtutis ſunt, curã & operã impẽdere. Cæterũ in paucorũ dominatu vt mercenarius ſit ciuis fieri non poteſt: magnis enim cenſibus magiſtratus tribuuntur: vt opifex ciuis ſit, nihil prohibet, cum multi artifices ſint locupletes. 29 Thebis qui iam decimum annum à mer- 29.
catura non abſtinuiſſet, is gerere magiſtratum lege vetabatur. Sed in multis Rebuſpublicis lex peregrinorum minus latè patet. Nam licet in quibuſdam popularibus ciuis eſt qui ex matre ciue fuerit procreatus: eodemque modo Spurij apud pleroſque: tamen quia legitimorum ciuium inopia tales ciues faciunt, & in magna hominũ paucitate ſic legibus vtũtur. Vbi copia ſuppetit, paulatim reijciunt, primum ex ſeruo, ſeruàve progenitos: deinde eos qui ex matribus tantum ciuibus nati ſint: poſtremo eos modò ciues faciunt, qui vtroque parente ciue fuerint procreati. Quibus rebus planè intelligitur, ſpecies ciuis eſſe cõplures, & eum potiſſimum eſſe ciuem, qui

honorum ac magiſtratuū eſt particeps, 30 vt fecit Homerus. Sed ſicubi quiddam tale cælatur, hoc fit cohabitantes fallendi gratia, vtque in honoratum externumq; reiecit. Nam velut inquilinus eſt is cui honores non communicantur. Ac virtus quidem vtrum eadem ſit quæ virum bonum, & quæ ciuem probum efficiat, expoſuimus: 31 cuiuſdam ciuitatis ciuem eadem virtute qua virum bonum commendari, alterius non item: nec illum omnem, ſed qui ciuilis eſt, & penes quem, aut ſolum, aut cum alijs poteſtas eſt Rempub. adminiſtrandi.

Scholia in Caput III.

1 POST hæc proximum eſt. *Vt eadem virtus ſit, an diuerſa viri boni, ac boni ciuis intelligatur, primum quæ ſit virtus boni ciuis ſtatuere oportet: ſed cum multæ ſint Reipub. formæ, & virtus ciuis ad Reipub. rationem ſit referenda, efficitur vt non poſſit vna virtus omnium ciuium eſſe in omnibus ciuitatibus. Præterea cum ciuitas non poſſit ex cunctis viris probis conſtare, omnes tamen boni ciues ciuilem virtutem habere debeant, hac ratione non eadem viri boni virtus quæ boni ciuis eſſe videtur: & item quia ciuitas ex diſſimilibus conſtat, cum diſſimilium diſpares ſint virtutes, efficitur vt non eadem ſit ciuium omnium virtus. Cæterum in optima Repub. eadem eſt boni ciuis, quæ boni viri virtus: virtus tamen in vtroque duplex eſt, altera qua rectè pareat, altera qua rectè imperet, quæ maior & perfectior eſt priore: ergo ad rectè parendum fortitudine, exempli gratia, & temperantia opus eſt: diuerſis tamen ſpecie à fortitudine & temperantia quæ in rectè imperante requiritur: ſed vtriſq; bonus tum ciuis, tum vir præditus eſſe debet. quanquam bonus propriè dicitur vterq; perfectiore virtute: ſed ex virtutibus propria imperantis eſt prudentia: nam ad parentum, prudentia non deſideratur.*

2 Perfectiſsima cuiuſque ratio. *Propria cuiuſq; virtus intelligitur, vt optimè fungatur officio ſuo, vt virtus gubernatoris, eſt poſſe optimè & perfecta ratione nauim dirigere, remigis optimè remigare.*

3 Ac eodem modo communis quædam ratio omnibus accommodabitur. *Illud eſt rationi cuiuſq; virtutis nauticæ pariter addendum, vt id faciat incolumis nauigationis gratia: ratio enim finis omnibus debet eſſe communis: nec quicquam facere virtus aut officium eſt, quod ad ſuum propriúmque finem non referatur.*

4 Probum ciuem eſſe poſſe. *Fieri poteſt, vt ſit quiſquam bonus ciuis, qui non ſit idem vir probus quoniam in praua Repub. bonus ciuis dicitur, qui bene*

inſtructus eſt ad eam Rempub. conſeruandam, vt bonus latro, bonus fœnerator, bonus leno dicitur, qui ſolertiam habent ad ea ſcelera patranda.

5 Quod à virtute proficiſcitur. *Vt quiſquam rectè fungatur officio ſuo, ex virtute manat. Itaq; virtus hoc in loco, vt in multis alijs apud Ariſtotelē, non intelligitur propriè, vt ſecundo Ethicorum libro definitur, ſed pro quocunq; habitu ſeu facultate inſita natura, vel vſu parata, qua rectè aliquid fit, id eſt conuenienter propoſito fini, quanuis malus ſit finis.*

6 Viri probi virtus. *Virtutem boni viri vocat eam, quæ propriè virtus intelligitur, vt temperantia, fortitudo, & iuſtitia.*

7 Non eadem eſt virtus ducentis chorum. *Id eſt Coryphæi, qui præcentor & præſultor à quibuſdam conuertitur. eſt autem is qui primum locum in choro tenet, & quem cæteri ſequuntur: cui proximus eſt is qui* παραστάτης, *quaſi adſiſtens nominatur, tum* τριτοστάτης, *de quibus meminit Ariſtoteles in lib. iiij. de prima philoſophia. Quemadmodum igitur ex his maior virtus, ſeu facultas in Coryphæo quàm in proximo, & quaſi adiutore, & in hoc, quàm in tertio deſideratur: ſic in ciue qui magiſtratum gerit, perfectior virtus quàm in priuato requiritur, & in magiſtratibus, pro ratione & diſcrimine imperiorum quibus funguntur.*

8 Sed illud videndum eſt, an cuiuſpiam boni ciuis virtus. *Quoniam ex ſupradictis intelligitur, non eadem eſſe virtus cuiuſq; ciuis & boni viri, iam videndum eſt, num ciuis cuiuſpiam eadem ſit virtus quæ boni viri: docetq; virtutem ciuis in optima Repub. gerentis magiſtratum aut imperium, eandem eſſe, ac boni viri: hanc autem eſſe ſtatum optimatum ipſe declarat lib. iiij. cap. ſeptimo his verbis,* In ſola, *inquit,* optimatum Repub. idem eſt vir bonus, & bonus ciuis, *ſed ex duobus imperijs herili, atque ciuili: ad eum qui herili fungitur pertinere ait, non vt opera neceſſaria facere ſciat, ſed vt reb. neceſſarijs vti nouerit: tū ſeruorū multa genera eſſe dicit, quorū vno artifices ſordidi cōtinentur, quib. negat antiquitus Rempub. ſolitam fuiſſe cōmunicari. Ciuile autem imperium id eſſe ait, quo ſimilibus genere ac liberis hominib. imperatur, cuius fungēdi facultas & diſciplina parēdo & obtemperādo cōparetur. Itaq; eandem eſſe boni ciuis imperantis, & boni viri virtutē in optima Repub. ſed vtriuſq; ciuis duplicē eſſe, alterā qua ad imperandū pertinet, alteram quæ ad parendū: prudentiam autem propriā eſſe virtutē imperantis.*

9 Virum autem ciuilem. *Vir ciuilis tum ab Ariſtotele, tum à Platone vocari ſolet, qui facultate & virtute inſtructus eſt ad ciuiliter imperandum, vt regius, qui ad regnandum: interdum etiam qui prudentia & facultate præditus eſt, leges & Rempub. condendi.*

10 Veruntamen laudi datur. *Id eſt virtus eſt : habitus*

γυνὴ ἄλλως, in alijs γυνὴ ἄλλος, rectius tamen in quibuſdam γυνὴ λάλος, quam ſcripturam ſequutus eſt interpres, quia commodior eſt & aptior Ariſtotelis doctrinæ, qui in primo huius operis libro propriam virtutem mulieris eſſe dixit taciturnitatem, cum viri ac mulieris virtutes diuerſas eſſe doceret: eſt igitur ſenſus, quemadmodum vir timidus eſſet, ſi ſortis eſſet muliebri forti tudine, ſic mulier eſſet loquax & garrula, ſi ea moderatione loquendi vtere tur, qua vir probus & modeſtus, quia non eadem eſt vtriuſque loquendi menſura & modus, vnde Paulus, mulier in ſilentio diſcat: *& alio in loco* mulieres,*inquit,*in eccleſijs taceant.

23 Sed vera opinio. *Prudentis officiũ eſt de rebus agendis deliberare, quod maximè imperantis munus attingit: obtemperantis autem non eſt deliberare ſed veram opinionem de rebus deliberatis habere, vt imperata rectè poſſit obire.*

24 Sed ſupereſt etiam nunc quæſtio alia de ciue. *Alia ratione de ciue diſſerit, & multos eſſe docet, ſine quibus ciuitas conſtare non poteſt, qui tamen non ſunt ciues, vt mercatores, opifices, & mercenarios in optima Repub. tamen in vniuerſum eos propriè ciues eſſe intelligit, quib. imperia ſiue magiſtratus in ſua ciuitate communicantur.*

25 Quicquã ex his quæ diximus ſunt. *Nec ſunt inquilini, nec peregrini.*

26 Ex ſuppoſitione. *Quoniam ſi viri futuri ſunt ciues, pueros eſſe neceſſe eſt, qui cum ad perfectam ætatem peruenerint, ſint ciues: itaq; nunc ciues imperfecti ſunt.*

27 Virtus quam diximus. *Boni ciuis ad imperandum, parendumquè inſtructi, quæ cum in ciuilibus muneribus obeundis parendo diſcatur, ac ingeneretur, non poteſt ijs contingere quos opera neceſſaria ſubmouent à ciuilibus officijs.*

28 Vt in ea ſi qua eſt. *Nam licet quædam Reſpub. prope ad Rempub. optimatum accedant, vtpote in quibus ratio virtutis in magiſtratibus mandandis habeatur, tamen rariſſima eſt, vbi virtus maximè dominetur, quæ propriè dicitur optimatum Reſpub.*

29 Thebis qui iam decimum annum. *Propterea ſcilicet quia nihil eſt, quod gerentibus magiſtratus magis obſit quàm auaritia, quæ mercatoribus penè inſita eſt, & familiaris: ſed & artifices eodem modo, niſi certo tempore abſtinuiſſent ab arte ſordida Rempub. gerere apud eoſdem Thebanos lege vetabantur, vt ipſe tradit libro ſexto. Nouem vrbes memorantur ab Stephano in varijs regionibus, quæ Thebæ dicerentur, hic tamen eam deſignari puto, quæ erat in Bœotia Græciæ regione, cuius ciuis fuit Epaminondas.*

30 Vt fecit Homerus. *Libro iliados decimo. Sunt autem verba Achillis*

ad Aiacem de iniuria, ſibi ab Agamemnone illata expoſtulantis.
31 Cuiuſdam ciuitatis. *Quæ optimè habet inſtitutam Rempublicam.*

CAPVT IIII.

1. 1 HIS rebus declaratis, ſequitur vt Reſpub. vna ſit ſtatuenda an plures, diſſeramus: & ſi plures, quæ & quot, diſcriminaque ipſarum explicemus. Eſt autem Reſpublica ordo ciuitatis cum aliorum magiſtratuum, tum eius maximè cui tradita eſt ſumma rerum omnium poteſtas & arbitrium: eſt enim vbique ciuitatis ſumma
2. poteſtas 2 penes adminiſtrationem ciuilem: adminiſtratio verò ciuilis eſt Reſpub. exempli gratia, in Rebuſpublicis popularibus ſumma poteſtas eſt penes populum: in paucorum dominatibus
3. econtrario penes paucos 3 his autem Rempublicam diuerſam eſſe dicimus, quæ eadem eſt cæterarum ratio. Sed primum omnium cuius rei gratia ciuitas fuerit conſtituta, & quot ſint genera principatus inter homines, ac in vitæ ſocietate ſtatuendum eſt. Quanquam
4 igitur 4 huius commentationis initio cum de ratione rei familiaris & herili imperio diſceptaretur hominem eſſe natura ciuile animal expoſuimus, ac perinde homines etiam ſi ope mutua nihil indigeant, tamen nihilo ſecius ad conuictum eſſe procliues: tamen publica quoque commoditas facit, vt homines in locum vnum
5 conueniant, prout quiſque poteſt rectè viuendi particeps eſſe. 5 Hic igitur maximè tum publicè tum etiam priuatim hominibus eſt conueniendi finis. Conueniunt tamen etiam ob hoc ipſum, vt viuant: nam forſitan honeſti pars quædam ineſt, & ciuilem vel viuendi duntaxat ſocietatem conſeruant, niſi ea communio in vita maximis calamitatibus confligetur. Nec dubium eſt, quin multi homines magnas ærumnas viuendi cupiditate perpetiantur, velut in ipſo viuere iucunditas quædam inſit, ac dulcedo naturalis. Neque verò difficile eſt imperij modos appellatos diſcer-
6. nere: de his enim ſæpe 6 in externis ſermonibus diſſeruimus. Nam herile imperium quanuis natura ſerui & natura domini re ſit eadem commoditas, tamen ad domini vtilitatem refertur, non item ad ſerui, præterquam ex accidenti. Nam pereunte ſeruo, dominatus ſaluus eſſe non poteſt. Imperium autem in filios, & vxorem, totamque domum, quã domeſticam gubernationẽ vocamus, aut eorum in quos eſt imperium, commoditatem ſibi proponit, aut eam

certè

certè quæ ſit vtriſque communis, per ſe tamen ad ſubiectorum vti-
litatem ſpectat: quemadmodum in cæteris artibus vſu venire cer-
nimus, vt in medicina & arte gymnaſtica. Quamquam ex acciden-
te 7 ipſorum quoque commoditas peti queat, fieri enim poteſt vt 7.
ipſe exercitator interdum ex eorum numero ſit, qui exercentur,
vt gubernator vnus de numero nautarum eſt: igitur exercendi
magiſtro vel gubernatori bonum eorum in quos imperium ha-
bet, propoſitum eſt Sed cum ipſe vnus horum efficitur, ex acciden
ti tuta nauigatione participat: hic enim de numero nauigantium
eſt, exercitator verò vnus eorum qui exercentur efficitur: quamo-
brem ciuiles magiſtratus, cum ciuitas 8 per æqualitatem ſimilitu- 8.
dinemque ciuium eſt conſtituta, viciſſim obire cenſent. 9 Olim 9.
certè æquum eſſe quiſque cenſebat, quemadmodum natura fert,
vt alter viciſſim laborem ſuſciperet, rurſuſque ipſius commodis
proſpiceret, vt ipſe prius cum magiſtratui præerat, curam geſſiſſet
illius commoditatis. Nunc autem propter commoda quæ ex publi-
cis rebus, quæque ex magiſtratu capiunt, continenter præeſſe vel-
lent, perinde ac ſi ſemper in magiſtratu rectè valerent: qui ſunt in-
firma valetudine, tunc enim fortaſſis expetendi eſſent magiſtra-
tus. Quibus igitur Rebuſpub. 10 commune bonum eſt propoſi- 10.
tum, hæ rectæ ſunt & ſimpliciter iuſtæ: in quibus autem qui præ-
ſunt ſuam quiſque duntaxat commoditatem ſequuntur, hæ cunctę
deprauatæ ſunt, & à rectis Rebuſpublicis aberrationes: ſunt enim
velut imperia dominorum in ſeruos, ciuitas autem ſocietas eſt libe-
rorum hominum.

Scholia in Caput IV.

1 HIS rebus declaratis ſequitur vt Reſpub. vna ſit. *Quot, & quæ ſint genera Reipub. iam hinc incipit explicare, earumq́; diſcrimina in diuerſa ratione adminiſtrandæ ciuitatis conſiſtere docet. & ciuitatem tum viuendi, tū etiam rectè viuendi gratia conſtitutam fuiſſe declarat. Et cum ſint iuſtorum imperiorum varia genera, cuncta ad ſubiectorum bonum & commoditatem potiſſimum, ex accidenti verò ad imperantium vtilitatem ſpectare, præter imperium berile cuius eſt contraria ratio. Itaque omnes deprauatas Reſpub. berile imperium imitari.*

2 Penes adminiſtrationem ciuilem. *πολίτευμα græcè dicitur, quo*

nomine ſignificantur hi, qui ſumma poteſtate ciuitatem adminiſtrant. hæc autem adminiſtratio Reſpub. dicitur.

3 His autem Rempub. diuerſam. *Quæ communi vocabulo Reſpub. dicitur, hæc idcirco diuerſa eſſe dicitur à populari & paucorum potentia, quoniam à diuerſis cum ſumma poteſtate adminiſtratur, eademq; ratione cæteræ Reſpub. inter ſe differunt: aut eſt ſenſus, hiis, id eſt populo & paucis imperantibus diuerſa eſt Reſpub. id eſt alia eſt Reſpub. popularis, alia paucorum propter diſcrimen imperantium in vtraq; & ſummam poteſtatem obtinentium.*

4 Huius commentationis initio. *In primo huius operis libro. Prout quiſque poteſt rectè viuendi particeps eſſe. Hoc quiſq; magis ſocietatem ciuilem expetit, quo plura ſeu maiora adiumenta ad rectè degendum, hoc eſt liberaliter viuendum habet: nam rectè viuere dicitur ab Ariſtotele, non ſolum qui ex virtute viuit, ſed etiam qui liberaliter & iucundè, ac vt decet ingenuum hominem.*

5 Hic igitur maximè. *Vt rectè viuatur.*

6 In externis ſermonibus. *In libris alijs extractis de Repub. deſignat autem libros de moribus, ſeu libros Ethicorum ad Nicomachum, in quorum octauo de omni genere Reipub. & diuerſis imperandi rationibus edifferit: externos enim ſermones, ſiue exotericos ſolet Ariſtoteles libros eos appellare, quicunq; ſunt extra id opus, in quo tunc verſatur, vt iure pontificio periti conſueuerunt: non enim exoterici ſermones, ſeu libri certo aliquo genere continentur, vt eſt publicus error, in quo & Plutarchus fuit, & pleriq; poſteriores. Sed ante ipſum etiam Marcus Tullius, qui duo eſſe genera librorum Ariſtotelis tradunt, vnum leuioris opera ac populariter ſcriptum quod exotericum, alterum limatius, & reconditioris doctrina, quod acroamaticũ diceretur, quaſi auſcultatorium, propterea quòd habeat tam difficiles explicatus vt ſine voce magiſtri intelligere ſit difficillimum. Cuius erroris occaſio, vt arbitror, ex Alexandri & Ariſtotelis epiſtolis nata eſt, in quibus ſit acroamaticorũ librorũ mentio, quos Ariſtoteles eſſe difficillima intelligentia teſtatur. A quo cum quidam viderent quoſdam libros exotericos nominari, hoc alterum genus librorũ eſſe populariter ſcriptorum, & leuioris opera putauerunt, non animaduertentes exotericos ab eodem eos interdum appellari, qui ſunt omniũ difficillimi, vt libros de anima, in primo libro Ethicorũ ad Nicomachũ, vbi diſſerit de partibus animæ: & libros de prima philoſophia, qui & τὰ μετὰ φυσικὰ inſcribuntur, vt in primo libro de moribus ad Eudemiũ, in quæſtione de ideis, vbi ait*; ſed de hac opinione multifariã diſputatũ eſt in exotericis ſermonib. quiq; habiti ſũt de philoſophia. *Ariſtoteles enim*

philoſo-

philoſophiam, primam philoſophiam, & theologiam, at interdũ ſapientiam vocare ſolet eã doctrinã, de qua diſſeritur in libris quos inſcripſit τὰ μετὰ τὰ φυσικά: & in hoc opere de Rep. exotericos vocat, vt dixi, eoſdem libros de moribus ad Nicomachũ, in quibus ipſis, libros exotericos citauerat. Accedit quod Diogenes Laertius qui vitam Ariſtotelis ex antiquorũ monumentis ſcribit, ac eius ſcripta commemorat, & ipſorum partitionẽ in quatuor genera librorum diligenter perſequitur, nullã omnino mentionem exotericorum & acroamaticorum facit, quod in primis oportuit, ſi omnes Ariſtotelis libri in illa duo genera diuiderentur: ſed nec illud verũ eſt acroamaticos nuncupari omnes libros reconditioris philoſophiæ. hanc enim appellationem eis duntaxat libris tribuit Ariſtoteles, quibus titulum fecit περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως, id eſt de phyſico auditu.

7 Ipſorum quoque commoditas. *Imperantium & præfectorum.*

8 Per æqualitatem & ſimilitudinem. *Cum in conſtituẽda Repub. paritatis potiſſimum ratio habita fuiſſet inter ciues, vt cum nulli ſcilicet magnopere eminerent, omnes in iuris æquabilitate continerentur.*

9 Olim certè. *Cum magiſtratus ſine mercede gererentur, nec auaritia homines inceſſiſſet, vt quæſtui Rempub. habere vellent.*

10 Propoſitum eſt commune bonum. *Rectæ Reſpub. ſunt, in quibus adminiſtrãdis tanquam finis publica commoditas ſpectatur, vt regnum, ſtatus optimatum, & Reſpub. In quibus autem qui Reipub. præſunt, priuatam commoditatem ſequuntur, hæ deprauatæ ſunt, vt tyrannis, paucorum potentia, & ſtatus popularis: quippe in quibus imperium in liberos ſubiectos, tanquam in ſeruos exercetur.*

CAPVT V.

1 HIS rebus conſtitutis, ſequitur vt Reipub. formæ quot numero, & quæ ſint, ediſſeramus. Sed prius rectas tractabimus: his enim explicatis, 2 non poterit de aberrationibus dubitari. Cum autem Reſpublica & ciuilis adminiſtratio idem ſignificent, ſitq; adminiſtratio ciuilis id cuius arbitrio ciuitates adminiſtrantur: ciuitates autem neceſſario vnius, vel paucorum, vel multorum arbitrio gubernantur: has rectas eſſe Reſpublicas neceſſe eſt, in quibus vnus vel pauci, vel multi Rempublicam ad communem vtilitatem ſpectantes gerunt: illas verò aberrationes, in quibus vnus, pauci, vel multitudo, imperio ad propriam vtilitatem abutuntur: aut enim qui Republica participant ciues eſſe negandi ſunt,

1.

2.

aut cum his debet vtilitas communicari. Cæterum Reſpublica quæ ad communem vtilitatem ſpectat, ſi præeſt vnus, Regnum appellari conſueuit: ſi pauci, plures tamen vno, Optimatum imperium, vel quia optimi quique imperant, vel quoniam ad id quod ciuitati & ijs quibus ciuitas communicatur, optimum eſt, imperium refertur: cum verò multitudo imperium ad bonum publicum dirigens rem communem adminiſtrat, communi omnium vocabulo Reſpub. dicitur, & quidem meritò. Nam vnum aut paucos virtute præſtare, facile eſt: vt autem plures perfectè omni vir-
3 tute præditi ſint, difficile, 3 ſed maximè bellica: nam hæc in multitudine fit. Itaque in hac Republica ſummam imperij propugnatores potiſſimum tenent, eaque arma tenentibus communicatur. Aberrationes autem ſunt tyrannis à regno: paucorum potentia ab optimatum adminiſtratione: popularis gubernatio à Republica. Nam tyrannis vnius principatus eſt, qui principis commoditate dirigitur: paucorum potentia, locupletum vtilitatem: popularis gubernatio, tenuiorum commodum ſequitur: nec ha-
4 rum aliqua 4 publicam commoditatem conſectatur. Cæterum quæ ſit harum Rerumpublicarum quæque, paulò latius explicare oportet. Hic enim locus eſt quibuſdam difficultatibus impe-
5 ditus, ſed 5 qui in doctrina quaque philoſophatur, neque ad actionem duntaxat ſpectat, huius officium eſt non negligenter agere, nec quicquam omittere, ſed quid in ſingulis rebus verum ſit, explicare. Tyrannis igitur, vti memorauimus, eſt vnius herile in ciuilem ſocietatem imperium: paucorum verò potentia, cum penes opulentos eſt ſumma Reipublicæ poteſtas: popularis Reſpublica econtrariò, cum non diuites, ſed egeni tenent imperij ſummam. Eſt autem prima de definitione controuerſia. Nam ſicubi forte ſumma ciuitatis poteſtas penes plures, eoſdemque locupletes eſſet: rurſuſque alibi penes egenos, qui numero pauciores eſſent quàm diuites, ſed potentiores: cum Reſpub popularis ſit, in qua ciuitas eſt in arbitrio multitudinis, viciſſimq; paucorum potentia, vbi pauci tenent imperij ſummam, nimirum Reſpublicæ haud commodè definitæ eſſe viderentur. Cæterum ſi quis paucitatem cum opulentia, & cum tenuitate multitudinem coniungens, ſic Reſpublicas definiat, vt paucorum potentiam eſſe dicat, in qua diuites qui pauci numero ſint: ſtatum verò popularem, in quo pauperes, quorum eſt magna copia, imperium tenent. illa iã occur-

ret dubitatio, quo nomine ſint, eædem, quibus ſuprà diximus Reſpublicæ cenſendæ, eam dico, in qua plures ſunt locupletes, & illa altera, in qua pauci tenuiores, & vtrique ſummam imperij in ſua Republica tenent, ſi præter memoratas nulla eſt alia Reſpublica. Ratio igitur ipſa declarat accidens eſſe, vt pauci ſint, aut plures ij, quibus imperij ſumma permiſſa eſt. Accidit enim paucorum potentijs, vt pauci ſint, qui Reipublicæ cum ſumma poteſtate præſunt: ſtatibus verò popularibus, vt multi, propterea quòd vbique pauci ſunt locupletes, egeni verò complures. Itaque non fit, vt quas diximus eſſe, ſint diuerſitatis cauſæ: ſed paupertas atque diuitiæ diſcrimina ſunt, quibus inter ſe Reſpublica popularis, & paucorum potentia diſtant: & 6 vbicunque diuitijs imperia tribuuntur, ſiue pauci ſint, ſiue plures, paucorum eſſe dominatum neceſſe eſt: Rempub. verò popularem, vbi tenuiores imperium tenent. Sed accidit, quemadmodum diximus, vt alteri pauci ſint, alteri complures: pauci enim ſunt locupletes, 7 liberi verò complures, quas ob cauſas vtrique de principatu ciuitatis contendunt. 6. 7.

Scholia in Caput V.

1 HIS rebus conſtitutis, ſequitur vt Reipub. formæ. *Rerumpublicarum diſcrimina in ſumma adminiſtratione conſiſtunt, id eſt in ijs, quorum arbitrio Reſpub. gubernatur: quorum cum ſit triplex differentia, tria genera Rerumpub. rectarum, totidemq́; aberrationes exiſtunt: nã vel vnius, vel paucorum, vel multorum arbitrio Reſpub. ad ſubiectorum vtilitatẽ gubernatur. Si vnius, regnum eſt: ſi paucorum, ſtatus optimatum dicitur latinè, græcè ariſtocratia: ſi multorum, communi vocabulo Reſpub. nominatur. Quod ſi ad imperantium commoditatem Reſpub. geratur, imperium vnius tyrannis vocatur: paucorum autem, paucorum potẽtia græcè oligarchia: multorum ſtatus, popularis, græcè democratia, quæ aberrationes ſunt rectarum Rerumpub. Eſt autem paucorum potentia, vbi locupletes dominantur: ſtatus popularis, vbi egeni: illis enim accidit, vt pauci ſint: his vt multi, quanquam magna ex parte accidit.*

2 Non poterit de aberrationibus dubitari. *Quoniã aberrationes ſunt contrariæ rectarũ Rerumpub. Contrariorum autem eadem eſt diſciplina, octauo Phyſicorum, & Ethicorum quinto.*

3 Sed maximè bellica. *Multi autem ſolent eſſe præditi, cum ſit difficile vt multi virtute omni ſint egregiè perfectéq; præditi; tamen ex omnibus*

virtu-

virtutibus, bellica maximè multitudo ſolet excellere: nam hæc virtus, vt ipſe ſubiecit, in multitudinē cadit: aut eſt ſenſus, difficile eſt multos excellere omni virtute, hoc eſt qualibet virtute: ſed maxmè difficile eſt multos excellere virtute bellica, id eſt fortitudine, qua licet non ſit virtutum optima, tamē ob hanc homines plurimum honorantur in ciuitatibus, quia multum eis indiget Reſpub. vt ipſe teſtatur in problemate: vel quia virtus bellica, alias etiā virtutes cōplectitur, non modo fortitudinem: & alioquin difficillimū eſt mortē in periculis contemnere, quod eſt proprium fortitudinis.

4. Publicam commoditatem conſectatur. *Publicum bonum ſibi tanquam finem proponit.*

5 Qui in doctrina quaque philoſophatur. *More philoſophorū contēplatur, vt non ſolùm cōmodis ſtudeat, ſed etiam veritati: vt qui nō modò quærit, exempli gratia, vtrum ſit commodius ciuitati ab vno gubernari, an à pluribus, quod pertinet ad actionem & vtilitatem, ſed etiam imperium tyranni ciuile ſit, an herile, quod pertinet ad contemplationem, & veritatem.*

6. Vbicunq; diuitijs imperia tribuuntur. *In quacūq; Rep. magiſtratus à magno cenſu diuitibus mandantur.*

7 Liberi verò complures. *Hoc dicit quoniam in Rep. populari, non diuitiæ, nec nobilitas, nec virtus, ſed ſola libertas requiritur ad Remp. gerendam, cuius libertatis etiam egeni compotes ſunt.*

CAPVT VI.

1. 1 SED primum paucorum potentia, & Reſpublica popularis
quomodo definiantur, & quid ſit vtriuſque iuſtum, videndum eſt.
2. 2 Omnes enim iuſtum quoddam attingunt, ſed quadam tenus pro-
cedunt: nec dicunt totum, quod propriè iuſtum eſt: ad hunc mo-
dum æquale videtur eſſe iuſtum: eſt enim non tamen omnibus, ſed
paribus: item diſpar iuſtum eſſe videtur: eſt enim iuſtum, non ta-
3. men cunctis, ſed imparibus. 3 Cæterum, quidam illud quibus
auferentes perperam iudicant, propterea quòd de ſeipſis iudicium
ferunt, Homines autem ferè in ſua quiſq; cauſa mali iudices ſunt.
Ita cum iuſtum aliquibus ſit iuſtum, & æquale ſit eodem modo di-
4. 5. uiſum, 4 tum in rebus, tum quibus hominibus, 5 vt ſuprà in libris
6. de moribus fuit declaratum, 6 de rerum æqualitate cóſentiunt: qui-
bus autem hominibus controuerſia eſt, propterea quod malè
vt modo dixi, de ſe iudicant. Præterea vtrique cum iuſtum
quoddam aliquatenus dicant, iuſtū ſimpliciter ſe dicere putāt: alte-
rie-

ri enim 7 ſi re quapiam diſpares ſint, exempli cauſa, diuitijs, pror 7.
ſus ſuperiores ſe eſſe exiſtimant. alteri ſi qua re pares ſunt, vt liber-
tate, omnino ſe pares eſſe putant. quod autem potiſſimum eſt non
dicunt: nam 8 ſi opes parandi gratia ſocietatem iniuiſſent, ac in v- 8.
num locum conueniſſent: quàm quiſque opulentus, tam eſſet par-
ticeps ciuitatis: & eorum qui ſtudent paucorum potentiæ ratio vim
habere videretur. Nec enim iuſtum eſt, vt ex centum minis qui v-
nam attulit, partem capiat ei parem qui reliquum omne contulerit:
nec ex ſorte, nec ex ijs quæ per lucrum accreuerint At 9 non viuen- 9.
di modo gratia homines in ciuilem ſocietatem conuenerunt, ſed
magis vt rectè viuerent: aliter enim ſeruorum quoque, & aliorum
animantium ciuitas eſſet: quod nunc abeſt, propterea quòd nec fe-
licitatis compotes ſunt, nec ad ſuam voluntatem viuere queunt.
Sed neque bellicæ ſocietatis cauſa homines, vt à nullo iniuria affi-
ciantur, nec propter commercia, & vſum mutuum conuene-
runt, 10 alioquin Tyrrheni, & Cartaginienſes, ac omnino cuncti, 10.
quibus inter ipſos commercia ſunt, velut vnius ciuitatis ciues ha-
berentur. Sunt enim ipſis de rebus importandis pacta, ne alteri al-
teros lædant: fœdera, & conditiones ſcriptæ de belli ſocietate. Cæ-
terum eis nulli ſunt de his rebus communes omnibus magiſtra-
tus, ſed alij alios habent: nec quales alteri eſſe debeant alteris eſt
curæ: nec qua ratione fiet, vt fœderatorum nemo ſit iniuſtus: ne-
mo vitijs inquinatus laborant: ſed huc omnia pertinent, vt pror-
ſus tuti à mutuis iniurijs reddantur. Cum autem qui bonis legibus
ſtudent, hi ciuilis virtutis contrarijque vitij primam rationem
habeant, dubitari non debet: quin quæ ciuitas verè non nomine
tenus appelletur, hæc de virtute in primis debeat eſſe ſollicita.
Hac enim omiſſa cura, ciuilis communio belli ſocietas efficitur,
quæ loco tantum differat ab alijs, qui cum longè abſint inter ſe,
ſocij tamen belli ſunt: & 11 lex pactum eſt, atque (vt 12 Lycophron 11. 12.
ſophiſta dixit) ſponſor & vas in officio mutuo permanendi, non
tamen huiuſmodi, vt ciues bonos ac iuſtos reddere queat. quòd
autem ſic ſeſe res habeat, hinc quoque licet perſpicere. Nam ſi loca
ſic in vnum conferas, vt Megarenſium & Corinthiorum vrbes in-
ter ſe mœnibus contingant, non tamen ſit vna ciuitas, non ſi matri-
monijs iungantur inter ſe, quanuis hoc ſit ex ijs quæ propriè ciui-
lem communionem attingunt: eadem ratione, ne tum quidem
eſſet vna ciuitas, ſi qui ſeparatim habitarent, ſed non tam longè, vt

conſuetudo & vſus mutuus excluderetur, & leges haberent ne in-
iuriæ inter ipſos in commmutationibus inferrentur, in hunc ſci-
licet modum, vt hic faber eſſet, ille agricola, quidam ſutor, alius
aliud quiddam huiuſmodi, eſſentq; numero quamplurimi: ſed
tamen eiuſmodi rebus exceptis, hoc eſt commutatione, ac belli ſo-
cietate, nullius præterea rei communicatione vterentur, nec ſic
quidem eſſet ciuitas. Quid ita? non enim propterea quòd non pro-
pè ſit communio. Nempe quoniam ſi ad hunc modum commu-
13. nicantes conuenirent, 13 vterentur tamen ſua quiſque domo, vt ci-
uitate, & inter ſe aduerſus iniurias inferentes duntaxat velut ſocij
bellorum mutuo auxilio iuuarent: nec ſic quidem ciuitas eſſe di-
ligenter intuentibus videretur: nam ſimilis eſſet mutuus eorum
vſus & conſuetudo, cum ſic conueniſſent, ac ſic habitarent ſepara-
tim. Ciuitas ergo nec loci communio eſt, nec mutuas iniurias re-
pellendi, cómerciorumq; gratia conſtituta fuit: ſed ſi futura eſt ci-
14. uitas, 14 hæc vt adſint, neceſſe eſt: non tamen ſi omnia hæc adſint,
protinus erit ciuitas, ſed ciuitas eſt rectè viuendi communio do-
mibus, atque generibus perfectæ & copioſæ vitę gratia conſtitu-
ta. hoc autem niſi eundem locum incolentibus, & connubijs vten-
tibus non continget. Itaque affinitates, ſodalitates, ſacrificia, & fa-
miliares conſuetudines conuictus gratia ſunt in ciuitates indu-
ctę: conuictus autẽ opus eſt amicitiæ: nam velle cũ alteo viuere ami-
citia eſt: finis ergo ciuitatis eſt rectè viuere: illa verò finis cau-
ſa ſuſcipiuntur. Ciuitas autem eſt generum, vicorumque com-
munio perfectæ & copioſæ vitæ: quod eſt, vt diximus, rectè, bea-
teque viuere. Non igitur vt ſimul homines viuant, ſed vt honeſtis
15. actionibus fungantur, ciuitas eſt conſtituta. Ita 15 quo plus quiq; in
hanc ſocietatem conferunt, hoc ſunt ciuitatis magis participes
quàm cæteri, qui cum libertate aut genere his pares aut ſuperiores
ſint, virtute ciuili ab eiſdem ſuperantur: aut cum ſint diuitijs ſupe-
riores, virtute vincuntur. Ex ijs ergo quæ diximus, planum fit, quí
de Rebuſpublicis contendunt, hos omnes iuſti partem aliquam
dicere.

Scholia in Caput VI.

1 SED primum paucorum potentia, & Reſpub. popularis. *In dua-
bus deprauatis Rebuſpub. paucorum & populari, quæ ſunt quodammodo*

contraria, ius quoddam citatur: nam vtrique iure quodam nituntur: pauci, quia diuitijs aut genere ſuperiores ſunt, ſimpliciter ſe ſuperiores eſſe, ac proinde maiorē Reipub. partem ad ſe pertinere cōtendunt: imparibus enim impa ria debere: populares autem cū libertate ſint diuitibus & nobilibus pares, pariter ſibi Rempub. communicandam eſſe confirmāt: paribus enim paria deberi. Neutri tamen probādi ſunt: non enim qui diuitijs ſunt aut genere ſuperiores, ij ſimpliciter ſuperiores ſunt: nec rurſus ſimpliciter pares, qui ſunt pares libertate: quoniam nemo ſuperior ſiue potior, ſimpliciter eſt, niſi qui virtute præſtat: ac eodē modo æqualis ſimpliciter eſt, non qui libertate, ſed qui virtute eſt æqualis: non enim ſolum vt ſimul viuerēt homines, ſed multo magis vt rectè viuerent, in vnam ciuitatem conuenerunt: ad quod quia plurimum cōferunt qui optimi ſunt & virtute præſtantes, idcirco virtuti eſt maior ciuitatis pars tribuenda.

2 Omnes enim iuſtum quoddam attingunt. *Iuſtū eſt enim, quod populares dicunt, vt æquale omnibus tribuatur, ſi adderent æqualibus: & quod pauci iactant, vt inæquale tribuatur, ſi adderent inæqualibus.*

3 Cæterum quiddam illud quibus auferentes. *Cum æquale dicunt, nō addunt æqualibus; nec inæqualibus cum dicunt inæquale, id eſt nō verè dicūt, nec eos æquales eſſe ſtatuunt, qui verè ſunt æquales: nec alteri inæquales, hoc eſt potiores, qui verè ſunt potiores: nam hoc eſt quod ait, & perperam iudicant, quoniam de ſe quiq; iudicant. Iudicium autem perperam fieri cuiq; ſolet in ſua cauſa. Nam iuſtum in diſtributionibus, vt ipſe ait in quinto Ethicorum, omnes fieri debere ſecundum dignitatem quandam, ſeu meritum confitentur. Cæterum de dignitate non omnes vno modo ſentiunt, ſed qui ſtatui populari ſtudent, hanc eſſe dicunt libertatem: qui verò paucorum potentiæ, diuitias aut nobilitatem: qui ſtatui optimatum, virtutem.*

4 Tum in rebus, tum quibus hominibus. *Aequum, ſiue æquale, hoc eſt rationis æqualitas, quæ proportionalitas geometrica dicitur, non ſolū in quibus rebus, vt in pecunijs, vel honoribus, ſed etiam quibus hominibus cōſideratur: qualis enim ratio ſiue proportio eſt inter homines, quibus fit diſtributio, id eſt inter hominum dignitates, & merita, talis eſſe debet inter res quæ diſtribuuntur.*

5 Vt ſuprà in libris de moribus. *In quinto libro Ethicorum ad Nicomachum.*

6 De rerum æqualitate conſentiunt. *Quæ res, quibus rebus æquales ſint, nō eſt cōtrouerſia, ſed tota diſſenſio eſt de hominū æqualitate & imparitate, quia malè de ſe homines iudicant, dum alij ſe pares, alij ſe ſuperiores eſſe falſo iudicant.*

7 Si re quapiam diſpares ſint. *Id eſt ſuperiores ſiue potiores.*
8 Si opes parandi gratia ſocietatem iniuiſſent. *Si communio ciuilis eſſet, quaſi mercatorum ſocietas ad quaeſtum inſtituta.*
9 Non viuendi modò gratia. *Ad quod neceſſaria ſunt opes, & in ipſis poſita eſt maxima viuendi facultas.*
10 Alioquin Tyrrheni. *Itali Tyrrheni maris accolae, qui Thuſci alio nomine vocantur.*
11 Lex eſt pactum. *Si ciuitas non eſſet conſtituta rectè atq; ex virtute viuendi gratia, ſed vt homines mutuo auxilio ab externorum iniurijs tuti eſſent, ciuitas nihil eſſet aliud, quàm ſocietas quaedam bellica: & lex inter homines eiuſdem vrbis eſſet pactum, quale fieri ſolet inter ſocios belli, vt lege tanquam ſponſore & vade vterentur. fore vt inter ſe mutuū officium praeſtarent.*
12 Lycophron Sophiſta. *Fuit enim alter tragoediarum ſcriptor.*
13 Vterentur ſua quiſq; domo, vt ciuitate. *Si homines in vnum oppidū coacti, eam inter ſe conſuetudinem haberent, quam qui ſeparatim in diuerſis oppidis viuunt, non eſſet illa ciuitas, ſed vnuſquiſque vteretur ſua domo, quaſi vna ciuitate, vt tot ciuitates eſſe viderentur, quot domus: cum inter ipſas domos non eſſet vna communis ciuilis ſocietas, nō magis quàm inter diuerſa oppida quae inter ſe bellicam ſocietatem habent.*
14 Haec vt adſint neceſſe eſt. *Vt homines in vnum locum conueniant, cōnubijs iungātur, ſint inter ſe auxilio, & mutuā conſuetudinem in commercijs habeant, non tamen ſi haec adſint omnia, efficitur ſiue ſequitur, vt ciuitas ſit, quoniam praeterea vt haec omnia rectè beateq; viuendi gratia fiant oportet.*
15 Quo plus quique in hanc ſocietatem conferunt. *Quo quiſque magis iuuat ad hunc finem, qui poſitus eſt in virtute, id eſt quo quiſque magis virtute praeſtat.*

CAPVT VII.

1. 1 NEQVE verò controuerſia vacat, cuius arbitrio ciuitatem
adminiſtrari conueniat, multitudinis, an locupletum, an bonorum
virorum, an vnius, qui ſit optimus omnium, an tyranni. Sed haec
omnia videntur eſſe difficultatibus impedita. Quid enim ſi paupe-
2. res, quoniam plures ſunt, 2 bona locupletum partiantur? an hoc
non ſit iniuſtum, propterea quòd ſummam imperij tenenti iuſtè ſic
3. viſum fuerit? 3 extremam igitur iniuriam quid appellare oportet?
Rurſus ſi ex omni multitudine plures paucorum bona inter ſe partiantur, nónne hoc ciuitati manifeſtam perniciem afferat? At virtus

nunquam

nunquam ſe habenti pernicioſa eſt,nec iuſtum ciuitati interitum importat:quò planè intelligitur,legem hanc iuſtam eſſe non poſſe. Item eodem modo 4 cuncta tyranni acta iuſta eſſe neceſſe fuerit: 4.
nam vt multitudo diuitibus, ſic ipſe cum ſit potentior, vim affert ciuitati. An vt pauciores diuiteſque imperium teneant, iuſtum eſt? Si ergo diuites etiam talia faciant, & bona multitudinis loco prædæ habeant,atque diripiant, hoc quoque iuſtum fuerit ? quod ſi ita eſt, illud quoque alterum erit iuſtum . At hæc omnia praua eſſe & iniuſta,non poteſt dubitari . An penes viros probos imperium, & rerum omnium arbitrium eſſe oportet ? at tunc cæteros omnes inhonoratos eſſe neceſſe fuerit: vtpote cum nullis ciuilibus imperijs ſeu magiſtratibus honorarentur : Imperia enim atque magiſtratus honores eſſe dicuntur. ciſdem autem hominibus ſemper imperium tenentibus, alij neceſſariò honoris expertes erunt. Sed illud, inquis, ſatius eſt,vt vnus imperium teneat, qui cæteris longè virtute præſtet. at hoc magis etiam ad paucorum potentiam accedit:plures enim inhonorati relinquentur. Non rectũ ẽſt, inquis, hominem quem affectus animi ſollicitant, & non potius legem,in Republica dominari. 5 At ſi lex fuerit paucorum potentiæ, vel po- 5.
pulari Reipublicæ conſentanea,quid tandem interfuerit ad eas controuerſias, quas propoſuimus dirimendas, cum eodem modo incommoda de quibus ſuprà diximus, eueniant? Aliorum igitur ſit alia ratio,oportere autem vt multitudo potius domina ſit, & moderatrix,quàm optimi quique,ſed tamen pauci : ſolui poſſe videtur,& quandam habere controuerſiam, 6 ac forſitan etiam verum 6.
eſt : fieri enim poteſt, vt multi, quorum quiſque non eſt vir probus,ſi conueniant, ſint paucis illis optimis potiores, non ſinguli ſingulis collati, ſed omnibus omnes, vt cœna ex multorum contributione inſtructa lautior eſſe ſolet, quàm quæ fuerit ex vnius ſumptu parata:ſunt enim multi,& ſuam quiſque partem habet virtutis atque prudentiæ: & fieri poteſt, vt cum fuerint in vnum congregati,multitudo fiat quaſi vnus homo 7 multipes, vt ita loquar, 7.
& multi manus, ac multis ſenſibus, multiſque moribus & intelligentijs præditus. Quo fit,vt de operibus, tum muſicæ, tum etiam poetarum multi rectius iudicium ferant : nam alij de alia parte, omnes de omnibus iudicant : ſed viri probi ſic præſtant vulgo, quando ſinguli cum ſingulis conferuntur. Vt pulchros non pulchris præſtare dicimus,veris rebus imagines ex arte depictas, ni-

8. mirum quod 8 ſeparatim diſperſa in vnum congeruntur: nam ſi partes ſingulorum hominum cum partibus imaginis comparentur, pulchrior erit huius oculus, & alterius cuiuſpiam altera pars. Sed vtrum hoc inter multos & paucos viros probos diſcrimen cadere in omnem populum omnemque multitudinem poſſit, in in-
9 certo eſt. Sed fortaſſe per Iouem 9 in quibuſdam fieri non poſſe, non eſt dubitabile: quippe in belluas quoque eadem ratio conueniret, & profecto quidam homines nihil propè dixerim à belluis differunt: ſed in aliqua multitudine id quod diximus, verum eſſe poteſt. Per hæc igitur dirimi poſſet ſuperior controuerſia, & item illa quæ huic finitima eſt. Quænam res arbitrio & poteſtati liberorum hominum, & ciuium multitudini, qui neque diuitias habent, nec vlla virtute cenſentur, permitti debeant. Nam licet his ſummi ma-
10. giſtratus non rectè committantur, quoniam 10 iniuſtitia & impru-
11. dentia facilè 11 modò in iniuriam, modò in errorem impellerentur. Tamen nihil eis tribuere, nihil communicare, res eſt plena periculi: quoniam ſi multi & egeni honorum expertes ſint, vrbem hoſtibus eſſe plenam neceſſe eſt. Supereſt igitur, vt conſultationes eis ac iudicia communicentur. Quocirca Solon & quidam alij legumlatores huiuſmodi ciuibus magiſtratus deligendi & corrigen-
12. di facultatem tribuunt: 12 vt autem ſeparatim per ſe magiſtratum
13. gerant, non permittunt. Nam omnes congregati 13 ſatis habent
14. ſenſus: & cum melioribus mixti ciuitatibus opitulantur: vt 14 cibus impurus cum ſyncero temperatus totum alimentum vtilius facit pauco, licet horum ciuium quiſque imperfectus ſit ad iudicandum: quanquam hic ordo Reipublicæ controuerſia non vacat. Primum quoniam cuius hominis eſt ægrotanti mederi, ac præſen-
15. ti morbo 15 laborantem explicare, eiuſdem eſſe videtur iudicium ferre, quis rectè curauerit: hic autem eſt medicus: ac eodem modo in cæteris doctrinis & artibus vſu venit. Vt igitur medicus medicis ſui officij rationem reddere, & ab eis corrigi debet, ſic cæteri à ſui
16. ſimilibus 16 Eſt autem medicus, tum opifex, tum architectus, tum peritus in arte medicina. Sunt enim quidam huiuſmodi in omnibus ferè artibus. Iudicium autem tribui peritis, nihilominus quàm ſcientibus ſolet, atque eadem ratio delectionis eſſe videtur: nam rectè deligere munus eſt cognitionem habentium, exempli cauſa, geometram rectè deligere, eorum eſt qui geometrica nouerunt: vt gubernatorem ij rectè deligunt, qui gubernare ſciunt. Nam licet in-

docti

docti nonnulli de quibuſdam operibus atque artibus iudicare poſ-
ſint,melius tamen iudicant qui cognitionem habent, vt hac ratio-
ne 17 magiſtratuum nec delectio nec correctio multitudinis arbi- 17.
trio permittenda eſſe videatur. Sed hæc fortaſſe non omnia rectè
dicuntur,tum 18 propter rationem ſuprà poſitam, ſi multitudo ſit 18.
non admodum ſeruilis. Nam licet horum quiſque peius quàm ſci-
entes iudicet,omnes tamẽ in vnum coacti,aut melius,aut certè non
peius iudicabunt:tum quia in nonnullis rebus effector, nec ſolus,
nec melius cæteris omnibus iudicat.Qui opera cognoſcunt, nec ar-
tem habent,vt domum cognoſcere, non eius modò eſt qui eam æ-
dificauit,ſed id melius etiam iudicabit,qui domo vtitur,hoc eſt pa-
terſamilias, & gubernator,quàm faber lignarius.De temone, de e-
pulis, conuiua melius quàm coquus iudicabit. atque hæc quidem
dubitatio ſatis ad hunc modum ſolui poſſe videtur. Sed eſt alia
huic finitima quæſtio.Nam malorum quàm bonorum arbitrio res
maiores committere,abſurdum eſſe videtur. Res autem maxima
eſt correctio & delectio magiſtratuum, quæ, vti diximus, in qui-
buſdam Rebuſpublicis populo committuntur 19 Concilium enim 19.
populare omnium rerum huiuſmodi ſummam poteſtatem ha-
bet,ac populariter conuenire, conſultare, & iudicare tenui cenſu,
& 20 quacunque ætate hominibus permititur. Quæſturæ verò ac 20.
ductus exercitus,ac omnino maximi magiſtratus, ex magnis cenſi-
bus mandantur. Hæc igitur controuerſia ſimili ratione ſortaſſe di-
rimatur:nam ſortaſſis hæc rectè ſunt conſtituta, non enim iudex,
nec Senator, nec qui in concione deliberat, magiſtratum aut im-
perium tenet,ſed tribunal & Senatus, & populus. Illorum autem
quos diximus,quiſque,hoc eſt Senator,popularis, conſultor & iu-
dex pars horum habetur. Itaque iurè maximæ res poteſtati & ar-
bitrio multitudinis permittuntur: ex multis enim tum populus,
tum Senatus, tum etiam tribunal conſiſtit: & horum omnium
cenſus maior eſt, quàm eorum qui vel ſingulatim, vel cum paucis
magnis magiſtratibus,imperijſve præſunt. Atque hæc quidem ha-
ctenus. Cæterum ex ſuperiore quæſtione nihil æquè declaratur,
ac rectè ſancitas leges dominari oportere.Qui autem imperium te-
nent ſiue vnus, ſiue plures, 21 horum arbitrio res eas permitti, de 21.
quibus leges perfectè conſtituere nequeunt, propterea quòd vni-
uerſè de omnibus explicare,non facile eſt: Quanquam rectè con-
ditæ leges,cuiuſmodi eſſe debeant,nódum eſt declaratũ, ſed manet
etiam

etiam nunc priſtina dubitatio. Veruntamen neceſſe eſt, leges pro ratione rerum publicarum malas vel bonas eſſe, iuſtas aut iniuſtas. Sed illud non eſt dubitabile, leges eſſe ad Rempublicam accommodandas. quod cum ita ſit, planè intelligitur, leges rectis Rebuſpub. conuenientes neceſſario iuſtas eſſe, deprauatis iniuſtas.

Scholia in Caput VII.

1 Nec verò controuerſia vacat, cuius arbitrio ciuitatē adminiſtrari conueniat. *Quæ ſit commodiſſima ratio Rempub. adminiſtrandi, magna quæſtio eſt: nam ſiue multitudinis, ſiue paucorum, ſiue vnius arbitrio gubernetur, res non vacat difficultatibus & controuerſijs. & ſi bonis viris ſemper eſſe imperium deferendum dicas, illud ſtatim occurrit, quod cæteri relinquerentur inhonorati: imperia enim & magiſtratus honores vocantur. Item ſi legem quæ vacat affectibus non hominem dominari oportere contendas, ne hoc quidem eſt omnino probandum: nam fieri poteſt vt lex ſit populari aut paucorum potentiæ accommodata, eritq́ idem in lege, quod in homine malum ſiue incommodum. Cæterum multi, quorum nemo probus & prudens ſit, an pauci optimi melius Remp. gubernent, ſi quæras, quæſtio ſic ſolui poteſt, ſi multi omnes peſſimi ac imprudentiſſimi, & mancipiorū ſimiles ſint, melius à paucis optimis Reſpub. gereretur: ſin autem, mediocres commodius à multis talibus, quàm à paucis optimis adminiſtrabitur. Itaque imperia ſeu magiſtratus qui à ſingulis aut cum paucis geruntur, optimis viris mandari : cæteri qui à multis ſimul, multitudini permitti debent, vt ſuffragio ferre magiſtratus, eoſdemq́ corrigere, & geſti muneris rationem poſcere. Poſtremò leges quoad fieri poſſit, in Repub. dominari oportet: nec aliud eorum qui tenent imperium arbitrio permitti, quàm id de quo legibus caueri non poteſt.*

2 Bona locupletum partiantur. *Diuidant inter ſe.*

3 Extremam igitur iniuriam quid appellare oportet? *Quaſi dicat, ſi hoc non eſt iniuſtum, efficitur vt iuſtum eſſe dicatur id, quo nihil fieri poteſt iniuſtius.*

4 Præterea cuncta tyranni acta. *Si quicquid efficitur à potentiore iuſtum eſt, acta igitur tyranni iuſta ſunt.*

5 At ſi lex fuerit. *Si lex ea fieri præcipit, quæ homines cupidi & importuni ad tuendum paucorum potentiam, aut Rempub. popularem facerent.*

6 Ac forſitan verum eſt. *Melius à multis non probis nec prudentibus Rēp. geri, quàm à paucis optimis & prudentiſſimis, ſcilicet ſi multi illi nec peſſimi, nec imprudentiſſimi ſint.*

7 Multipes

7 Multipes & multimanus. *Habens multos pedes & multas manus, vt ſit corporis & animi viribus tam potens, quam multi homines ſimul.*

8 Separatim diſperſa in vnum congeruntur. *Partes quæ in pluribus hominibus pulchræ ſunt, in vnam imaginem à pictoribus conferuntur, vt Zeuſim pictorem tradunt cõductum à Crotoniatis, vt formoſiſsimam Helenæ imaginem depingeret, ab ipſis petiuiſſe, vt virgines omnes in vnum locum conducerent, quo facto, & pictori data poteſtate, quam vellet eligens Zeuſis elegit quinq; nec enim omnia quæ quæreret ad venuſtatem vno in corpore ſe reperire poſſe exiſtimauit.*

9 In quibuſdam fieri non poſſe. *In improbis & barbaris, & parum à belluis diſtantibus hominibus.*

10 Iniuſtitia & imprudentia. *Prauitate morum & mentis hebetudine: vt enim iuſtos appellare ſolemus homines omni virtute præditos, ſic iniuſtos vitioſos & improbos, quoniam iuſtitia, vt ipſe docet Ethicorum libro quinto, omnes virtutes complectitur.*

11 Modò in iniuriam, modò in errorem. *Iniuriam vocat quod conſulto fit, & prauo animo: errorem, quod per imprudentiam.*

12 Vt autem ſeparatim per ſe. *Vt ſinguli per ſe gerant magiſtratum.*

13 Satis habent ſenſus. *Id eſt intelligentiæ: nam vt videre interdum dicũtur qui intelligunt, ſic etiam ſentire: videre enim ſentire eſt, & ſenſus perſpicaciæ ſæpe ad mentem transfertur.*

14 Cibus impurus cum ſyncero. *Cibus commodus cum incõmodo mixtus melior eſt ad alendum corpus, ſi quãtum ſatis eſt ſuppeditetur, quam paucus cibus licet optimus ſit.*

15 Laborantem explicare. *Aegrotantem ſanare.*

16 Eſt autem medicus, tum opifex, tum architectus, tũ peritus in arte medicina. *Opificẽ medicinæ vocat, qui medicamẽta cõficit, & exequitur præcepta eius qui ſcientiã habet medicinæ, hũc autem architectum: nã vt architectus operarijs artificibus facienda præſcribit, ſic ſcientia & arte medicina præditus, medicamentorum confectoribus & miniſtris adhibentibus medicamenta: peritos autem appellat eos qui experti ſunt in re medica, ſuis aut aliorum morbis edocti, non per ſcientiam & artem: nam quos græcè Ariſtoteles πεπαιδευμένους dixit, hos interpres peritos cõuertit, quaſi vſum aliquẽ habẽtes in medicina, quod ex ſubiectis illis verbis declaratur:* Iudicium, *inquit,* tribuimus nihilominus peritis, quàm ſciẽtibus, *id eſt nihilominus vſum & experientiam habentibus quàm ſciẽtia & arte præditis: vnde in primo libro Ethicorum puerũ negat eſſe probum auditorem doctrinæ moralis, quoniam non eſt πεπαιδευμένος, id eſt rerum peritus, quod exponens ſubijcit,* quoniam eſt vitæ actionum imperitus. *Ad ſummam cum dupli-*

citer homines erudiantur, literis, aut voce præceptoris, atq; vſu rerum & cõſuetudine: qui hoc poſteriori modo ſunt eruditi, hos ferè πεπαιδευμένους ſolent cum auctores cæteri, tum maximè Ariſtoteles nuncupare, quos nos peritos decimus, aut vſu peritos.

17 Nec delectio magiſtratuum, nec correctio. *Deligere magiſtratum eſt publicum munus cui viſum fuerit, ſuffragio mandare: corrigere autẽ, quod græcè dicitur εὐθύνειν, eſt vel cauſas à magiſtratu iudicatas ex prouocatione cognoſcere, vel geſti magiſtratus rationem poſcere.*

18 Propter rationem ſuprà poſitam. *Quia multi ſimul congregati, cõmunicatiſq; conſilijs multum habent ſenſus & intelligentiæ.*

19 Concilium enim populare. *Conuentus popularium, quæ concio alio nomine dicitur, græcè autem ἐκκλησία.*

20 Quacunque ætate hominibus. *Non quòd pueris etiam pateat ad deliberandum & iudicandum aditus, cum perfecta ratione & arbitrio careant, Politicorum primo, vſque adeò, vt nec ſponte, nec voluntariè facere dicantur, Ethicorum tertio: nec poßint operari ex virtute, Ethicorum primo. Sed quia tam iuuenes quàm ſenes populariter conſultant & iudicant, cum ſint quidam magiſtratus qui pro ipſorum ratione ſeparatim his ætatibus mandentur.*

21 Horum arbitrio res eas permitti. *Vt de his ſtatuendi arbitrium & poteſtatem habeant.*

CAPVT VIII.

1\. 1 SED quoniam in omnibus diſciplinis & artibus finis eſt bo-
2\. num, 2 maximum verò & maximè in ea quæ omnium eſt facilè
3\. princeps, quæ quidem eſt ciuilis facultas. 3 Eſtq; bonum ciuile iuſtum ipſum, hoc autem eſt publica cõmoditas: & iuſtum omnes exiſtimant æquale quiddam eſſe, & quadam tenus aſſentiunt præcep-
4\. tis philoſophiæ, quæ data ſunt 4 in libris de moribus. Nam iuſtum aliquid, & aliquibus, & æqualibus, æquale eſſe oportere confitentur: idcirco videndum eſt qualium rerum æqualitas, & qualium inæqualitas ſit. Nec enim hoc vacat controuerſia, nec eſt à ciuili philoſophia alienum: nam fortaſſe dicat aliquis, pro cuiuſque boni præſtantia magiſtratus & imperia inæqualiter eſſe diuidenda. Si cæteris in rebus omnibus pares habeantur, diſparibus enim diuerſum eſſe iuſtum, & quod eis pro dignitate debetur. At ſi hoc verum eſt, quo quiſque colore aut proceritate alióve quo-

cunque

cunque bono præſtabit,hoc ſibi plus 5 ciuilium iuſtorum vendica- 5.
bit,quod eſt manifeſtò falſum, vt fieri cæteris in ſcientijs atque fa-
cultatibus animaduertimus. Nam ex tibicinibus arte paribus non
ſi qui erunt nobiliores,protinus his plus tibiarum erit tribuendum:
non enim generis præſtantia maiorem ſuggerit tibijs canendi fa-
cultatem:at oportet vt quo quiſq; 6 ſuperior eſt opere, hoc ei plus 6.
inſtrumentorum tribuatur:quod magis in progreſſu declarabitur,
ſi nondum ſatis quod dicimus intelligitur.Nam ſi quis arte tibiarũ
excellat,ſit autem 7 genere aut forma longè inferior, quamuis ho- 7.
rum quodque, id eſt nobilitas & pulchritudo maius bonum tibia-
rum arte ſit, & longè plus proportione tibiarum artem excellat,
quàm ille præſtet tibiarum arte, huic tamen præſtantiores tibiæ tri-
buendæ ſunt:nam diuitiarum & nobilitatis præſtantia 8 ad opus iu- 8.
uare debet,quod nunc abeſt.Item eadem ratione omne bonum cũ
omni bono conferri poſſet:9 nam ſi præſtat quod aliqua magnitu- 9.
dine excellit,omnino magnitudo poterit cum diuitijs & libertate
conferri.Si ergo hic plus magnitudine quàm ille virtute excellit, ac
omnino plus magnitudo virtutem ſuperat,vtique omnia inter ſe
conferri poterunt.Nam 10 ſi tanta magnitudo maior eſt quàm tan- 10.
ta,ſine dubio tanta fuerit æqualitas: ſed cum hoc fieri non poſſit,
meritò in rebus ad ciuitatem pertinentibus nõ per omnem inæqua-
litatem de imperijs & magiſtratibus cõtenditur. Nam ſi alteri len-
ti eſſent,alteri veloces,non ob eam rem his plus eſſet,illis minus tri-
buendum: licet huic præſtantiæ honos in gymnicis certaminibus
tribuatur.Sed quibus ex rebus ciuitas conſiſtit, de his oportet eſſe
contentiones. Itaque meritò nobiles & ingenui atque locuple-
tes honorem ſibi vendicant: 11 nam liberi ſint oportet & qui tri- 11.
butum pendant: non enim ciuitas conſtaret, ſi omnes eſſent ege-
ni, non magis quàm ſi ſerui. Porrò ſi eiuſmodi homines ciuitati
adeſſe oportet, haud dubiè iuſtitia quoque & bellica virtus deſi-
deratur: nam ſine his ciuitas nihilo magis conſtare valeat, niſi
quòd 12 ſine prioribus nullo modo,ſine his rectè vrbs habitari non 12.
poteſt. Vt igitur ciuitas ſit,hæc omnia,aut certè horum quædam
meritò videri poſſunt contendere: ſed ad rectè viuendum diſci-
plina & virtus optimo iure, vt ſuprà diximus, contendant. Sed
quoniam vno aliquo duntaxat pares non ſibi debent ex omni-
bus æqualem partem vendicare, nec maiorem qui vno ſunt po-
tiores,idcirco neceſſe eſt 13 omnes huiuſmodi reſpublicas aberratio 13.

nes eſſe: omnes igitur, vt ſuprà diximus, iuſtè quodammodo contendunt: iuſtè ſimpliciter, non omnes diuites contendunt, quoniam ipſi plus agri obtinent, qui ager communis eſt. Præterea quia diuitibus magna ex parte ad cõmercia & fœdera maior fides ha-
14. betur, ingenui verò atque nobiles 14 qui inter ſe finitimi ſunt, quia nobiliores ignobilibus magis ſunt ciues. Nobilitas autem apud quoſque domi honorata eſt, propterea quòd ex melioribus meliores procreari probabile eſt: nobilitas enim eſt virtus generis: eodem igitur modo virtus iure contendere dici poteſt. Nam iuſtiti-
15. am quam cæteræ neceſſariò conſequuntur, 15 ſocialis virtus eſſe dicitur. Sed & plures non iniuria cum paucioribus contendunt, propterea quòd potentiores ditiores ac meliores ſint, ſi plures cum paucioribus conferantur. Si ergo cuncti, hoc eſt boni viri locupletes atque nobiles eſſent in vna ciuitate, & item alia quædam multitudo ciuilis, vtrum eſſet contentio quos potiſſimum oporteret imperio fungi, an nulla eſſet controuerſia? In ſingulis igitur Rebuſ publicis, de quibus diximus, indubitatum eſt iudicium quos o-
16. porteat imperare, 16 cum illarum inter ipſas diſcrimen in ijs conſiſtat, penes quos eſt imperij ſumma, id eſt quòd hæc à diuitibus, illa à viris probis adminiſtratur, ac cæteræ eodem modo. Hoc ta-
17. men quærimus, cum hæc eodem tempore ſuppetunt, 17 quomodo ſit ſtatuendum. Si virtute præditi numero ſint omnino pauci, quomodo ſit ineunda ratio: num ad opes ſpectare oporteat, ſi ciuitatem adminiſtrare præ paucitate nequeant, an videndum, tótne numero ſint, vt ex eis ciuitas conſiſtat. Cæterum quæſtio quædam eſt in omnes qui de ciuilibus honoribus contendunt. Nam qui
18. diuitias iactant, & ob eas imperium ſibi depoſcunt, ij 18 nullum ius afferre videntur, non magis quàm qui genere nituntur: quoniam ſi quis vnus viciſſim omnium eſſet ditiſſimus, eodem iure imperium in omnes ſibi poſtularet: ac eodem modo ſi quis nobili-
19. tate cæteros ingenuitate contendentes ſuperaret. 19 atq; idem forſitan virtuti in optimatum Repub. contingat. Nam ſi quis vnus cæteris viris probis qui in adminiſtratione Reipublicæ verſantur, virtute præſtet, is eodem iure ſummam ſibi vendicet Reipublicæ poteſtatem. Item ſi multitudini ob id ſumma poteſtas deferri debet, quoniam multi quàm pauci potentiores ſunt: eadem ratione ſi vnus aut vno plures, pauciores tamen quàm multi, cæteris ſint potentiores, his potius eſſet, quàm multitudini ſumma imperij defe-

deferenda. 20 Ex his ergo cunctis planè intelligitur earum cauſa- 20.
rum quas afferunt, cur ipſi imperare, cæteri omnes ſub ipſorum
imperio eſſe debeant, nullam eſſe rectam. Nam pari ratione mul-
titudines ius quoddam opponere poſſent, tum ijs qui virtute, tum
ijs qui opibus nitentes ſummam imperij ſibi depoſcunt: fieri e-
nim poteſt vt paucis multi, non ſinguli, ſed vniuerſi meliores ſint
& opulentiores. Quorundam igitur dubitationi atque quæſtioni
hoc modo occurri poteſt: quæritur enim à nonnullis, num legum
conditor in rectiſſimis legibus ferendis ad meliorum commodum
debeat, an ad plurium vtilitatem ſpectare, 21 cum id quod diximus, 21.
vſu venit. Nam fortaſſe quod rectum eſt ſuſcipi debet. forſitan au-
tem rectum eſt, *22* vt totius ciuitatis commodum & ciuium com- 22.
mune bonum legumlator ſibi proponat. Eſt autem ciuis commu-
niter quidem is qui modò imperat, modò paret imperio, ſed in
quaque Republica diuerſus. Cæterum in optimo ſtatu is demum
ciuis eſt, 23 qui poteſt & vult tum parere, tum ad vitam ex virtute 23.
degendam imperare.

Scholia in Caput VIII.

1 SED quoniam in omnibus diſciplinis & artibus. *Cum ciuilis facultatis finis ſit iuſtitia, quæ in conſulendo publicæ commoditati verſatur, iuſtum verò æquale quiddam ſit, quærendum eſt in quarum rerum æqualitate iuſtitia conſiſtat: non enim quarumcunq; rerum, ſed earum modò quæ pertinent ad opus ſeu finem eius rei de qua contenditur: æqualitas vel inæqualitas ad iuſtitiam facit. Itaq; non omnium rerum, ſed earum duntaxat quæ bonum publicum attingunt, æqualitatem & præſtantiam ſpectari oportet in Repub. communicanda, eiuſq; honoribus & commodis diſtribuendis. In optima igitur Repub. cum finis ſit ex virtute degere, æqualitas & præſtantia in virtute potiſſimum ſpectari debet.*

2 Maximum vero & maximè. *In omnibus, inquit, facultatibus, & artibus finis eſt bonum quoddam, ſed maximè in ciuili facultate finis bonum eſt, & id bonum eſt maximum bonum, iuſtitia videlicet, quæ bonis omnibus cunctiſq; virtutibus antefertur.*

3 Eſtque bonum ciuile iuſtum ipſum. *Finis ciuilis facultatis eſt ipſa iuſtitia: & iuſtitia eſt publica commoditas, id eſt iuſtum eſt quod publicæ commoditati eſt aptum & conueniens.*

4 In libris de moribus *Quinto Ethicorum: ibi enim de iuſticia, iuſto & æ-*

quo pluribus verbis diſputatur: & iuſtitia diſtributiua declaratur in quadam rationis æquabilitate conſiſtere, quæ proportio ſiue proportionalitas geometrica dicitur, & in quatuor minimum terminis continetur, vt in duobus præmijs exempli gratia, A B, & in duorum hominum dignitatibus. C D: nam ſi diſtribuendo ea fit proportio A ad C, quæ B ad D, iuſta fuerit diſtributio. Itaque iuſtum non dicitur abſolutè vt temperatum vel forte, ſed ad aliud refertur, & per comparationem quandam cernitur: hoc eſt enim quod ait, Iuſtum aliquid eſt, & aliquibus.

5 Ciuilium iuſtorum. *Præmiorum ciuilium, ſiue bonorum qui iuſtè & pro dignitate diſtribuuntur.*

6 Superior eſt opere. *Quo magis inſtructus eſt facultate ad fungendum opere.*

7 Genere aut forma. *Nobilitate & pulchritudine.*

8 Ad opus iuuare debet. *Adiumento eſſe debet ad tibiarum cantum nobilitas & diuitiæ, vt iure ipſarum eo plus ſibi quiſquam tibiarum poſtulet, quo nobilior ſit & opulentior.*

9 Nam ſi præſtat quod excedit aliqua magnitudine. *Si ad ciuilem dignitatem obtinendam comparatur, vt potior cum diuite aut nobili, qui quanuis magnitudine vincit, vt venuſtatis aut proceritatis, ea magnitudo, id eſt res quæ excedit, & magis eſt talis, quæcunque fuerit, poterit cum libertate & diuitijs comparari, quod eſt falſum: comparatio enim non fit inter ea quorum eſt diuerſa natura phyſic. 7. nec comparabilia ſunt, quæ genere differunt, metaphy. x. eſt autem hic locus græcè perobſcurus: ſic enim habet,* εἰ δὲ μᾶλλον τὸ τὶ μέγεθος, καὶ ὅλως ἂν τὸ μέγεθος ἐνάμιλλον εἴη πρὸς πλοῦτον, καὶ πρὸς ἐλευθερίαν, *quod eſt ad verbum,* ſi autem magis quod aliqua magnitudine omnino fuerit magnitudo comparabilis cum diuitijs & libertate, *id eſt ſi magis ſcilicet tale eſt, quod aliqua magnitudine eſt magis tale, exempli gratia, ſi magis hic pulcher, qui pulchritudinis magnitudine eſt magis, ſiue præſtat. Si ergo hic magis pulcher eſt quàm ille diues aut nobilis, quemadmodum hi homines comparantur inter ſe: ſic ipſæ magnitudines, id eſt pulchritudo & diuitiæ aut libertas, erunt comparabiles inter ipſas, & ita quælibet res cum quælibet comparari queat, quod eſt falſum: quem ſenſum ſatis commodè interpres videtur expreßiſſe latinè.*

10 Si tanta magnitudo maior eſt quàm tanta. *Exempli gratia, ſi tres partes virtutis maior magnitudo eſt quàm quatuor pulchritudinis, eædem tres partes virtutis erunt, verbi cauſa, quinq; pulchritudinis æquales, ac proinde ſex partes pulchritudinis præſtabunt tribus virtutis: huiuſmodi autem comparatio inter res natura diuerſas fieri non poteſt, vt declarauimus.*

11 Nam

11 Nam liberi ſint oportet,& qui tributum pendant. *Non immunes tributorum & ſtipendiarios dicit,ſed non ſeruos,aut etiam nobiles & diuites,qui ſuis bonis poſſunt Rempub.in neceßitatibus ſubleuare,quod interdum fit tributis pendendis:vnde ſubiecit, non enim ciuitas conſtaret, ſi omnes eſſent egeni.*

12 Sine prioribus nullo modo. *Sine locupletibus & liberis hominibus ciuitas eſſe non poteſt,quia communio ſine his eſt imperfecta,cum careat rebus neceſſarijs.Ciuitas autem ſocietas perfecta eſt,vt primo libro docuit:ſine iuſtitia verò & bellica virtute eſſe quidem poteſt,ſed prauè & incommodè.*

13 Omnes huiuſmodi Reſpub. *In quibus homines de Repub. contendentes diuitijs aut nobilitate ſeu ingenuitate nituntur , quorum quodq; iuſtum quoddam eſt,non tamen ſimpliciter iuſtum : hoc enim in virtute potißimum conſiſtit.*

14 Qui inter ſe finitimi ſunt. *Hic enim ingenuos ſiue liberos appellare videtur,qui liberaliter viuunt extra ſordidas & neceſſarias artes.*

15 Socialis virtus eſſe. *Maximè cerni ac verſari in ſocietate ciuili.Iuſtitia enim eſt virtus ad alterum,in qua cum virtutes omnes intelligantur, hoc tamen differt à virtute, quòd iuſticia dicitur quatenus eſt ad alterum:virtus autem ſimpliciter, quatenus eſt talis habitus : itaq; virtus & iuſtitia cum re ſint idem,ſola ratione differunt, Ethicorum quinto.*

16 Cum illarum inter ipſas diſcrimen. *Non dubium eſt,inquit, penes quos imperium eſſe debeat, in quoque Reipublica genere, cum ipſarum diſcrimen faciant ij penes quos eſt imperium : vt pauci diuites faciunt paucorum potentiam:multitudo egentium cum tenet imperium, Rempub popularem:& cateras eodem modo in quibus ſingulis fieri poteſt, vt non ſint cuncta hominum genera,ſed ſint diuites, exempli gratia,non tamen viri probi, aut liberi,non tamen nec boni,nec locupletes. Nunc igitur quaritur ſi ſint in eadem ciuitate cuncta hac hominum genera,& multitudo popularis, vt ſit locus delectui,quibus ſit imperium deferendum,vt ſit rectè inſtituta Reſpub.*

17 Quomodo ſtatuendum ſit. *Qua ratione ipſorum paucitas eſſe & ſtatui debeat. An quia tā pauci ſunt, vt nequeant ciuitatem adminiſtrare, quod eſt ad opus ſpectare:an quia tam pauci,vt ciuitas ex eis conſtare nequeat.*

18 Nullum ius afferre videntur. *Non quòd vel diuitia vel nobilitas nihil debeant ſuffragari.nam oppoſitum paulò antè dixerat,meritò nobiles, ingenuos,& locupletes honorem ſibi vendicare : ſed quia nec diuitia per ſe, nec nobilitas ius perfectum prabent ad imperandum,vt ſoli,vel diuites,vel nobiles imperent.*

19 Atque idem forſitan virtuti. *De diuitijs & nobilitate ſimpliciter eſt locutus:*

*locutus: de virtute cum temperamento forſitan, quia fortaßis in virtute per
ſe non eſt ius perfectum ad imperandum, ſi vir probus nobilitatis aut diuitia-
rum ſit penitus expers, quanquam virtus per ſe cæteris omnibus bonis eſt præ
ferenda, & facilè poteſt beneficio Reipub. diuitijs, quantum ſatis eſt, augeri,
& parare ſibi nobilitatem, aut potius quod de virtute dubitat, & cætera iu-
ra referenda ſunt ad hoc, quod ſubiecit.*

20 Ex his ergo cunctis, &c. *Nam nullam ex ſuprà memoratis cauſis re-
ctam eſſe dicit, & ſatis iuſtam, vt qui ea nituntur, ſoli debeant imperare: nam
ne in optima quidem Repub. omnes magiſtratus viris probis deferri debent,
ſed maximi, & in quibus ſumma Reipub. magis verſatur, quiq; per ſingulos
præfectos, aut cum paucis adminiſtrantur, ne ſi cæteri inhonorati, & exper-
tes Reipub. relinquantur, ciuitas ſit hoſtium plena, hoc eſt hominum, qui cum
non ſint præſenti ſtatu contenti, rebus nouis ſtudeant, vt declaratum eſt capi-
te ſuperiore.*

21 Cum id quod diximus vſu venit. *Cum in eadem ciuitate ſunt varij
ordines hominum locupletum, nobilium, proborum, & multitudo popularis.*

22 Vt totius ciuitatis commodum, & ciuium commune bonum. *Vt
in quibuſdam legibus ferendis ſpectet ad commodum totius ciuitatis, in qua
vulgus omne continetur, & multi qui non ſunt in numero ciuium, in alijs eo-
rum bonum intueatur, qui propriè ciues eſſe intelliguntur.*

23 Qui poteſt, & vult. *Qui virtutem habet boni ciuis, tum ad parendum,
tum ad imperandum in vita ex virtute degenda: nam qui habitu præditus
eſt, qui virtus nominatur, is & poteſt facilè ſcilicet propter habitus faculta-
tem, & propter pronitatem, vult rectè agere: agit enim cum voluptate.*

CAPVT IX.

1\. 1 CAETERVM ſi quis vnus exiſtat, aut plures vno, ſed
non tot numero, vt totam ciuitatem complere poſſint, qui virtutis
2\. præſtantia tantopere excellant, vt cæterorum omnium 2 virtus, fa-
cultasque ciuilis, non ſit cum illorum, ſi plures ſint, aut cum illius,
ſi vnus, virtute comparanda, profectò hi non ſunt in parte ciuita-
tis ponendi: Nam cæteri iniuſtè facerent, ſi ſibi paria ijs poſcerent,
à quibus tantopere virtute & facultate ciuili ſuperantur: nam vir
talis tanquam Deus eſſet in hominib. habendus. Quo perſpicuè in-
3\. telligitur, 3 leges neceſſariò in genere & facultate pares ferendas
4\. eſſe: in huiuſmodi autem viros lex non eſt, 4 ipſi enim ſunt lex. Me
ritò enim rideretur, ſi quis in eos leges ferre tentaret, atque ea for-
ſitan

ſitan audiret, 5 quæ leones (vt memorat Antiſthenes) leporibus re- 5.
tulerunt, cum ij concione coacta, æquam partem omnibus tribu-
endam eſſe cenſerent. Ciuitates igitur quæ populariter admini-
ſtrantur, ob ſimilem cauſam 6 oſtraciſmum conſtituunt: hæ nan- 6.
que maximè omnium æqualitatem ſectari videntur. Quocirca
qui opibus aut gratia ſeu clientelis, alia vé ciuili facultate plurimum
poſſe videntur, hos per oſtraciſmum ciuitate pellere, & ad certa
tempora exterminare ſolent. Cui ſimilis cauſa Argonautorum
fabulæ locum feciſſe videtur, à quibus idcirco Herculem reli-
ctum eſſe narrant, quòd nollent eum in naui Argo cum cæteris ve-
hi, qui nauigantibus multum excelleret. Ergo qui tyrannidem &
7 conſilium à Periandro Thraſybulo datum vituperant, 8 horum 7. 8.
improbatio non ſimpliciter recta exiſtimari debet. Nam Periander
caduceatori per quem Thraſybulus conſilium eius exquirebat, ni-
hil reſpondiſſe fertur, ſed ſpicis eminentibus ſublatis, ſegetem adæ-
quaſſe: quo Thraſybulus à caduceatore qui facti cauſam ignorabat,
renunciato, tollendos eſſe de medio cognouit viros, qui præter
cæteros excellerent: quod non ſolùm tyrannis conducit, nec ſo-
lùm ab eiſdem factitatur, ſed eodem modo in paucorum domi-
natu, & in adminiſtratione populari fit. Nam oſtraciſmus ean-
dem vim habet quodammodo, quam præſtantium virorum pro-
hibitio & relegatio. Idemque per vrbes & gentes faciunt ij qui
rerum potiuntur, vt Athenienſes in 9 Samios, Chios, & Lesbios: 9.
qui cum primùm habuere firmatum imperium, ipſos præter pacta
& conuenta depreſſerunt. Et rex Perſarum ſæpe 10 Medos & Ba- 10.
bylonios & cæteros propterea quòd imperium aliquando tenuiſ-
ſent, 11 inſoleſcentes extenuauit. 12 ſed nos de cunctis rebus publi- 11. 12.
cis etiam rectis in vniuerſum quærimus. Nam licet hoc etiam fa-
ciant priuati compendij gratia, quæ à recto deflexerunt, idem ta-
men fit in ijs etiam rebus publicis, quæ communem vtilitatem
ſequuntur: ſed hoc ipſum in alijs quoque artibus & ſcientijs decla-
ratur. Neque enim pictor pedem maiorem quàm commenſus, a-
ptaque membrorum compoſitio poſtulat, in animali probaret, e-
tiam ſi pulcherrimus eſſet: nec nauium ædificator puppim, aut ali-
am partem nauis iuſto maiorem ferret, quamuis pulchritudine præ-
ſtaret: nec ſiquis maius pulchriuſque quàm totus chorus ſonaret,
hunc chori magiſter in choro verſari ſineret.* Ob hoc igitur fieri
poteſt, vt monarchæ cum ciuitatibus concinant, ſi hoc faciant, cùm

proprium ipſorum imperium eſt vtile ciuitatibus. itaque in eas de
13. quibus conſtat excellentias, 13 iure quodam ciuili nititur oſtraciſmi ratio. Satius eſt igitur vt legumlator ab initio ſic Remp. conſti-
14. tuat, vt nullum tale medicamentum deſideret. 14 Cæterum ſi accidat, ſecunda nauigatio fuerit, tale quoddam remedium adhibere,
15. 15 quod factum non eſt in ciuitatibus: non enim ad publicum ſuæ Reip. bonum ſpectabant, ſed ſeditioſe oſtraciſmis vtebantur. Hoc igitur priuatim commodum, ac iuſtum eſſe in deprauatis rebus publicis certum eſt. Sed fortaſſe hoc non eſſe ſimpliciter iuſtum nihilo magis eſt dubitabile. Cæterum in optimo ſtatu Reip. magna quęſtio eſt, non ſi quis cęteris bonis, vt potentia, diuitijs, gratiaque & clientelis præſtet, ſed ſi virtute excellat, quid conſilij ſit capiendum: neque enim eijciendus vir talis, in exiliumque mittendus eſſe videtur: ſed neque imperio ſubijciendus, quod perinde
16. eſſet, ac 16 ſi partitis imperijs etiam Iouem ſub imperio eſſe cenſerent. Supereſt igitur id quod iuſtum eſſe videtur lege naturæ, vt omnes huiuſmodi viro libenter pareant, ſic vt tales viri perpetui reges ſint in ciuitatibus.

Scholia in Caput. IX.

1 CAETERVM ſi quis vnus exiſtat, aut plures vno. *Quid conſilij capiendum ſit ediſſerit, ſi vnus aut pauci tantopere virtute in ciuitate præſtent, vt cæterorum omnium virtus cum huius vel horum virtute non ſit comparanda: & hunc aut hos affirmat iuſtum eſſe, vt ſemper imperium in alios teneant. Alia ratio eſt, ſi opibus, genere, aut clientelis excedant: nam vbi talib. bonis imperia tribuuntur, Reſpub. ſunt deprauatæ: ſed omnino in quauis Repub. bona vel mala commodum eſt non eſſe inter ciues maximam inæqualitatem, idq́ue legibus prouidendum eſſe tradit.*

2 Virtus facultaſq́ue ciuilis. *Facultatem ciuilem vocat, quicquid opis in homine eſt, quod faciat ad ciuilem ſocietatem iuuandam, tuendamq́ue, ſiue adminiſtrandam.*

3 Leges in genere & facultate pares ferendas eſſe. *Genus tribus modis dicitur, vt eſt in prædicabilium capite primo: Vno, vt eſt collectio aliquorum quodammodo inter ſeſe habentium. Altero, vt eſt principium cuiuſque generationis: Tertio, id cui ſubijciuntur ſpecies. Hic primo modo capitur genus: nam qui virtutibus & facultate ciuili æqualiter præſtant, ij ſunt genus quoddam hominum diuerſum à diſſimilibus. Dicitur autem genus hoc per tranſlatio-*

nem &

em & ſimilitudinem eorum quæ propriè ſunt in genere, vt animalia.

4 Ipſi enim ſunt lex. *Lex vt habetur Ethicorum quinto, ſecundum omnem virtutem viuere iubet, & prohibet contrarium. Cum igitur viri optimi & ipſi viuant ex virtute, vitia vitantes: & cæteris vt idem faciant, tum verbis, tum exemplo præcipiant: meritò ipſi lex eſſe dicuntur, vnde Paulus ad Romanos:* ipſi, *inquit,* ſibi ſunt lex.

5 Quæ leones, vt memorat Antiſthenes. *Hæc hiſtoria ſeu fabula non extat, quòd ſciam, ſed probabile eſt, leones in hanc ſententiam leporibus reſpondiſſe, docete, vos, ſi poteſtis, omnes animantes inter ſe virtute, ac robore, & cæteris facultatibus eſſe pares, & tunc omnes honoribus, & commodis exæquari, vt nobis ſuffragantibus poſtulaſtis.*

6 Oſtraciſmum conſtituunt. *Oſtraciſmus exilij genus erat, quo maximè Athenienſes vſi fuiſſe memorantur, quorum erat Reſpublica popularis: nam ſi quis eſſet ciuitati ſuſpectus, propterea quòd vel gloria, vel diuitijs, vel potentia, aut alia facultate magnopere cæteros excelleret, hunc ad decennium in exilium mittebant: non enim pœna id criminis erat, ſed prouiſio ne quid inde mali in Rempublicam orriretur. nomen autem ſumptum eſt à fragmentis ficilium, quibus nomen eius inſcribebant, qui eſſet in exilium mittendus: nam oſtracon græcè, latinè eſt teſta.*

7 Conſilium à Periandro Thraſybulo. *Periander tyrannus Corinthi fuit, Thraſybulus Mileti, quorum & dati conſilij Herodotus in Terpſichore meminit: ſed conſiliũ à Thraſybulo Periandro datũ fuiſſe tradit, contra ſcilicet, quã Ariſtoteles memorat, ſed vtro modo referatur, ad sẽsũ nihil intereſt.*

8 Horum improbatio non ſimpliciter recta. *Non quod conſilium non eſſet improbum, iniuſtum, & tyrannicum: hac enim ratione rectè improbatur, ſed quia Thraſybuli tyranni rationibus conueniebat, idcirco rectum quodammodo videri poteſt conſilium, hoc eſt ſolers, & aſtutum. Similis huic eſt euangelica parabola de villico iniquitatis, Lucæ decimoſexto, cuius non factum dominus, ſed ſolertiam & aſtutiam, quæ prudentiam imitatur laudauit, hoc eſt ingenium, quoniam excogitauit qua commodè poſſet ad id quod ſibi propoſuerat peruenire.*

9 Samios, Chios, & Lesbios *Samos inſula eſt obiecta Cariæ, Parthemia prius dicebatur. Chios inſula Ionum cum vrbe cognomine, à qua Lesbos inſula ſexaginta quinq; millia paſſuum abeſt, auctore Plinio.*

10 Medos & Babylonios. *Regnum in Aſia ab Aſſyrijs, quorum erant Babylonij. Arbaſtus ſublato Sardanapalo ad Medos tranſtulit, à Medis Cyrus ad Perſas deuicto Aſtyage auo.*

11 Insoleſcentes. *Superbientes, magnoſq; ſpiritus ſumentes.*

12 Sed nos de rebus publicis etiam rectis. *In tyrannide, & paucorum potentia: itemq́; in ſtatu populari. Qui aliqua facultate excellunt, eijciuntur vrbe, non quia iuſtum & rectum ſit, & ex bono publico, ſed quia ſic eſt priuatis eorum rationibus vtile, quorum libidine reſp. gubernatur. Nos autem quærimus, quid in tales viros ſtatuere oporteat, etiam in optimè inſtituta republica, cuius adminiſtratio ad bonum publicum ſpectat. Nam etiam in hoc genere ratio eodem modo valere videtur, quod exemplo reliquarum artium & facultatum probat.*

* Ob hoc igitur fieri poteſt, vt monarchæ cũ ciuitatibus concinant. *Ex hac ratione quam exemplo & teſtimonio artium expoſuimus, declaratur fieri poſſe vt præſtantium virorum deiectio ab aliquo monarcharum facta, non ſolùm ipſi monarchæ ad imperij firmitudinem; ſed etiam ciuitatibus ad publicam pacem & quietem conducat, ſi monarchæ imperium ſit vtile ciuitatibus, id eſt, ſi monarchia non ſit tyrannis, ſed iuſtum regnum. Vt ſiquis in ciuitate aut regno virtute, prudentia, gratia & opibus tantopere præſtet, vt periculum ſit, ne ipſius occaſione magnæ ſeditiones & fortaſſe conſpirationes in regem exiſtant, quibus neceſſe eſt publicam pacem & otium conturbari: hunc ſi rex ſuis finibus eijciat, aut aliqua ratione deprimat & extenuet, ſui ſimul imperij perpetuitati, ſimul populorum otio & quieti conſulat. Clarum præcepti huius exemplum nobis adoleſcentibus Hiſpania vidit, cum Ferdinandus rex proauus tuus optimus & ſapientiſſimus princeps, Gonſalum magnum decus & gloriam noſtræ gentis inuitus, vt opinor, ſed propter cauſas memoratas, ſibi regnoq́; cauens depreſſit, ac extenuauit: qui non modò ipſum Diui Iacobi equitum magiſtrum in Hiſpaniam reuerſus, vt ei fuerat ad Neapolim pollicitus non conſtituit, ſed etiam per cauſam noui belli gerendi, atque delectus habendi: ad cuius famam omnis fere iuuentutis Hiſpanæ nobilitas propter ducis præſtantiam, & cum omnium virtutum, tum liberalitatis opinionem excitata fuit, fruſtra magnas opes conſumere, atq; etiam æs alienum contrahere pro magna ipſius in omnes ordines effuſionem coegit*

13 Iure quodam ciuili nititur. *Quia pertinet ad ſtatum ciuitatis tuendum.*

14 Cæterum ſi accidat, ſecunda nauigatio fuerit, tale quoddam remedium adhibere. *Primum eſt vt Reſpub. ſic legibus inſtituatur, vt hoc incommodum accidere nequeat. ſed proximum: vt ſi quid tale acciderit, huiuſmodi remedium adhibeatur. Vſus eſt autem prouerbio dicens,* ſecunda nauigatio: *nauigantibus enim primùm & maximè optandum eſt, vt nauigent ſecundo vento, & hæc eſt prima nauigatio, id eſt, primùm optanda: Secunda verò, id eſt ſecundo loco expetenda, vt liceat remis nauim impellere, aduerſis flati.*

ſis flatibus, non impedientibus: quod ſic abiuit in prouerbium, vt quod proximum eſt optimo, ſecunda nauigatio dicatur.

15 Quod factum non eſt in ciuitatibus. *Athenienſes hoc in loco deſignare videtur, qui multos per oſtraciſmum in exilium miſere, non ob eam cauſam, propter quam oſtraciſmus eſt inductus, de qua ſuprà dictum eſt, ſed per factiones ſeditioſe. Itaq; ad improbos etiam & humiles deſcenſum eſt, quorum poſtremus fuit Hiperbolus homo abiectus auctoribus Alcibiade & Nicia, cuius rei indignitatem pertaſus populus Athenienſis, oſtraciſmum antiquauit.*

16 Si partitis imperijs Iouē ſub imperio eſſe cenſerent. *Simile, inquit, eſſet, ac ſi Dij ſtatuerent inter ſe, vt ſic per omnes aut aliquos ipſorum iret imperandi viciſsitudo, vt Iuppiter modò imperium teneret, modò eſſet ſub imperio, quod eſſet abſurdiſsimum, cum ſolus Iuppiter plus virtutis & potentiæ haberet, quàm cæteri omnes Dij deæq; ſimul, ſapientium hominum opinione, vt declarat Homerica illa cathena, de qua memorat Ariſtoteles in libro de motu animalium. Quo planè intelligitur, omnes ferè ſapientes philoſophos vnum tantum Deum agnouiſſe, quamuis plurimos nominarent: vt declarat idem philoſophus, qui in libro de mundo ad Alexādrum, ſic ſcriptum reliquit:* Deus, *inquit*, cum vnus ſit, multis tamen nominibus appellatur, quæ homines ei ab ipſius operibus indiderunt: *à quo verò Deo cum diſcederetur, cæteros omnes non eſſe, ſed per quandam ſimilitudinem Deos vocari ſapientes intelligebant, vt idem Ariſtoteles teſtatur in libro de prima philoſophia, qui cum multos Deos in eodem opere ſæpe nominaſſet, quos alio nomine intelligentias appellat, libro tamen duodecimo vnum tantum Deum eſſe confirmat. Deus enim niſi ſummus, optimus, maximus, nullus eſſe valet, quod in plures cadere non poteſt. Itaq; ex creatura mundi, vt Paulus ſcribit ad Romanos, id eſt duce natura, Deum cognoſcebant, ſempiternam quoq; eius virtutem & diuinitatem: ne quis putet quicunq; plures Deos nominabant, eos omnes fuiſſe idolorum cultores. Nemo enim niſi inſanus, cui eſſe vnum tantum Deum cognitum eſt, plures poteſt colere pro Dijs.*

CAPVT X.

1 HIS quæſtionibus explicatis, operæ precium fortaſſe fuerit ād diſputationem de regno tranſire: ex rectis enim rebus publicis hāc vnam eſſe conſtituimus. Conſiderandum eſt autem, num ad rectum, honeſtumque ciuitatis ac regionis ſtatum conducat, vt regio imperio gubernetur, an commodior ſit alia ciuitatis moderandæ ratio an à quibuſdam commodum ſit, alijs inutile regibus pare- 2.

re. Sed primum omnium videndum eſt, num genere vno regna contineantur, an ſint pluribus diſcriminibus diſtincta. Sed complura eſſe genera, nec omnium regnorum vnum eſſe modum faci-
3. 4. lè eſt intelligere. Regnum enim 3 Laconicæ Reipublicę, 4 maximè legitimum regnum eſſe videtur. Rex tamen non habet ſummam rerum omnium poteſtatem, ſed extra regionem ſummam imperij in bello gerendo tenet. Præterea reges diuinis rebus procurandiſ-
5 que ſacrificijs præſunt. Itaque Regnum quaſi 5 ductus militaris eſt, cum ſumma poteſtate, & perpetuus: non enim vitæ ac necis pote-
6. ſtatem habet, præterquam 6 in quodam regno, vt more veterum
7. in bellicis expeditionibus 7 lege præbente poteſtatem, vt declarat Homerus, apud que[illegible]i concilijs Agamemnon, cum maledictis &
8. 8 conuitijs inceſſeretur, contumeliam ferebat, ſed in bello gerendo interimendi ius & poteſtatem habebat. ſic enim ait:

Prælia vitantem, ſi quem fortaſſe carinas
Ad curuas ſediſſe ſciam, non ille caninos,
Non volucrum effugiet morſus, rituſque voraces,
Me penes arbitrium cum ſit.

Hæc igitur eſt vna regni ſpecies, vt tota vita dux belli ſit. Sed hæc
9. regna quædam ſunt 9 ex genere hæreditaria, quædam voluntate, ac ſuffragio populorum deferuntur. Eſt aliud monarchiæ genus, qualia ſunt apud quaſdam nationes regna barbarorum, quæ re-
10. gna cuncta 10 poteſtatem habent tyrannicæ proximam, legitima tamen & hæreditaria ſunt. Nam cum ex gentibus Barbari quàm Græci natura ſint ad ſeruiendum procliuiores, & qui Aſiam quam qui Europam tenent, idcirco tales æquo animo imperium herile ferunt. Sunt igitur huiuſmodi regna tyrannica, illa quidem ob eam cauſam, ſed tamen tuta, quoniam hæreditaria & legitima, & eorum cuſtodia regia eſt, non tyrannica, eadem ex cauſa. Reges enim ciuium armis, tyranni externo præſidio cuſtodiuntur, cum
11. alteri lege, volentibuſque imperitent, 11 inuitis alteri. Itaque reges à ciuibus cuſtodiuntur, tyranni contra ciues præſidio muniuntur: atque hæc quidem ſunt duo monarchiæ genera. Eſt aliud, quod
12. olim apud Græcos tenebant, qui 12 Aeſymnetæ dicebantur, quæ, vt ſummatim loquar, tyrannis eſt ſuffragio delata: differt autem à regno barbarico, non quòd ſit præter legem, ſed eo duntaxat, quòd non traditur iure hæreditario. Hoc imperium quidam ad vitam,
13. alij ad certa tempora, vel ad certas res gerendas tenebant, 13 vt

olim

olim à Mityleneis Pittaco aduerſus exules, quibus Antimenides
& 14 Alcæus poeta præerant, delatum eſt. Nam pro tyranno dele- 14.
ctum fuiſſe Pittacum Alcæus ipſe declarat, qui quodam obliquo-
rum, furioſiorumque carminum loco Mitylænis obijcit, quòd
Pittacum infimo loco natum, tolerantis ac infelicis ciuitatis tyran-
num feciſſent, magnis eum per conuenticula laudibus efferentes.
Hæc igitur imperia, ſunt & fuerunt 15 herilia, quoniam tyrannica: 15.
regia verò, quoniam ſuffragio & voluntate ciuium deferebantur.
Quartum regni genus eſt, quo regna heroicorum temporum vo-
luntaria hæreditariaque ex lege continentur. Primi enim volunta-
te populorum, quos artibus aut bello demeruiſſent, ſeu diſperſos in
vnum congregaſſent, vel agros, ſedeſque ad habitandum tribuiſ-
ſent, reges fiebant: eademque regna poſteris hæreditario iure trade-
bantur: & reges imperij ſummam dum bellum gererent, habebant,
præerantque ſacrificijs, quæcunque ad ſacerdotes non pertine-
bant: & cauſas dijudicabant, quidam iniurati, alij dato iureiu-
rando: erat autem iuſiurandum, erectio ſceptri. Reges igitur an-
tiquitus tum in ciuitatem & populos, tum extra fines continenter
imperium tenebant. Poſtea verò quædam remittentibus regibus i-
pſis, alia populis auferentibus, 16 ſola ſacrificia regibus relicta ſunt 16.
in alijs ciuitatibus: 17 vbi verò regnum meritò vocari poſſet, impe- 17.
rium duntaxat externorum bellorum tenebant.

Scholia in Caput X.

1 HIS quæſtionibus explicatis, operæpretium fortaſſe fuerit, ad di-ſputationem de regno tranſire. *Quatuor hic regni genera memorantur. Primum id, quo regnum Lacedæmoniorum olim continebatur, nunc regnum Arragonenſium. Alterum, quo regna Barbarorum, quæ cum lege nitantur, & ſint hæreditaria, herile tamen imperium exercent, cuiuſmodi nunc eſt regnum Turcarum. Tertium genus eſt eorum, quos Græci Aeſymnetas vocabant, ab imperando, quòd ſuffragio deferebatur, non hæreditate, partim ad vitam, partim ad tempus, qualis erat apud Romanos Dictatura. Quartum genus heroicorum temporum: quæ regna initio non per vim erant occupata, ſed populorum voluntate deferebantur. Deinde ex lege poſteris hæreditate tradebantur, qui Reges in bello imperium cum ſumma poteſtate tenebant, & quibuſdam ſacrificijs præerant.*

2 Quibuſdam commodum ſit, alijs inutile. *Nam quidam homines natura*

natura ſunt apti, vt pareant imperio regio, alij vt ciuili, alij etiam vt herili.

3 Laconicæ Reipub. *Lacedæmoniorum nam Laconia regio eſt, cuius caput vrbs Lacedæmon.*

4 Maximè legitimum. *Ex lege maximè, quia non ſolùm per legem ex Heraclidarum familia Reges ſuccedebant, ſed legibus etiam, non ſua voluntate regnum adminiſtrabant, præterquàm in bello, vbi ſummam poteſtatem habebant.*

5 Ductus militaris cum ſumma poteſtate. *Nam reges Lacedæmoniorum qui bini regnabant, nihil aliud erant, quàm belli duces perpetui, ſed ita vt eorum quiſq; cum ſumma vitæ & necis poteſtate bellum gereret: hoc eſt enim quod ait.*

6 In quodam regno. *Id eſt in parte quadam regiæ adminiſtrationis, ſcilicet in bellica.*

7 Lege præbente poteſtatem. *In vulgatis græcis exemplaribus ſcriptum eſt, ἐν χειρὸς νόμῳ, id eſt* in manus lege: *ſed corruptè, vt opinor: vetus interpres promptus, potens conuertit, quo intelligitur in exemplari græco vnde transferebat, fuiſſe ἔγχειρος νόμῳ, hoc eſt* lege poteſtatem habens, *ſenſu commodiſſimo: nam tali Regi non ex illis regni natura, ſiue conditione, ſed ex lege Reipub. in bello pœna capitali afficere licebat.*

8 Conuicijs inceſſeretur. *Ab Achille, de quo iurgio eſt in Iliados lib. ij.*

9 Ex genere. *Iure generis & familiæ hereditario.*

10 Poteſtatem habent tyrannicæ proximam. *Quia rem arbitrio ſuo gerunt, & imperium propemodum herile in ſubiectos exercent: ſunt tamen legitima, quia ex lege poſteris traduntur.*

11 Inuitis alteri. *Tyranni: nam ſi volentibus imperarent tyranni, iuſtum eſſet ipſorum imperium: volentibus enim, vt eſt in quinto Ethicorum, non fit iniuria.*

12 Aeſymnetæ. *Ii dicebantur quaſi rectores ſeu iuſſores, quales erant, vt diximus, Dictatores apud Romanos, qui ſuffragio ad aliquod negotium, aut bellum conficiendum ad tempus deligebantur: interdum etiam ad vitam, vt Sylla & Iulius Cæſar, qui facti ſunt perpetui Dictatores nomine ſcilicet: nam reuera tyranni erant. Nam Dictatoris ſumma erat & ſine prouocatione, vitæ & necis ac rerum omnium poteſtas, & regno ſeu tyrannidi ſimilis.*

13 Vt olim à Mitylenæis Pittaco delatum eſt. *Pittacus ab vrbe Mitylena inſula eiuſdem nominis Mitylenæus cognominatus, vnus fuit de ſeptem ſapientibus: huic propter virtutem ciuitatis imperium fuit à ſuis ciuibus delatum: quo tamen ipſe ſponte ſua poſt decennium ſeſe abdicauit, vt refert*

Diogenes

Diogenes Laërtius.

14 Alcæus. *Poeta nobilis hic fuit, de quo meminit etiam Diogenes.*

15 Herilia, quoniam tyrannica. *Sic legitur in græcis exemplaribus, quæcunque mihi videre contigit: ſed lectio videtur eſſe tranſpoſita, quæ commodius habitura, videretur, ſi ſic eſſet:* tyrannica, quoniam herilia: *hic enim regnum cum tyrannide comparatur, quanquam vtriuſq; ſcripturæ verus eſt ſenſus: eſtq; imperium omne tyranni cum herile. Tyranni enim Rempub. adminiſtrando, non ſubiectorum, ſed ſuam vtilitatem ſpectant, quod eſt proprium herilis imperij.*

16 Sola ſacrificia Regibus relicta ſunt. *Vt apud Romanos: quoniam quædam ſacrificia à ſolis Regibus olim fieri ſolita erant, quæ Regibus exactis impediri videbantur: idcirco Iunio Bruto & Marco Valerio Conſulibus creatus eſt ſacerdos, qui rex ſacrorum, & idem rex ſacrificulus dicebatur, qui tamen erat pontifici maximo ſubiectus: itaq; nomen regis in ſacris duntaxat erat relictum.*

17 Vbi meritò, regnum vocari poſsit. *Nam rex ſacrorum impropriè, alienoq; nomine rex appellabatur: hic autem vltimo loco memoratus, ad Laconicum genus refertur: quod & ipſum non ſatis propriè dicitur regnum, vt ipſe declarabit.*

CAPVT XI.

1 HAEC igitur ſunt regni genera quatuor numero: Primum illud heroicorum temporum, quo volentibus quidem, ſed certis quibuſdam in rebus imperabatur: Rex enim Dux erat in bello, & iudex, & in ijs quæ ad cultum Deorum pertinerent, ſummam poteſtatem habebat: Secundum genus barbaricum eſt, quod hæreditario iure poſteris eiuſdem familiæ traditur: Tertium quod æſymnetiam vocant, eſtq; tyrannis ſuffragio delata: 2 Quartum laconicum, quod eſt, vt ſummatim loquar, hæreditaria & ex genere perpetua exercitus præfectura: hæc igitur regna ad hunc modum inter ſe differunt: Quintum regni genus eſt, cum vnus ſumma rerum omnium poteſtate fungitur, 3 quemadmodum gens, aut ciuitas quæq; rerum communium poteſtatem habet, quod regnum 4 adminiſtrationis domeſticæ ordinem æmulatur. Nam vt domeſtica gubernatio eſt regnum quoddam domus: ſic regnum eſt domeſtica ciuitatis, & gentis vnius aut plurium adminiſtratio. Cæterum duo ferè ſunt regni genera, de quibus eſt nobis differendum: hoc, quod

modò diximus, & laconicum. Nam cætera ferè his interiecta ſunt:
5. aut enim reges pauciorum rerum quàm 5 in pleno regno, aut plu-
rium, quàm in laconico arbitrium habent. Itaque tota ferè diſce-
ptatio in duobus verſabitur. Primum, an ſit ex vſu ciuitatum eſſe
6. 7. Ducem perpetuum, & hunc 6 per familias, 7 an per ſingulares ho-
8. mines, an ſecus: Secundum expediat, an non 8 vnum eſſe rerum o-
mnium dominum. Cæterum de tali Duce quærere, ad legum ma-
9. gis, quàm ad Reipublicæ rationem pertinere videtur, 9 cum hoc
fieri in omni ſtatu ciuitatis poſſit. Priore igitur omiſſo, de altero re-
10. gni modo, cum 10 ſpecies Reipublicæ ſit, diſſerere, & huius loci
difficultates paucis verbis expedire conuenit: cuius quæſtionis ca-
put eſt, vtrum commodius ſit optimi viri, an optimarum legum
imperio Rempublicam adminiſtrari. Qui ergo regium imperium
11. probant, his leges vniuerſales duntaxat præcipere, non autem 11 ad
ea quæ accidunt, præcepta dare exiſtimantur. Itaque in qualicun-
12. †. que arte 12 ad legum præſcriptũ imperare, ſtultum eſſe dicũt, vt † in
Aegypto medicis poſt diem quartum mouere permittitur, intra id
tempus ſine ſuo periculo non licet: quo planè intelligitur, non eſſe
optimè inſtituta Reſpub quæ literis & legibus adminiſtratur, ob e-
13. andem cauſam. Atqui 13 ratio illa vniuerſalis Rempub. moderan-
tibus adeſſe debet. quod autem omnino caret affectibus, potius eſt,
14. quàm cui natura ſunt inſiti: 14 quod malum, vt legib. abeſt, ſic hu-
manis omnibus animis adeſſe neceſſe eſt. Sed pro lege, inquis, com-
15. modius de rebus ſingulis conſultabit. 15 At ipſum haud dubiè le-
gum eſſe conditorem oportet, & leges adeſſe, quarum auctoritas in
rebus cæteris rata ſit, qua verò parte à recto deflexèrint infirma.
Cæterum quibus de rebus lex, aut omnino, aut certe rectè ſtatuere
non poteſt, in his vtrum magis è re fuerit vnum optimum virum
tenere imperium, an multitudinem, controuerſia eſt. Nunc enim
ad cauſas cognoſcendas, ad conſultandum, ad magiſtratus deligen-
16. dos plures conueniunt. 16 Hæc autem omnia decreta de ſingulis re-
bus ſunt: vnus igitur quicunque fuerit ſeparatim multitudini com-
paratus, minus valet. Ciuitas autem ex pluribus conſtans, ſimilis
eſt conuiuio ex contributione multorum inſtructo, quod ſplendi-
dius eſt, quàm ſimplex, & ſumptu vnius apparatum: quocirca mul-
titudo melius multa, quàm quiuis vnus iudicat. Præterea multitu-
do minus eſt corruptioni opportuna, quàm pauci: vt aqua quo eſt
copioſior, hoc magis à corruptione tuta. Nam vnus ille ſiue ira, ſiue
alio

alio affectu teneatur, iudicium neceſſariò corrumpitur: hic autem
difficile factu eſt, vt omnes iraſcantur, & errent. Sed fac multitudi-
nem liberis hominibus conſtare, qui nihil præter legem agant, præ-
terquam 17 vbi lex neceſſariò deficit: aut ſi hoc difficile factu eſt 17.
in multis inuenire, ſint plures boni tum viri, tum etiam ciues, v-
trum vnus ille imperium tenens incorruptior erit, an hi plures
numero ſed omnes boni? nónne plures ipſi minus corruptioni pa-
tebunt? Sed inter hos, inquis, ſeditiones & diſſidia naſcentur, vnus
autem à ſe diſſidere non poteſt. At viri probi 18 animo erunt tan- 18.
quam vnus ille Si ergo complurium qui omnes viri probi ſint, im-
perium ſtatus optimatum eſt, vnius verò regnum: nimirum ciui-
tates optimatum gubernationem regno præferre debent, 19 ſiue 19.
cum poteſtate ſit imperium, ſiue ſecus: vtique ſi plurimum copia
perinde ſuppetat. Nam fortaſſis olim regibus idcirco ſe ciuitates
ſubijciebant, quoniam raro viri magnopere virtute præſtantes in-
ueniebantur, præſertim cum exiguas tunc vrbes habitarent. Præte-
rea ob accepta beneficia reges conſtituebant, quod eſt bonorum vi-
rorum opus. Poſtea verò multorum virtute ſimilium copia ſup-
petente; non amplius regna tolerabant, ſed commune quiddam
quærentes, rempublicam conſtituerunt. Cæterum cum in deterius
labentes cœpere Rempub. habere quæſtui, credibile eſt huic cum
diuitiæ eſſent in honore, paucorum principatus extitiſſe: 20 hi au- 20.
tem primùm in tyrannides tranſierunt, tum tyrannides in popu-
larem adminiſtrationem. Nam cum quæſtui turpiter ſtudentes
rem ad pauciores ſemper deducerent, multitudinem potentio-
rem reddebant: qua in eos conſpirante, populares principatus
extiterunt: ſed fortaſſe ciuitatibus magnitudine auctis, alium ſta-
tum effici quàm popularem, difficile eſt. Cæterum ſi ciuitates regio
imperio gubernari optimum eſſe ſtatuas, quæ tandem erit eorum
qui à regibus procreati fuerint condicio? Num eam quoque ſtir-
pem ſiue familiam regnare oportet? At ſi filij à virtute paterna de-
generauerint, his regnũ non ſine ciuitatis magno incômodo tradê-
tur. Pater, inquis, cum habeat omnia in ſua poteſtate, regnum filijs
non tradet? At hoc cum difficile ſit, & 21 maioris quàm quæ cadat 21.
in naturam humanam virtutis, probabile non eſt. De potentia quo-
que ambigitur, num regi vires adeſſe conueniat, quibus cogere
poſſit parere nolentes, aut quomodo imperium obire valeat: nam

licet legitimum imperium teneat, nec quicquam ſua voluntate præter legesagat,tamen facultas adſit neceſſe eſt, qua leges tueatur. Sed fortaſſis de huiuſmodi rege conſtituere non eſt difficile: habeat enim potentiam oportet,ſed huiuſmodi,vt ſingulorum aut vno plurimum facultatem ſuperet, à viribus tamen multitudinis ſuperetur: quales cuſtodias veteres tribuere ſolebant, cum ad aliquem æſymnetam,aut tyrannum ciuitatis imperium deferebant:& Syra-
12. cuſanis quidam vt cuſtodiam petenti Dionyſio 12 cuſtodes, eo numero darent,conſuluit.

Scholia in Caput XI.

1 HAEC igitur ſunt regni genera. *Quatuor regni generibus commemoratis, quintum addit, quod propriiſſunè regnum dicitur, cum voluntate & arbitrio vnius Reſpublica ad ſubiectorum commoditatem gubernatur: quod regnum ſimile eſt gubernationi domeſticæ. Nam paterfamilias domum arbitrio quidem ſuo, tamen ad vtilitatem familiæ moderatur. Sed in quæſtione de regno, de duobus potiſsimum eſt diſputandum, de Laconico, & quinto genere, quæ ſunt extrema. De Laconico differendum eſt, num ciuitatibus Ducem perpetuum habere conferat: item ſuffragio deligi debeat cuiuſq; virtutibus ſpectatis, an ex eodem genere iure hæreditario ſuccedere. Sed quoniam huiuſmodi regnum in omne Reipub. genus cadere poteſt, nec ipſum per ſe facit genus Reip. idcirco hæc quæſtio legum magis, quàm Reipublicæ rationem attingit. Itaq; tota ferè quæſtio de regno in vniuerſali ſeu pleno, & quinto illo genere verſabitur. Quæritur igitur, vtrum legibus iuſtis, an vnius optimi viri arbitrio commodius Reſpub. gubernetur. nam leges dominari, & ex ipſarum ſcripto Rempub. adminiſtrari, incommodum eſſe videtur, cum legibus non quod perpetuò, ſed quod magna ex parte iuſtum eſt, ſanciatur: nec enim aliud rerum agendarum natura & inconſtantia patitur, quamuis rationem legis vniuerſalem notam eſſe conueniat Rempublicam adminiſtranti. Rurſus cum lex affectibus careat, quibus humanus animus agitatur, commodius eſſe videtur leges dominari: ſed cum vtrunq; verum ſit, caput quæſtionis eſt, vtrum in his rebus de quibus lege caueri non poteſt, ſatius ſit vnum optimum virum tenere imperium, an multitudinem, de quo diſputat in vtranque partem.*

2 Quartum Laconicum. *Quod in ſuperiore diuiſione primum fecerat, id nunc facit quartum, dum ſequitur ordinem non naturalem, aut dignitatis, ſed voluntarium.*

3 Quem

3 Quemadmodum gens, aut ciuitas quæque. *Cum vir vnus ſic habet res communes, ipſamq́; Rempub. in ſua poteſtate, vt tota ipſa gens vel ciuitas.*

4 Adminiſtrationis domeſticæ ordinem æmulatur. *Vt quemadmodum in domo paterfamilias rerum omnium poteſtatem habet, & ſic domum adminiſtrat, vt non tam ſuam, quàm ſuorum commoditatem ſpectet: ſic rex cunctarum rerum communium ſummam poteſtatem habeat, & earum adminiſtrationem ad publicam commoditatem dirigat.*

5 In regno pleno. *Regnum plenum interpres conuertit, quod græcè eſt παμβασιλεία, quod intelligitur, cum rex cuncta arbitrio ſuo moderatur, ſed ad bonum publicum ſpectans, vt in Caſtella, tum Gothorum tempore, tum poſt Arabum & Maurorum inuaſionem, cum ſublato ab hoſtibus rege Roderico, & rebus in extremum diſcrimen adductis, populares plenum regnum Hiſpaniæ Pelagio viro optimo & fortiſſimo detulerũt, cuius poſteriori iure hæreditario annos tam plus octingentos continenti ſucceſſione regnant in Caſtella. Cuius imperium hac memoria Carolus quintus Romanorum Imperator pater tuus, quo iure diximus tenet, ſed longè & latè propagatum, imperatq́; toti Hiſpaniæ excepta Portugallia, vt interim externa imperia in Gallia, Belgica, in Italia, Sicilia, & pleriſq́; maris noſtri inſulis, & in Africa ora maritima taceamus, & quod latiſſimè tenet ad torridam plagam, & vltra in plurimas gẽtes, & veteribus mortalib. ne fama quidem cognitas nationes.*

6 Per familias. *Vt ex eodem genere reges ſuccedant, vt apud Lacedæmonios ex genere Heraclidarum.*

7 An per ſingulares homines. *An per eos qui ſpectatis cuiuſq́; virtutibus deligantur.*

8 Vnum eſſe rerum omnium dominum. *Vt omnia gerantur vnius arbitrio.*

9 Cum hoc fieri poſsit in omni ſtatu ciuitatis. *Cum in omni genere Reipub. populari, paucorum, vel optimatum poſſit huiuſmodi regnum conſtitui: quin etiam rex plenus in ſuo regno regem huiuſmodi, qui re vera non eſt rex, ſed dux perpetuus, habere poſſit.*

10 Species Reipub. ſit. *Nam tria ſunt recta Reipub. genera, ſiue ſpecies, regnum quod ad hunc modum intelligitur, ſtatus optimatum, & Reſpub.*

11 Ad ea quæ accidunt. *Quæ rarò contingunt, & præter legis rationem.*

12 Ad legum præſcriptum imperare. *In rebus gerendis, à legum ſeu præceptorum ſcripto non diſcedere.*

† In Aegypto medicis poſt diem quartum mouere permittitur. *Quoniam ſæpe accidunt morborum initia, quæ per quietem & inediam à*

 naturæ

natura ipſa depelluntur, idcirco apud Aegyptios cautum erat, ne quis medicus ante quartum diem adhiberet purgantia medicamenta, quæ ſæpe importunè adhibita, valetudini nocent. Ita cum lex magna ex parte recta & commoda eſſet, tamen quia morbi nonnunquam vehementes, periculoſiq́; inuadunt, quibus niſi protinus occurratur, ægrotus de ſalute periclitetur: ſatis intelligitur non eſſe commodum, vt ſemper ſcripto huius legis pareatur. Quæ ratio, perinde in cæteris præceptis atq; legibus valet, quæ non poſſunt eſſe perpetuæ rectitudinis, propter rerum agendarum inconſtantiam.

13 Ratio illa vniuerſalis. *Lex ipſa, legiſq́; ratio, vniuerſaliter præcipit, vt non ſine ratione ab ipſa diſcedatur.*

14 Quod malum legibus abeſt. *Affectuum agitationem vocat malum.*

15 At ipſum legum eſſe conditorem oportet. *Vt princeps leges ferat, quæ tamen leges, cum aliquid accidit contra legis rationem, ſeruari non debent, ſed per decretum & interpretationem, quæ vulgo diſpenſatio dicitur relaxari: quod pertinet ad ſummam poteſtatem, quæ ſumma poteſtas penes quem eſſe debeat quæritur, penes vnum, an penes multitudinem.*

16 Hæc autem omnia: *Cauſas cognoſcere, conſultare, & magiſtratus deligere, ſunt decreta & iudicia de rebus ſingularibus.*

17 Vbi lex neceſſariò deficit. *Vbi deficit ratio legis, vt interdum propter rerum varietatem & inconſtantiam euenire neceſſe eſt.*

18 Animo erunt tanquam vnus ille. *Si probi ſunt, omnium erit vna voluntas, & ſententia, vt eſt in actis Apoſtolorum,* multitudo credentium erat cor vnum, & anima vna.

19 Siue cum poteſtate ſit imperium, ſiue ſecus. *Imperium vocat conſultandi, ſiue iudicandi facultatem, ſiue cum poteſtate ſit, vt non ſolum deliberandi facultatem habeant, ſed etiam poteſtatem deliberata imperandi & perficiendi: ſiue ſint conſultores tantum, videtur melius à multis probis, quàm ab vno conſilium iniri, aut iudicari: aut poteſtatem vocat potentiam militarem, qua improbos poſſint ad iuſtitiam, & legum obſeruationem compellere, vt infrà,*

20 Hi autem primum in tyrannides. *Ex optimatum Repub. facta eſt per auaritiam paucorum potentia: ex hac per factiones, & vnius potentiam extitit tyrannis: ex tyrannide, cum populus inualuiſſet, factus ſæpe eſt ſtatus popularis.*

21 Maioris virtutis: quàm quæ cadat in naturam humanam. *Virtutis heroicæ, de qua diſſeritur in ſeptimo libro Ethicorum.*

22 Cuſtodes eo numero darent. *Vt non eſſet potentior vniuerſo populo.*

Caput

CAPVT XII.

1 VERVNTAMEN nobis nunc de rege, qui omnia ſuo ar- 1
bitratu moderatur, inſtitutus eſt ſermo, deque ipſo diſputandum.
Nam qui 2 rex legitimus nominatur, is, vt diximus, ſpeciem regni 2.
non conſtituit, cum in omnibus rebus publicis dux belli perpe-
tuus eſſe queat, vt in ſtatu populari, & in optimatum Republi-
ca: Et 3 multi ſummam gubernationis poteſtatem vni concedunt, 3.
cuiuſmodi magiſtratus eſt 4 Epidamni, & item Opunte, cum 5 mi- 4. 5.
nore tamen poteſtate ex parte, ſed de regno, quod plenum dicitur.
Hoc autem eſt quo ſua voluntate cuncta rex moderatur, quibuſ-
dam vt vnus principatum teneat, in ciues omnes: 6 vbi ciuitas ex 6.
ſimilibus conſiſtit, præter naturam eſſe videtur. Nam 7 qui natu- 7.
ra ſimiles ſunt, hos neceſſe eſt eodem iure, eademque dignitate eſ-
ſe lege naturæ. Vt igitur corporibus perniciosum eſſet ſi cibo aut
veſte pari homines impares vterentur ſic eſt de honoribus ſtatu-
endum. Eodem igitur modo præter ius naturæ fuerit, vt paribus
impar tribuatur. Itaque pares vt imperio non præſint, magis quàm
ſubſint, ſed ſit inter eos imperandi & parendi viciſſitudo, iuſtum
eſt. 8. hoc autem iam lex eſt, cum ordo lex ſit. Præſtat igitur le- 8.
gem dominari, quàm vnum quempiam ex ciuibus: eademque ra-
tione ſi quos imperare ſatius eſt, hi legum cuſtodes & adminiſtri
conſtituendi ſunt. Nam magiſtratus quoſdam eſſe neceſſe eſt:
vt autem hic vnus ſit, cum omnes ſimiles habeantur, iuſtum eſſe
negant. Cæterum quæ conſtituere lex non poſſe videtur, 9 hæc 9.
ne homo quidem cognoſcere valeat. 10 Lex tamen ſcienter cum 10.
rectè hominem inſtituerit, magiſtratibus iuſtiſſimo iudicio cæte-
ra iudicanda & adminiſtranda relinquit, tradita præterea facultate,
ſi quid rerum vſus præſentibus legibus commodius oſtenderit
11 corrigendi. Ergo qui legem imperare iubet, is 12 deum & leges 11. 12.
iubet imperare: qui vero hominem, 13 belluam adiungit: huic enim 13.
ſimilis eſt cupiditas: & ira magiſtratus etiam optimos viros per-
uertit. Itaque lex eſt 14 mens ſine appetentia: Exemplum enim 14.
ab artibus ſumptum mendax eſt & ineptum: non rectas eſſe cura-
tiones, quæ ex medicinæ ſcriptis præceptis fiant, commodius eſſe ar-
tem habentibus vti: Nam medici nihil amore ducti præter ratione
faciunt, ſed cum ægrotantes ſanitati reſtituerint, mercedem ca-
piunt. At in ciuilibus imperijs multa ſolent homines odio aut gra-

tiæ in-

tiæ indulgentes facere: nam ſi medici in ſuſpicionem venirent, eos
muneribus ab hoſtibus corruptos pro ſalute mortem afferre : tunc
homines curationem ex præceptis ſcriptis præoptarent. Cæterum
15. medici cum ipſi ęgrotant, alios medicos ad ſui curationem:& 15 ex-
ercitatores cum ipſi exercentur, alios eius generis artifices vocant,
velut ipſi verum iudicare nequeant, propterea quòd de ſuis rebus
iudicant,& affectibus tenentur. Quo intelligitur, qui iuſtum quæ-
16. 17. runt, hos medium inquirere.16 Lex enim medium eſt. Præterea 17
leges, quæ moribus quàm quæ literis continentur, maiorem aucto-
ritatem habent,& de rebus grauioribus ſunt. Tutius eſt igitur ho-
minis quàm legum ſcriptarum imperium, non tamen quàm legũ
quæ moribus conſiſtunt. Sed cum ab vno cuncta prouideri non fa-
cilè ſit. Plures eſſe magiſtratus oportebit ab ipſo conſtitutos. quod
18. cum ita ſit, quid intereſt, vtrũ hoc ſtatim 18 ab initio fiat, an vt ab il-
lo vno ad eundem modum conſtituantur ? Adhæc ſi quemadmo-
dum ſuprà diximus, idcirco iuſtum eſt, vt viro probo deferatur im-
perium, quoniam melior eſt : vtique duo viri probi meliores vno
19. ſunt: hoc eſt enim 19 illud Homericum:

Aſt duo congreſſi,

Et huc pertinet optatum illud, atque preces Agamemnonis.

20. 20 *Conſilio tales mihi ſi bis quinque fuiſſent.*

Sunt autem hoc quoque tempore magiſtratus, qui de rebus quibuſ-
dam arbitratu ſuo iudicant, vt iudex de ijs quæ lege definiri neque-
unt, vt lex non optimè imperare, ac iudicare poſſe videatur : nam
21. quæ conſtituere lex poteſt, 21 de his ambigit nemo. Sed quoniam
res quaſdam leges complecti poſſunt, quaſdam non poſſunt: hinc
controuerſia & dubitatio naſcitur, vtrum optimarum legum, an o-
ptimi viri imperio ciuitatem adminiſtrari præſtet : nam de quibus
22. rebus deliberatur, 22 hæ ſunt de quibus leges ferri non poſſunt: non
eſt igitur dubium, quin hominem eſſe neceſſe ſit, qui de rebus hu-
iuſmodi iudicium ferat. Sed illud quæritur, vnus eſſe debeat an plu-
res: magiſtratus enim quiſque edoctus à lege rectè iudicat:ſed in-
credibile fortaſſe videatur, quemquam melius videre duobus ocu-
lis,& duabus auribus iudicando,& duobus pedibus, duabuſque ma-
nibus agendo, quàm multos multis. Nam principes ac reges nunc
23. quoque multos ſibi oculos, multas aures, multas item manus atq;
pedes faciunt: quoniam qui 23 præſenti ſtatu contenti, & ipſorum
amici ſunt, hos imperij participes efficiunt : non igitur qui ab im-
perio &

perio & principe alienos animos gerunt, hi ex principis voluntate facient, ſed amici: 24 amicus aũt par eſt, & ſimilis. Quod ſi principis 24. iudicio hi quoque ſunt imperio digni, eiuſdem profecto ſententia pares & ſimiles imperare oportet eodem modo. Atque hæc quidẽ ferè ſunt quibus regiũ imperium à diſſentientibus oppugnatur: ſed fortaſſis in quibuſdam ita ſeſe res habet, in quibuſdam ſecus: Natura enim quoddam hominum genus procliue eſt, 25 vt imperio 25. herili gubernetur, aliud vt regio, aliud vt ciuili: & horum imperiorum cuiuſque aliud eſt ius & alia commoditas. Tyrannicum autem imperium, ac cæteræ Rerumpublicarum aberrationes, 26 non 26. ſunt ſecundum naturam, cum hæc abhorreant à natura. Sed ex his, quæ diximus, planè intelligitur, non eſſe neque commodum, neque iuſtum, vt inter ſimiles & pares vnus omnibus dominetur: ſiue leges nullæ ſint, & ſit ipſe tanquam lex, ſiue leges adſint: nec bonus bonis, nec improbus malis: non ſi ille ſit virtute præſtantior, 27 præterquam certo modo. Qui modus quamquam ſuprà fuit ex 27. parte declaratus, latius tamen exponendus eſt, ſi prius qui homines regio, qui optimatum, qui Reip. imperio gubernari apti ſint, explicuerimus. Hæc igitur multitudo regno eſt accommodata, quæ natura eſt habilis vt ferat genus virtute præſtans ad ciuilem principatum: optimatum verò imperio, quæ nata eſt & apta, vt ferat imperantem multitudinem, poſſitque 28 ingenuorum imperio 28. ab his qui virtute excellunt, gubernari: ad imperium ciuile multitudo Reip. conueniens eſt, in qua effici natura poteſt, vna multitudo bellica, quæ parere, & viciſſim imperare queat, per legem qua pro dignitate diuitibus magiſtratus mandantur. Si quod igitur genus totum, aut vir vnus ſingularis virtute tantopere præſtet, vt virtus eius ſit omnium aliorum virtute maior, tunc iuſtum fuerit, vt genus hoc regium ſit, & hic vnus regno cum ſumma rerum omnium poteſtate, potiatur. quod fiet, vt ſuprà diximus, non ſolum eo iure, quod rerum publicarum conditores præferre ſolent, qui optimatum imperium, quique paucorum potentiam, & qui viciſſim popularem principatum inſtituunt, qui omnes pro ratione præſtantiæ cenſent imperium eſſe deferendum, 29 quamuis alij aliam 29. excellentiam, vt memoratum eſt, ſequantur, ſed ea quoque ratione: quia non decet vt vir talis morte aut exilio afficiatur, aut per oſtraciſmum exterminetur, nec vt viciſſim aliquando pareat natura, quæ partem toti præferri non ſinit, repugnante: quod accideret ei,

ret ei ſi quis ea, virtutis magnitudine cæteris antecederet. Supereſt
igitur modo, vt huic cæteri pareant,& idem non viciſſim, ſed ſim-
pliciter dominetur. Ac de regno quidem hactenus,cuius differenti-
as explicuimus,& vtrum incommodum ſit ciuitatibus regium im-
perium,an vtile,& quibus,& quomodo, declarauimus.Sed cum re-
ctas Reſp. tres eſſe ſtatuamus, quarum eam optimam eſſe neceſſe
30. eſt, in qua vel 30 *Vnus* vir omnibus, vel totum genus, aut multitu-
do virtute præſtat, & bene beateque viuendi gratia, hi parendi, illi
imperandi facultatem habent.Cumque boni viri, & ciuitatis opti-
mæ ciuis neceſſariò eandem eſſe virtutem ſit ſuprà declaratum,
dubitari non poteſt,quin eodem modo,& per eaſdem res,vir pro-
bus fiat, & ciuitas conſtituatur,quæ vel optimatum adminiſtratio
31. ne, vel regio imperio gubernetur. Itaque 31 eadem erit educatio,
iidem ferè mores, qui virum probum faciant, quique facultatem
præbeant, tum ad Remp. tum ad regnum moderandum. Qui-
bus rebus conſtitutis,ſequitur vt de optima R ep. quomodo fieri &
conſtitui quodammodo apta ſit,ediſſeramus:de hac enim hoc in lo
co neceſſe eſt,vt res poſcit diſputare.

Scholia in Caput XII.

1 VERVNTAMEN nobis nunc de rege, qui omnia ſuo arbitra-
tu. *De regno quod plenum nominatur, græcè autem παμβασιλεία, hoc loco
diſputandum eſt : nam cætera non propriè dicuntur regna, vbi princeps non
habet ſummam rerum omnium poteſtatem. Quæritur ergo ſit nec ne iuſtum
regium imperium, de quo in vtranq; partem diſputatur : nam vbi multi ſunt
virtute pares, iniuſtum eſſe videtur. Cur enim hic potius quàm quiuis æ-
qualis imperium teneat? cum paribus imparia tribuere lege naturæ prohi-
beatur. itaque iuſtior eſſe videtur imperandi viciſsitudo, vtq; leges quate-
nus fieri poſsit, dominentur. Sed vbi lex deficit, iuſtius eſſe, vt multi, quàm vt
vnus teneat imperium: de quo dum diſſeritur, quædam ſcitu pulcherrima de
natura legum traduntur, quarum quæ moribus continentur, his maiorem au-
ctoritatem ineſſe dicit, quàm ſcriptis, quæ ſcripta cum deficiunt, melius à
multis quàm ab vno quid ſtatuere oppoteat, conſideratur: quod princeps ipſe
declarat, qui multos ex amicis adhibet ad res dubias ſtatuendas: ſed contrà
videtur pro natura hominum imperia eſſe ſtatuenda, quorum vt quidam
ſunt apti, vt ciuili imperio gubernentur, ſic alij vt regio : deniq; ſi quis homo
ſingularis, aut genus aliquod tantopere virtute præſtet, vt eius virtus maior
ſit cæ-*

ſit cæterorum omnium virtute,hunc iuſtum eſſe tradit, vt in cæteros omnes imperium teneat.

2 Rex legitimus nominatur. *Qui rem gerit non ſuo arbitratu, ſed ex proſcripto legum.*

3 Multi tribuunt vni ſummam gubernationis poteſtatem. *Ad tempus ſcilicet liberam,vel perpetuam, ſed ad legum præſcriptum, cum cætera ſint vel Senatus, vel populi conſilio ſtatuenda, vt Veneti ſummum magiſtratum habent,quem Ducem appellant,& item Genuenſes*

4 Epidamni & Opunte. *Epidamnum oppidum eſt in ora Macedoniæ,quo fuit Colonia ciuium Romanorum poſtea deducta, nomine, quod inauſpicatum videbatur,in Dyrrhachium mutato.Opus oppidum eſt in Locris Epicnemidijs cognominatum,vnde Opuntinus ſinus.*

5 Minore tamen ex parte. *Nam ſummus ille magiſtratus paucíorum rerum ſummam poteſtatem habebant apud Opuntinos,quàm Epidamni.*

6 Vbi ciuitas ex ſimilibus conſiſtit. *Vbi cæteri ciues ſimiles ſunt,regiq́, virtute pares.*

7 Qui natura ſimiles ſunt *Virtutibus naturalibus pares.*

8 Hoc autem iam eſt lex. *Vt ciues viciſsim modò teneant imperium, modò pareant.*

9 Hæc ne homo quidem cognoſcere valeat. *Lex enim cum vniuerſalis quædam ratio ſit, de ſingulis conſtituere non poteſt:quæ ſingularia, ne homo quidem,id eſt legumlator, ratione complecti poteſt:nam ſingularia infinita ſunt,& non poſſunt ſcientia contineri,primo Rhetoricorum:nec in in artem ſiue præcepta cadunt, Ethicorum ij.*

10 Lex tamen ſcienter. *Id eſt legiſlator,cum legem ſtatuit,quæ magiſtratum doceat, quod magna ex parte iuſtum ſit:intelligit quidem aliqua fore ſingularia,in quibus lex illa ſeruari non debeat,de quibus per legem vniuerſalem prouideri non poteſt.Scienter tamen, hoc eſt non per ignorantiam,ſed quia fieri aliter non poteſt : reliqua, quæ ſcilicet ſunt extra legis rationem, magiſtratibus ſeu principibus diſcernenda,& conſtituenda relinquit. Nam lex,vt ipſe tradit Ethicorum quinto,quod magna ex parte ſit,complectitur: nec peccatum ſiue defectum ignorat,& nihilominus eſt recta,quia peccatum non eſt in lege,nec in legiſlatore, ſed in natura rerum : talis eſt enim natura rerum agendarum,quæ tamen lex hominem inſtituit,atque docet,dum quid magna ex parte fieri oporteat, & quid plerunq́, iuſtum ſit,& cuncta eſſe ad bonum publicum referenda declarat.*

11 Corrigendi. *Legem corrigere dupliciter accidit,per abrogationem,dum prior antiquatur,& altera cõmodior conſtituitur,quod ſine maxima & ma-*

nifeſta ratione & commoditate fieri non debet, vt ipſe docuit lib. ij. vel per decretum, cum ſalua lege aliquid à principe vel Repub. iuſtis ſeu æquis ex cauſis præter legem decernitur, quod ſæpe neceſſarium eſt, de quo ſic diſſerit Ethicorum quinto, Cum lex, *inquit,* vniuerſaliter præcipit, & aliquid accidit in his rebus prçter vniuerſale, id quod deficit corrigendum eſt, quod ipſe legiſlator, ſi adeſſet, corrigendum eſſe diceret, & ſi cognouiſſet, ſtatuiſſet.

12 Deum & leges *Rationem & leges: Deus enim ſumma ratio eſt ſine appetentia, quippe in quem non cadit affectus, quare nec habet virtutes, ſed quiddam præſtantius, ſeptimo Ethicorum: nec indiget virtutibus moralibus, quæ in temperandis affectibus verſantur, Ethicorum decimo. vnde idem Ariſtoteles in libro de mundo ad Alexandrum:* Deus, *inquit,* eſt lex æquabiliter in nos fuſa, nec correctionem, nec mutationem vllam recipiens.

13 Belluam adiungit. *Propter appetitum, quò belluis ſunt homines ſimiles.*

14 Mens ſine appetentia. *Tanquam ratio non impedita ſollicitante appetitu: appetentia, ſiue appetitus, quòd græcè eſt ὄρεξις, cupiditatem & iram complectitur, quæ græcè ſunt ἐπιθυμία, & θυμὸς, quam iram idcirco dicit viros etiam optimos peruertere, quia ira ſæpe accidit ſine vitio, & magis naturalis eſt quàm voluptatum exuperantia, & minus eſt turpis quàm voluptas, cum ſcilicet ineſt turpitudo, quia qui per libidinem agit, gaudet: qui verò per iram, dolet. Ethicorum ſeptimo.*

15 Exercitatores. *Qui adoleſcentes palæſtris & talibus certaminibus exercent.*

17 Lex enim medium eſt. *Quia lex eſt quaſi menſura iuſtitiæ. Iuſtitia verò, vt ipſe tradit Ethicorum quinto, medium eſt inter afficere iniuria & affici, quoniam alterum eſt habere plus iuſto, alterum minus: ipſa verò iuſtitia mediocritas eſt.*

17 Leges quæ moribus conſiſtunt, maiorem auctoritatem habent. *Quia ſunt firmatæ populi conſenſu & approbatione, vel potius leges naturæ deſignat, quibus ius ipſum maximè continetur, de quo ſic ipſe ſcripſit in rhetorica ad Alexan.* Ius, *inquit,* eſt cunctorum aut plurimorum hominum mos non ſcriptus, honeſta & turpia diſcernens, *tum poſitis quibuſdam exemplis.* hæc, *inquit,* ſtatim lege non ſcripta, ſed communi conſtituuntur. *Nam leges naturæ leges communes ſolent ab Ariſtotele vocari, quippe cum ſint cunctis gentibus communes.*

18 Ab initio fiat. *In ipſa Reipub. inſtitutione.*

19 Illud

19 Illud Homericum, Aſt duo congreſsi. *Ex decimo libro Iliados ſumptum eſt: ſunt autem Diomedis verba, qui cum negotium hoſtilia caſtra ſubeundi explorandi gratia ſuſcepiſſet, in procerum concilio ſocium ſibi dari poſtulauit. Nā duo, inquit ſimul procedentes plus habent & animi & conſilij.*

20 Conſilio tales. *Ex ſecundo Iliados. Verba ſunt regis Agamemnonis ad Neſtorem, cui decem ſimiles conſiliarios optabat: quod ſi contigiſſet, non dubitabat ſe facilè poſſe Troiam expugnare.*

21 De his nemo ambigit. *Cum lex eſt manifeſta, nec deficit ratio legis.*

22 Hæ ſunt, de quibus leges ferri non poſſunt. *Singularia ſcilicet quæ nec in artem nec in ſcientiam cadunt.*

23 Præſenti ſtatu contenti. *Qui præſentem ſtatum Reipub. probant, & ſunt principis amici.*

24 Amicus par eſt, & ſimilis. *Amicitia enim eſt æqualitas quædam & ſimilitudo, Ethicorum octauo.*

25 Vt imperio herili gubernetur. *vt barbari & natura ſerui.*

26 Non ſunt ſecundum naturam. *Adhibent enim in homines naturali'e os, imperium herile, quod in ſeruos conuenit, cum ad imperantium, non ad parentium commoditatem imperent.*

27 Præterquam certo modo. *Si vnus cæteros omnes ſimul virtute & prudentia ſuperet.*

28 Ingenuorum imperio. *Liberis hominibus conueniente, ad commoditatem ſubiectorum potiſſimum ſpectante.*

29 Quanuis alij aliam excellentiam dicant. *Alij enim diuitiarum, alij generis, alij virtutis præſtantia nituntur: iure igitur præſtantia huic regnum eſt deferendum: & item illo iure, quia non decet vt vir talis morte aut exilio afficiatur, nec vt per vices aliquando ſit imperio ſubiectus, quod eſſet partem toti præficere: nam quicunque alius imperaret huic, eſſet quaſi huius pars, quoniam eius virtus cum huius ſummi viri virtute comparata, pars eius eſſet, & quidem parua.*

30 Vnus. *Suffragio delectus, ipſius virtutibus ſpectatis: vel totum genus, cum ex vna familia ortis hominibus iure hereditario regnum defertur.*

31 Eadem erit educatio. *Vt iuſtis honeſtiſque rebus ad ſummam omnis generis virtutum homines & ciues aſſueſcant, vt habitum nacti, talibus rebus oblectentur, libēterque virtutibus fungantur, in quarum vſu felicitas conſiſtit, quæ in hac vita poteſt mortalibus contingere.*

ARISTOTELIS DE REPVBLICA LIBER QVARTVS,

Interprete & enarratore
IOANNE GENESIO SEPVLVEDA
CORDVBENSI.

CAP VT I.

IN cunctis artibus atque ſcientijs perfectis, quæ 2 non in parte, ſed in toto aliquo genere verſantur, vnius & eiuſdem munus eſt, quid cuiq; generi congruat, conſiderare. Vt in exercitatione corporis, quæ cui conueniat, &
3. quæ ſit omnium optima, (Nam 3 qui eſt optimè naturalibus adiumentis inſtructus, huic neceſſe eſt vt optima exercitatio conueniat.) & quæ exercitatio vna ſit, pleriſque omnibus corporibus accom-
4. modata. 4 Nam & hoc officium eſt artis gymnaſticæ. Præterea
5. 5 ſiquis non ad iuſtam rationem habitum aut ſcientiam eorum quæ pertinent ad palæſtram, deſideret: tamen nihilominus qui pueros inſtituit, exercendique magiſter, debet hanc facultatem comparare. Eodemque modo in medicina, & naues ædificandi, ac veſtes conficiendi, cæteriſque artibus fieri notamus. Quo intelligitur, ad eandem diſciplinam pertinere, quæ ſit optima Reip. forma
6. videre, & qualis eſſet maximè optanda, 6 ſi nulla re extrinſecus impediretur, & quæ quibus conueniat, conſiderare. Multi enim ſunt qui forſitan optimæ Reipublicæ compotes eſſe non poſſunt. Itaque legum lator, & qui ciuili facultate verè pollet, tum quæ Reipublicæ forma ſimpliciter optima ſit, tum quæ ſit optima pro ra-
7. tione rerum ſuppetentium, nouiſſe debet. Deinde tertio loco, 7 quæ ſit ſuppoſitioni maximè conſentanea. Nam facultate prædi-
8. ditũ eſſe oportet intelligendi, 8 data reſp. quomodo cõſtitui ab initio poſſit, & qua ratione poſtquã fuerit cõſtituta, diutiſſimè cõſer-
9. uari 9 vt ſiqua ciuitas ſit, quæ nõ optima ratione gubernetur, rebus neceſſa-

neceſſarijs non ſuppetentibus, nec in eam Reip. formam, in quam
ex rebus ſuppetentibus poſſet, ſed in aliam deteriorem conſtituta
ſit: & adhęc omnia nota eſſe debet Reipublicæ ratio, quæ 10 cunctis 10.
ciuitatibus maximè conueniat. Nam pleriſque eorum qui de Re-
publica conſcripſere, cum alia rectè tradant, tamen 11 à rebus com- 11.
modis aberrant. Nec enim ſolum Reſp. quæ optima ſit conſiderari
debet, ſed etiam quæ conſtitui poſſit: præterea quæ facilior, & 12 12.
cunctis ciuitatibus communior habeatur. Nunc autem quidam 13 13.
ſummam Rempublicam & quæ multis indigeat adiumentis quæ-
runt. Alij 14 de communi quadam potius diſſerentes, damnatis 14.
quæ nunc exſtant, Laconicam, aut aliam quampiam probant, ac
laudibus efferunt. Oportet autem eum ordinem inducere, 15 quem 15.
ex ſuppetentibus facilè homines adducantur, & poſſint in publicũ
vſum admittere, quoniam non minus negotij eſt rempublicam e-
mendare, quàm ab initio conſtituere: vt dedoceri nihilo facilius
eſt, quàm à principio diſcere. Igitur præter ea quæ dicta ſunt, ciui-
lis hominis eſt, vt facultatem habeat rebus publicis, quę nunc in vſu
ſunt, vt ſuprà diximus opitulandi: quod facere non poteſt, ſi quis
quod genera Reipublicæ ſint, ignoret. Nunc autẽ 16 ſtatum popula- 16.
rem vnum eſſe quidam falſo exiſtimant, & vnam paucorum po-
tentiam. Itaque diſcrimina quibus inter ſe Reſpublicæ differunt,
& quod modis componantur, non decet ignorare: & cum hac i-
pſa prudentia leges optimas, & quæ cuiquæ Reipublicæ conueni-
ant, nouiſſe oportet. Nam leges ad Reſpub. accommodari debent,
& ab omnibus accommodantur, non ad leges Reſpublicæ. Eſt e-
nim Reſpublica ordo magiſtratuum in ciuitatibus, 17 quomodo 17.
diſtributi ſint, & penes quem ſit ſumma Reipublicæ poteſtas, &
quis finis cuiuſque communitatis ſtatuatur. 18 Leges autem ſeiun- 18.
ctæ ſunt ab ijs quæ Rempublicam declarant, 19 ad quarum legum 19.
præſcripta magiſtratus ſuis muneribus fungi debent, & ne ab alijs
violetur cauere. Quo intelligitur oportere etiam ad leges ferendas,
vt diſcrimina & numerus cuiuſque Reipublicæ teneantur: non e-
nim poſſunt eædem leges rebus publicis omnibus quæ paucorum
imperio gubernantur, nec omni ſtatui populari conueni-
re: ſi multiplex eſt, non ſimplex ſtatus popularis,
& item paucorum dominatus.

Scholia in Caput I.

1 IN cunctis artibus atque ſcientijs perfectis,quæ non in parte. *Doctrinarum & artium exemplo,declarat ad ciuilem doctrinam pertinere,vt doceat non ſolum quæ ſit omnium optima Reipublicæ forma , ſed etiam quæ quibus hominibus maximè conueniat. Sunt enim quædam ciuitates, quæ & ſi maximè velint,vti tamen optima Reipublicæ forma ſiue ſtatu non poſſunt, rebus ſcilicet ad optimam Rempublicam neceſſarijs non ſuppetentibus : tali ergo ciuitati , quæ Reſpublica conueniat , ſtatuere officium eſt hominis ciuili facultate pollentis. Præterea nouiſſe debet quæcunq; Reſpublica fuerit propoſita,exempli gratia,popularis,vel paucorum potentia, quomodo ea inſtitui debeat ab initio,& qua ratione,& quibus legibus gubernari. Item quæ ſit omnium communiſſima ratio,id eſt,quæ plurimis ciuitatibus conuenire poſſit. Adhæc cuiuſq; generis Reipublicæ partes, ſeu ſpecies quod ſint , & quæ leges cuique Reipublicæ conueniant.*

2 Non in parte,ſed in toto aliquo genere verſantur. *Qui pila duntaxat exercere nouit, non etiam palæſtra, & cæteris id genus ludis,is in parte gymnaſticæ artis verſatur,non in toto genere:ac eodem modo qui vni duntaxat morbi generi medetur , vt morbo Gallico,is non in arte perfecta medicinæ,ſed in parte verſatur.*

3 Qui eſt optimè naturalibus adiumentis inſtructus *Qui valetudine,robore corporis ac velocitate valet.*

4 Nam & hoc officium eſt artis gymnaſticæ. *Vt nouerit quæ ratio exercendi ſit omnium maximè communis,id eſt quæ pleriſque conueniat.*

5 Si quis non ad iuſtam rationem . *Iuſta ratio dicitur, quæ eſt in ſuo genere perfecta,vt iuſta magnitudo epiſtolæ,vel orationis dicitur , quæ non minor eſt iuſto,& conueniente modo,ſed nec maior quidem : ſunt enim quidam,quorum tenuior valetudo,& virium imbecillitas non patitur optimam exercendi rationem,vt in arte medicina,pro diuerſitate corporum atq; virium medicamenta & curandi rationes adhibentur.*

6 Si nulla re extrinſecus impediretur. *Vt natura hominum,& regionis:vt ſi homines ſint natura ſerui,aut ſi non ſuppetant neceſſaria ad liberaliter,& ex virtute degendum:nam hæc omnia extra rationem Reipub.ſunt, quæ tamen vel adiuuant,vel impediunt.*

7 Quæ ſit poſitioni maximè conſentanea. *Pini propoſito conueniens,vt ſi propoſitum ſit Rempublicam popularem conſtituere,aut conſtitutam conſeruare.*

8 Data Reſpub. *Quæcunque Reſpublica proponatur:quæ phraſis eſt mathema-*

thematicis familiariſsima, vt datum angulum per æqualia ſecare, triangulum æquilaterum ſuprà datam lineam rectam collocare: quæ ſunt theoremata ix. & i. propoſitionis primi elementorum.

9 Vt ſi qua ciuitas *Explicat duos modos, quibus poteſt eſſe incommoda & imperfecta Reſpublica: quorum alter eſt cum inopia rerum neceſſariarum ciuitas optimam Reipub. formam habere non poteſt: alter cum deteriorem habet, quàm pro ratione rerum ſuppetentium: & vtriq; mala ſubueniendi facultate præditum eſſe oportere dicit hominem ciuilem, vt poſſit diu Reſpublica conſeruari.*

10 Cunctis ciuitatibus maximè conueniat. *Id eſt maxima ex parte, hoc eſt, quæ forma pleriſque conueniat.*

11 A rebus vtilibus aberrant. *Quæ optima eſſent & pulcherrima, docent: ſed cùm ea non ſint tali ciuitati accommodata propter inopiam rerum quæ ſunt ad optimum illum ſtatum Reipublicæ, de quo ipſi diſputant, neceſſaria, errant in eo, quòd ciuitati nec commodum, nec conuenientem formam Reipublicæ tradunt.*

12 Cunctis ciuitatibus communior. *In eundem ſenſum dictum eſt hoc, atq; illud modo à nobis explicatum, quæ cunctis ciuitatibus maximè conueniat.*

13 Summam Rempub. quærunt. *Quæ ſit omnium optima.*

14 De communi quadam. *Quæ plurimis accommodari & conuenire poſſit. Laconicam, aut aliam quampiam probant. Thibronem deſignare videtur, à quo lib. ſeptimo Lycurgum laudari ſolitum fuiſſe memorat, qui tam bonis inſtitutis & legibus Remp. Lacedæmoniorum conſtituiſſet.*

15 Quem ex ſuppetentibus. *Eum, inquit, ordinem ſeu formam Reip. oportet ad incommoda Reip. iam conſtituta opitulandum afferre, qui ordo non multum ab iis ordinibus & inſtitutis, quibus ciuitas vtitur, abhorreat, vt homines facilè vt eum recipiant, adducantur, & item, vt recipiendi facultas adſit.*

16 Statum popularem vnum eſſe. *Vno duntaxat genere ſtatum popularem contineri, cum tamen ſint multa genera ſiue ſpecies ſtatus popularis, & item paucorum potentia.*

17 Quomodo diſtributi ſunt, & penes quem eſt. *His verbis quid ordinem magiſtratuum vocet, declarat. Nam pro differentia tum eorum quibus magiſtratus mandentur, præſertim quorum arbitrio ciuitas gubernatur, tum finis, ſunt varia Reipublicæ genera. Vt reſpublica optimatum hoc à paucorum potentia differt, quòd in hac ſummi magiſtratus diuitibus mandantur, & penes hos eſt ſumma poteſtas, & finis eſt priuata paucorum commoditas. In*

Republica optimatum, optimi quique tenent imperij ſummam, & maximos magiſtratus in publicam vtilitatem gerunt. Nam bonum publicum in hac eſt finis, quo tota gubernatio refertur, quanquam hac finis ratio rebuſp. omnibus rectis eſt communis, vt ad bonum publicum tota moderatio dirigatur.

18 Leges autem ſeiunctæ ſunt ab ijs, quæ Rempub. declarant. *Leges non declarantur, ſeu definiuntur, ijs verbis quibus Reſpub. definitur, id eſt alia eſt legis, alia Reipub. definitio.*

19 Ad quarum legum præſcripta. *Magiſtratus in adminiſtranda Repub. legum præcepta ſeruare, & vt ab alijs ſeruentur, curare debent.*

CAPVT II.

1. 1 SED in libro ſuperiore cum de Reipub. formis ac diſcriminibus ageremus, tres rectas eſſe Reſpublicas declarauimus. Regnum, Optimatum adminiſtrationem, & Rempublicam: & tres harum digreſſiones ſiue aberrationes, tyrannidem, quæ à regno degenerat: paucorum dominatum, qui ab optimatum imperio: ſtatum popularem, qui à Republica. Ex quibus de optimatum adminiſtratione, & regno diſſeruimus. Nam de optimo ſtatu Reipu-
2. blicæ diſſerere, nihil eſt aliud 2 quàm de his nominibus diſputare:
3. 4. quoniam 3 vtraq; debet 4 ſecundum virtutem copia rerum neceſſariarum & commodarum inſtructam conſtitui. Expoſuimus etiam ſuprà quid inter optimatum imperium, atque regnum interſit, & quando regnum eſſe cenſeri debeat. Sequitur vt de Republica, quæ communi vocabulo nominatur, ac de cæteris Reipublicæ formis, paucorum dominatu, ſtatu populari, & tyrannide diſſeramus. Harum igitur digreſſionum quæ peſſima ſit, quæ ſecundo loco vituperetur, perſpicuum eſt. Nam quæ à prima & maximè diuina degenerat, hanc eſſe deterrimam neceſſe eſt. Regnum verò aut nomine tenus regnum eſt, non autem re: aut propter magnam regnantis præſtantiam regnum eſſe neceſſarium eſt: ac proinde ty-
5. rannidem, cũ ſit deterrima, 5 plurimum abeſſe à Reip. ratione: proximè ab hac paucorum dominatum, quippe à quo longiſſimè optimatum adminiſtratio abeſt: ſtatum vero popularem, ex omni-
6. 7. bus maximè 6 mediocritatem tenere: 7 quod quidam etiam prodi-
8. dit ante nos, 8 ſed aliorſum ſpectans, quoniam ille ſic ſtatuit, omnium bonarũ Rerumpub peſſimũ eſſe ſtatum popularem, id eſt optimam paucorum potentiam, & alijs peiorem, improbarum verò optimum

primum. Nos autem has prorſus velut peccata quædam eſſe dicimus Rerumpub. Itaque paucorum potentiam aliam alia meliorem eſſe non rectè dicitur, ſed minus malam. Hoc tamen in loco hac omiſſa quæſtione, explicandum nobis eſt, primùm quod ſunt Rerumpub. differentiæ: ſi quidem plura ſunt ſtatus popularis genera, & item paucorum potentiæ: deinde quæ ſit maximè communis & 9 ſecundum optimam maximè expetenda Reipublicæ ratio, & 9.
10 ſi qua eſt alia optimatum Reſpub. & rectè conſtituta, quæ tamen 10.
ſit, quæ plurimis ciuitatib. conueniat, tum ex alijs, quæ quibus ſit expetenda. Nam fortaſſe quibuſdam ſtatus popularis 11 eſt magis ne- 11.
ceſſarius, quàm paucorum potentia, alijs e diuerſò. Præterea quomodo debeat, ſi quis velit has reſpublicas conſtituere, ſtatus dico populares, per ſingula genera, rurſuſque paucorum potentias, poſtremo cum breuiter de his omnibus, quatenus licebit, breui memorauerimus, 12 quæ res interitum afferant, & quæ viciſſim rebus 12.
publicis ſint ſalutares, tum communiter, tum etiam per ſingula genera, & quæ ſint interitus, atque ſalutis earum potiſſimè cauſæ, explicare tentabimus.

Scholia in Caput. II.

1 SED in libro ſuperiore cum de Reipublicæ formis ac diſcriminibus ageremus *Commemoratis breui epilogo ijs de quibus iij. libro diſputatum fuit, deinceps diſſerendum eſſe ait de Repub. communi vocabulo nuncupata, & de Rebuſp. deprauatis, ex quibus tyrannidem cunctarum peſſimam eſſe dicit, propterea quod ab optima Repub. hoc eſt à Regno deſciuerit: proximè à tyrannide paucorum potentiam in vitio eſſe, quia longiſsimè diſtat ab optimatum Repub. Rempub. verò popularem in malis medium tenere, id eſt eſſe mediocriter & toleranter malam, quia eſt oppoſita Reipub. communi vocabulo dictæ, quæ vltimum locum tenet inter rectas.*

2 Quàm de his nominibus diſputare. *De rebus quæ his nominibus regno, & optimatum Repub. ſignificantur.*

3 Vtraque conſtitui debet. *Vtrunq; genus Reipub. regnum, & optimatum imperium.*

4 Secundum virtutem copia rerum neceſſariarum, & commodarum inſtructam. *Quia tum in regno deferendo in priore, tum in mandandis magiſtratib. in poſteriore genere Reipub. virtutis potiſſimum eſt habenda ratio, quæ tamen virtus ſit rerum neceſſariarum & commodarum adminicu-*

bus fulta: felicitas enim in vſu virtutis ſic inſtructæ poſita eſt, vt ipſe Ethic. x. declarat.

5 Plurimùm abeſſe à Reipub. ratione. *Quia tyrannica adminiſtratio non ſolùm eſt omnium peſſima, ſed vix poteſt inter Reſpub. etiam deprauatas numerari, vt ipſe docet libro quinto.*

6 Mediocritatem tenere. *Non quòd ſtatus popularis ſit recta Reſpub. ſed quia eſt malorum maximè tolerabilis, vel quia eſt in confinio rectarum & prauarum Rerumpub. quoniam, vt ait Plato, nec magnum bonum, nec magnum malum habet.*

7 Quod quidam etiam prodidit ante nos. *Platonem deſignat in libro qui ciuilis inſcribitur, ſiue de regno.*

8 Sed aliorſum ſpectans. *Quoniam Ariſtoteles idcirco ſtatum popularem mediocritatem tenere dicit, quia mediocre malum eſt, & cæteris tolerantius: Plato, quia velut in confinio poſuit rectorum & deprauatorum generum Reipub. Nam popularem Rempub. bonarum peſſimam, malarum optimam eſſe dixit, quod perperam traditum eſſe Ariſtoteles ait, quoniam ex prauis Rebuſpub. non licet aliam alia meliorem eſſe dicere, ſed minus malam. Nam ſi alia melior eſt alia, efficitur vt vtraq; ſit bona, ſed non æquè bona.*

9 Secundum optimam maximè expetenda. *Poſt optimam maximè deligenda.*

10 Si qua eſt alia optimatum Reſpub. *Si non vnum, ſed plura ſunt optimatum Reipub. genera.*

11 Eſt magis neceſſarius. *Magis conueniens pro ratione rerum ſuppetentium.*

12 Quæ res interitum afferant. *Quibus rebus Reſpublicæ pereant, & quibus conſeruentur.*

CAPVT III.

1\. 1 VT ſint igitur complures Reſpub. cauſa eſt, quòd partes cuiuſq; ciuitatis complures numero ſunt. Nam primùm ciuitates omnes ex domibus conflatas eſſe videmus, deinde ex hac multitudine, alios diuites eſſe neceſſe eſt, alios egenos, quoſdam verò medios: tum ex diuitibus & pauperibus partem eſſe armatam, partem inermem: &
2\. plebem aliam ex agricolis conſtare notamus, 2 aliam ex forenſibus, aliam ex opificibus. Sunt etiam nobilium diſcrimina, ex diuitijs &
3\. magnitudine fortunarum: exempli gratia, equorum alendorum, 3 quod facere niſi diuites nulli poſſunt. Quamobrem antiquitus ciuitates

tates,quarum erat in equitatu robur,omnes paucorum arbitrio adminiſtrabantur:equis auté vtebantur in vicinos hoſtes,4 vt Eretrienſes & Chalcidenſes, & Mæandri fluminis accolæ, Magneſij, & præterea multi Aſiatici populi. Item, præter diuitiarum diſcrimina,eſt alia differentia ex genere,alia ex virtute 5 & ſi quid aliud tale partem eſſe diximus ciuitatis, 6 cum de optimatum ſtatu diſſereremus : illic enim ex quot partibus neceſſarijs omnis ciuitas conſtet, explicuimus. Nam hæ partes nunc omnes Reipub. ſunt participes, nunc pauciores, interdum plures. Quo planè intelligitur neceſſariò complures eſſe Reſpublicas,quę genere diſcrepent inter ſe propterea quòd hæ ipſarum partes genere differunt. Eſt enim Reſpublica,ordo magiſtratuum,quem omnes ſpectata eorum quibus communicatur, potentia, aut 7 quadam ipſorum communi æqualitate diſtribuunt,egenorum dico,vel locupletum,aut vtriſque communi.Itaque tot eſſe Reſpublicas neceſſe eſt,quot ſunt ordines, ſecundum exceſſus,& partium diſcrimina. 8 Sed maximè videntur eſſe duæ. Nam vt ventos aiunt alios aquilonios eſſe, alios auſtrales, cæteros horum digreſſiones. Sic eſſe duo rerum publicarum genera; populum,& paucorum potentiam. Quoniam ſtatum optimatum ſpeciem eſſe paucorum potentiæ ſtatuunt, 9 tanquam ſit quædam paucorum potentia:& Rempublicam communi vocabulo nuncupatam, popularem ſtatum eſſe confirmant, vt ex ventis 10 Fauonium ad Aquilonem referunt, Vulturnum ad Auſtrum. Atque eodem modo nonnulli de concentu diſſerunt, eius eſſe duo genera, Doricè ac Phrygiè canere, 11 cæteros concentus ex his temperatos, partim Doricos appellant,partim Phrygios. Ad hunc igitur maximè modum de Reipub.rationibus diſſerere cõſueuerunt:verius tamen & commodius dictum eſt, quemadmodum ipſi diſſeruimus, ſiue duæ, ſiue vna ſit rectè conſtituta Reſpublica, cæteras eſſe digreſſiones ab optima, vt in ſonorum ratione à probè temperato concentu, 12 & quæ ſeueriores ſunt, & magis heriles ad paucorum potentiam pertinere, remiſſas verò & mitiores ad ſtatum popularem.

4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

Scholia in Caput III.

1 VT ſint igitur complures Reſpub.cauſa eſt. *Vt ſint non modò complura Reipub.genera,ſed cuiuſq; generis complures ſpecies,in cauſa eſt,quòd*

cuiuſq; ciuitatis complures ſunt partes. Alij enim diuites ſunt, alij paup eres, alij mediocres facultates habentes: quidam armati, & militares, alij inermes: item agricolæ, mercatores, opifices, mercenarij, & varia nobilium genera: quoſdam enim diuitiæ, alios genus, alios virtus, alios doctrina nobilitat. Nam cum Reſpub ſit ordo magiſtratuum, & hæ partes nunc omnes, nunc pauciores, modò plures ſint Reipub. participes, neceſſe eſt tot eſſe Reipub genera & ſpecies, quod ſunt huiuſmodi ordinis diſcrimina: quarum Rerumpub. quæcunq; à rectis diſceſſerunt, omnes ſunt, vt ſuprà dictum eſt, aberrationes, ſed ita, vt ex his ſeueriores & magis heriles ad paucorum potentiam, remiſſæ verò & mitiores ad popularem referantur.

2 Aliam ex Forenſibus. *Forenſes appellat mercatores, inſtitores, & tabernarios, vt ipſe paulò pòſt capite quarto declarabit.*

3 Quod facere niſi diuites. *Vt equos alant.*

4 Vt Eretrienſes, & Chalcidenſes. *Eretria vrbs eſt Euboeæ inſulæ, & item Chalcis, vnde Eretrienſes & Chalcidenſes. Vtriuſq; vrbis meminit Homerus. Eſt & altera Eretria in Theſſalia. Chalcidis autem nomine octo vrbes nominat Stephanus, Magneſia vrbs eſt & regio Ioniæ in Aſia, Mæandro fluminis impoſita, vnde Magneſia, ad Mæandrum cognominatur, orta, vt Plinius refert, à Theſſalica Magneſia. Mæander amnis crebris ſinuoſus flexibus, Apamenam primùm regionem, mox Eumeneticam, ac inde Bargylieticos campos, poſtremò Cariam peruagatus, non longè à Mileto exit in mare.*

5 Et ſi quid aliud tale. *Vt ex doctrina. Nobiliũ enim quatuor genera ſunt, quæ his diſcriminibus diſtinguuntur, diuitijs, genere, virtute, doctrina, vt ipſe declarat hoc eodem libro, cap iiij.*

6 Cum de optimatum ſtatu diſſereremus. *In tertio libro: ibi enim de optimatum ſtatu, ac de regno diſſerit, explicatq; partes ciuitatis, quanquam etiam in ſecũdo libro, vbi multas Reſpub. quæ optimè rationem non attingerent, refellit, ſed maximè in Platonis Remp. diſputans, memorat partes ciuitatis, & ſe de optimo ſtatu ciuitatis diſſerere profitetur, vt capite illius ſecundo, ſed aliorum Reſpublicas refellens. Cæterùm in ſeptimo libro ex ſua ſententia accuratius de optimo ſtatu Reipub. diſſerit, multaq; præcepta dat.*

7 Quadam ipſorum communi æqualitate. *Libertate, quæ locupletibus cum egenis eſt communis.*

8 Sed maximè videntur eſſe duæ. *Quibuſdam ſcilicet: ipſi enim hæc ratio non placet, vt paulò pòſt declarabit.*

9 Tanquam ſit paucorum potentia. *Quaſi optimatum Reſpub. ſpecies ſit paucorum potentia.*

10 Fauoni⁹ ad Aquilonẽ. *Fauoni⁹ qui græcè eſt Zephyrus, ab occaſu æqui-*

noctiali flat: Aquilo, qui Boreas, à Septentrione: vt Auſter à meridie, qui & Notus dicitur: Vulturnus, qui & Eurus ab ortu brumali, vt auctor eſt idem Ariſtoteles metheorologicorum lib. ij.

11 Cæteros concentus. *Septem eſſe concentus genera muſici tradunt, dorium, hypodorium, lydium, hypolydium, Mixolydium, hypophrygium, & phrygium, quinq; igitur media; partim ad dorium referri aiunt, partim ad phrygium.*

12 Et quæ ſeueriores ſunt. *Ex deprauatis ſcilicet, quæ plus crudelitatis habent, & ſubiectos magis ſeruiliter tractant.*

CAPVT IIII.

1 NEQVE verò debet, vt à quibuſdam ſolet, ſtatus popularis 1.
ſimpliciter ſtatui, vbi ſumma poteſtas eſt penes multitudinem:
cum etiam in rebus publicis, vbi pauci tenent imperium, & vbi-
que 2 penes maiorem partem ſit ſumma poteſtas. Nam ſi eſſent 2.
omnes mille trecenti, & horum mille locupletes, qui trecentis pau-
peribus & liberis, 3 & cætera ipſorum ſimilibus imperium non 3.
communicarent, nemo tamen horum Rempub. populariter admi-
niſtrari diceret. Et pari ratione, ſi 4 pauci eſſent egeni, tamen di- 4.
uitibus pluribus numero potentiores, nemo hanc paucorum po-
tentiam nominaret: nec ſi qua eſſet alia talis, in qua diuitibus ho-
nores non communicarentur. Sic igitur potius dicendum eſt po-
pularem eſſe Rempub; 5 cum penes liberos eſt ſumma poteſtas: 5.
paucorum potentiam, cum penes diuites. Accidit autem vt alteri
plures ſint, alteri pauci, quoniam liberorum magnus eſt numerus,
locupletum verò paruus. 6 Eo quidem modo ſi proceritatis, vt in 6.
Aethiopia fieri nonnulli narrant, aut pulchritudinis ratio in man-
dandis magiſtratibus eſſet habenda, paucorum hæc eſſet potentia,
propter eorum qui pulchri, aut proceri ſunt paucitatem. Veruntamen ne his quidem rebus has Reipub. formas definiri ſatis eſt. Sed
cum partes tum popularis ſtatus, tum paucorum potentiæ complu-
res ſint, ſtatuere oportet non protinus eſſe ſtatum popularem, ſi
liberi homines pauci numero in plures 7 & non liberos imperium 7.
teneant, vt 8 Apolloniæ fit, quæ eſt ad Ionium mare, & in Thera, 8.
quoniam in hac vtraque ciuitate qui præſtant nobilitate, 9 qui- 9.
que primi colonias inhabitarunt, cum pauci ſint, tamen in multos tenent imperium. Sed neque eſſet ſtatus popularis ſi impe-

rium penes diuites idcirco eſſet, quoniam multitudine numeroq;
10. vincerent, 10 vt antiquitus Colophonij, vbi maior ciuitatis pars ante bellum quod cum Lydis geſſerunt, magna patrimonia poſſi-
11. debat. 11 Sed ſtatus popularis eſt, cum liberorum, & pauperum (qui plures numero ſunt) arbitrio & voluntate geritur Reſpub: Paucorum verò potentia, cum diuites, & genere nobiliores (qui pauci ſũt) Reipub. præſunt, & ſua voluntate moderantur. Ac eſſe quidem complures reſpublicas, & quam ob cauſam, explicuimus. Iam plures
12. ne ſupradictis ſint, & quæ, & quam ob rem, ſumpto, 12 quod ſuprà diximus principio, differamus. Conſtat enim omnis ciuitatis non vnam ſed plures eſſe partes. Similis eſt igitur Reipub. & animalis ſpecies conſtituendi ratio. Nam ſi animalis ſpecies ſumere libeat, primùm omnium partes quas adeſſe neceſſe eſt animantibus, ſeiun-
13. gimus, vt 13 ſenſoria quædam, & qua conficitur, quaq; cibus excipi-
14. tur, os dico & ſtomachum: deinde eas 14 quibus animal quodque mouetur. Si ergo ſpecies tot modo ſunt numero, diſcriminibus autem ſeiunctæ, id eſt, ſi oris complura genera ſint, atque ſtomachi, & ſenſoriorum, & item partium mouentium: numerus copularum, quæ hic ex partibus exiſtunt, neceſſariò efficiet animantium genera. Nec enim fieri poteſt vt animal idem complures oris vel aurium differentias habeat. Sumptis igitur harum partium quodquod fieri poſſunt coniũctionibus, animalium ſpecies conſtituentur, quę tot erunt numero, quot copulæ partium neceſſariarum. Atque eodem modo Rerumpublicarum (de quibus ſuprà memorauimus) genera conſtituentur: quoniam, vt ſæpe diximus, non vna, ſed multis partibus ciuitates conſiſtunt. Eſt igitur vna pars multitudo, quæ
15. 15 in cibo parando eſt occupata, quos agricolas appellamus: Altera opificum, qui exercent artificia, ſine quibus vrbs habitari non po-
16 teſt: quamquam ex his artibus quædam 16 ad vſus neceſſarios in
17. vrbe deſiderantur, quædam 17 ad iucundos, & liberales. Tertia pars
18. eſt 18 forenſium, id eſt ementium & vendentium, mercatorumq;, & tabernariorum multitudo. Quarta mercenariorum. Quintum genus eſt propugnatorum, quod his nihilo minus eſt ciuitati neceſſarium, niſi debet bellum inferentibus ſeruire. Nam fieri non poteſt, vt quæ natura ſerua eſt, digna ſit nomine ciuitatis. Ciuitas enim ipſa ſibi ſufficit: quod autem ſeruitute premitur, id ſibi non
19. ſufficit. 19 Itaque in Repub luculenter quidem diſputatum eſt, ſed ita vt aliquid deſideretur. Socrates enim ex quatuor maximè neceſ-

ſarijs ciuitatem conſtare tradit,textore,agricola,ſutore, ac ſtructo-
re. Sed rurſus tanquam hi non ſatis ſint, addit fabrum ærarium, &
eos 20 qui curam habent pecoris neceſſarij:Itemque mercatorem & 20.
tabernarium, 21 hiſque omnibus expleri primam ciuitatem facit. 21.
Quaſi rerum neceſſariarum, & non potius honeſti cauſa ciuitas o-
mnis conſiſtat,& ſutoribus æquè ac agricolis indigeat. Propugna-
torum verò partem non antè tribuit ciuitati, quàm auctis finibus,
& ad vicinorum vſque regionem dilatatis, bellum fuerit conſla-
tum. At in quatuor & quotcunque ſint participes ciuitatis, aliquem
eſſe neceſſe eſt qui ius dicat, cauſaſq; dijudicet. Igitur ſi anima pars
potius animalis eſſe quàm corpus exiſtimari debet, vtique & tales
ciuitatem partes potius eſſe putandæ ſunt, quàm quæ pertinent ad
vſum neceſſarium,partem dico militarem, & quæ iuſtitiæ iudicia-
lis eſt particeps,& item quæ conſultandi munere fungitur,22 quod 22.
eſt officium ciuilis intelligentiæ: nec ad rationem intereſt, hæc 23 23.
ſeorſum in quibuſdam,an in eiſdem habeantur. Nam ſæpe accidit,
vt ijdem & milites ſint,& agros colant: itaque ſi & has & illas partes
eſſe ciuitatis ſtatuere oportet, non dubium eſt quin genus militare
ſit pars neceſſaria ciuitatis.Septima pars eſt eorum qui opib Remp.
iuuant,id eſt locupletum. Octaua eorum, qui publicis muneribus
funguntur,magiſtratuſque gerentes ſuum officium pręſtant:ſiqui-
dem ciuitas eſſe abſque magiſtratibus non poteſt. Quoſdam igitur
eſſe neceſſe eſt,qui magiſtratus gerere poſſint, & hoc officium,aut
24 continenter aut per vices ciuitati præſtent, & cæteros, de quib. 24.
modò diſſeruimus, conſultores ſcilicet, & qui litigantium contro-
uerſiam dijudicent:quæ ſi fieri debeant in ciuitatib. ac rectè & iuſtè
fieri, vtique neceſſe eſt vt aliqui ſint 25 virtutis res ciuiles attingen- 25.
tis compotes.26 Alias igitur facultates eiſdẽ adeſſe,multis fieri poſ- 26.
ſe videtur,vt ijdem milites ſint, ijdem agricolæ & opifices, itemq;
conſultores & iudices, omneſque virtute ſeſe præditos eſſe profi-
tentur:& pleroſque magiſtratus gerere poſſe ſibi perſuadent:vt au-
tem ijdem pauperes ſint, & locupletes,fieri non poteſt. Quam ob
rem 27 hi potiſſimum (diuites inquam & pauperes) partes ciuitatis 27.
eſſe videntur.Et quoniam magna ex parte illi pauci ſunt,hi plures,
idcirco videntur hæ contrariæ partes eſſe ciuitatis. Itaque 28 ex ho- 28.
rum exceſſibus Reſpub conſiſtunt, eſſeque videntur duo genera
Reipublicæ,popularis,& paucorum potentia. Eſſe igitur Reipub.
complura genera,& quas ob cauſas,ſuprà diſſeruimus. Iam eſſe ſta-

tus popularis complures ſpecies, & item paucorum potentiæ, doceamus: quod ipſum planè poteſt ex ſupradictis intelligi. Plebis nanque,& eorum qui nobiles vocantur,multa genera ſunt: vt plebis vnum genus eſt,agricolæ: alterum opifices: aliud forenſes, qui emptiones & venditiones exercent:aliud, qui verſãtur in mari, qui
29. rurſus in alias ſpecies ſecantur. Nam 29 quidam eorum militiæ va-
30. cant,30 alij quæſtui,alij ſunt nautæ,alij piſcatores.Nam multis in lo-
31. cis magna turba eſt horum cuiuſque generis, vt 31 Tarenti & Bizãtij piſcatores,claſſici milites Athenis,mercatores in Aegina & Chio, nautæ in Tenedo. Eſt præterea aliud genus plebis mercenariorum tam tenui patrimonio, vt otioſis eſſe non liceat. Adhæc genus eorum qui liberi ſunt,non tamen ex vtroque parente ciue procreati: & ſi quod aliud tale genus eſt alterius multitudinis. Nobilium autem genera conſtituunt diuitiæ, generis honeſtas, virtus, atque doctrina, & quæ his ſimilia ſecundum eandem differentiam dicuntur. Prima igitur Reſpub. popularis eſt, quæ dicitur maximè ſecundum æqualitatem. Nam æqualitatem notat lex huiuſmodi
32. Reipub. popularis, qua ſancitum eſt, vt 32 nihilo magis vel pauperibus,vel diuitibus adſit, neue penes alterutros ſit ſumma poteſtas,ſed ſimilis habeatur vtrorunque conditio.Nam ſi libertas & æqualitas maximè eſt, vt quidam exiſtimant, in Repub. populari, ſic demum maximè fuerit, ſi omnibus maximè ſimiliter Reſpub. communicetur. Sed quoniam populus numero ſuperior eſt, & quod pluribus placet, id ratum habetur, idcirco hanc eſſe Rempub. popularem neceſſe eſt. Atque hoc quidem vnũ eſt genus ſtatus
33. popularis: aliud, 33 quum à cenſibus, exiguis tamen, magiſtratus mandantur: ſed ita vt bona poſſidenti, magiſtratum gerere liceat: eidẽ ſi bona amiſerit,non liceat. Aliud ſtatus popularis genus eſt,vt
34. omnibus ciuibus 34 qui modò nequeant exceptione repelli, Re-
35. ſpub. communicetur,35 lege tamen dominante. Aliud, vt ciuis ma-
36. 37. giſtratum gerere liceat,36 dum modo ſit ciuis, ſed 37 ad legis præſcriptum. Aliud,vt cætera ſint eadem,multitudo tamen, non lex
38. dominetur, hoc autem fit, cum 38 decreta dominantur, non lex:
39. quod 39 propter duces populares accidit. In ſtatibus enim popularibus, vbi leges habent robur, huiuſmodi duces populares non exiſtunt,ſed optimus quiſque primum locum in Repub. tenet: vbi verò leges non habent ſummam auctoritatem, hic duces populares
40. fiunt. 40 populus enim princeps quidam efficitur vnus ex multis

con-

conſtitutus. Nam multi 41 non vt ſinguli, ſed vniuerſi ſummam 41.
poteſtatem obtinent. 42 Homerus autem quem multorum domi- 42.
natûm damnet, hunc, an vbi multi tanquam ſinguli tenent impe-
rium, incertum eſt. Talis igitur populus cum ſit quaſi princeps v-
nicus, quia non eſt legi ſubiectus, ſolus vult Rempub. ſuo arbitrio
temperare, & 43 herilem principatum exercet. Quo fit, vt aſſenta- 43.
tores in precio ſint: & talis populus 44 ex monarchijs tyrannidem 44.
æmuletur: itaque mores ijdem ſunt: & vtraque Reſpub. domina-
tum in meliores exercet: & popularia decreta ſimilia ſunt tyran-
nicis imperatis: & dux popularis, hoc eſt, quod aſſentator, & eius æ-
mulus: & vtrique multum valent, aſſentatores apud tyrannos, po-
pulares duces apud huiuſmodi populos, qui duces auctores fiunt,
vt 45 decreta legibus præferantur, 46 in populum cuncta redigen- 45. 46.
tes: efficiunturque magni, propterea quòd omnia ſunt in arbitrio
populi, & populi arbitrium in horum voluntate: his enim obtem-
perat multitudo. Præterea 47 magiſtratibus obtrectantes, oporte- 47.
re aiunt, vt populus decernat: populus autem admonitionem liben-
ter admittit: qua ratione magiſtratus omnes diſſoluũtur, vt meritò
inuectus eſſe videatur, 48 qui hunc ſtatum popularem Remp. eſſe 48.
negat. 49 Nam Reſp. nulla eſt vbi leges non tenent imperium: 50 49. 50.
oportet enim vt lex rerum omnium imperium habeat: 51 magiſtra- 51.
tus autem & Reſpub de ſingulis decernat. Quare ſi ſtatus popula-
ris vnũ Reip. genus eſt, haud dubiè talis conſtitutio in qua decretis
omnia gubernãtur, nõ eſt proprie ſtat⁹ popularis: 52 nullũ enim de- 52.
cretũ poteſt eſſe vniuerſale, ſed de generib. ſtat⁹ popularis hactenus.

Scholia in Caput. IIII.

1 NEQVE verò debet, vt à quibuſdam ſolet, ſtatus popularis ſim-
pliciter ſtatui. *Reiectis quibuſdam definitionibus, ſtatum popularem ſic
eſſe definiendum tradit. Status popularis eſt Reſpub. in qua penes liberorum
multitudinem eſt ſumma poteſtas: Paucorum potentia, in qua penes diuitum
paucitatem. Deinde exemplo animalis docet, quomodo ſint ſpecies Reipub.
conſtituendæ. Tum partes ciuitatis octo commemorat, agricolas, opifices, fo-
renſes, id eſt mercatores omnis generis, mercenarios, militares, conſultores,
iudices, & magiſtratus. Sed duæ ſunt, inquit, maximæ partes, diuites, & pau-
peres. Rurſus plebs in multas partes ſecatur: nobilitas in quatuor, diuitijs, ge-
nere, virtute, doctrina diſtinctas. Ex dictarũ partiũ copulis diuerſis, diuerſæ*

Reſpub conficiuntur. Prima ſpecies Reipub. popularis eſt, vbi pariter omnibus Reſpub. communicatur. Secunda cum cenſuum habetur ratio, qui tamen exigui ſint. Tertia vbi Reſpub. cunctis, ſed qui non poßint exceptione repelli, communicatur lege dominante. Quarta, vbi cuiuis communicatur, qui modo ciuis ſit, lege dominante. Quinta, vbi cætera ſunt eodem modo, ſed multitudo, non lex dominatur: quæ ſpecies non eſt propriè Reſpub. Vbi enim leges non tenent imperium, non eſt Reſpub.

2 Penes maiorem partem. *Eorum qui tenent imperij ſummam.*

3 Et cætera eorum ſimilibus. *Vt nullum ſit diſcrimen præterquam diuitiarum.*

4 Pauci egeni tamen potentiores. *Vt accidit vbi nobiles etiam egeni gratia valent, & clientelis.*

5 Cum penes liberos eſt ſumma poteſtas. *Penes eos qui ſola libertate cenſentur, vel potius vbi ſola libertas ſpectatur in mandandis magiſtratibus, & communicanda Repub.*

6 Nam eo quidem modo. *Si eſſet paucorum potentia, vbicunq; pauci Rempub. magiſtratuſq; gerunt. Quod verò refert de Aethiopia, idem fieri apud Indos, auctorem eſſe Scylacem tradit libro ſeptimo, proceritatem ſcilicet, & pulchritudinem apud ipſos ſpectari in regnis deferendis.*

7 Et non liberos. *Et non liberos ſolùm, ſed etiam diuites: vel eos dicit non liberos, qui operibus neceſſarijs ſeruiunt, cuiuſmodi ſunt agricolæ, opifices, & mercenarij. Thera inſula eſt inter Sporades numerata cum vrbe cognomine.*

8 Apolloniæ quæ eſt ad Ionium mare. *Nam multæ aliæ vrbes hoc nomine ſunt vocatæ, quarum nonnullas memorat Plinius: nam Stephanus viginti quinq; in diuerſis regionibus recenſet. Hæc autem quam deſignat Ariſtoteles, eſt, vt Plinius refert, in confinio Ionij & Adriatici maris in Græcia, oppoſita Hydrunto Italiæ, centum millium paſſuũ interuallo intercurrentis freti.*

9 Qui primi colonias inhabitarunt. *Apollonia enim colonia Corinthiorum fuit, vt refert Stephanus. Thera etiam, vt videtur, Græcorum fuit colonia, quam inſulam Olympiadis CXXXV anno quarto enatam fuiſſe auctor eſt Plinius, priuſq; Calliſtem à pulchritudine fuiſſe nominatam, ſed poſt à Thera conditore vrbis, qui genus à Polynice ducebat, nomen accepiſſe Strabo refert, auctore Callimacho. In his ergo duabus ciuitatibus pauci generis nobilitate & antiquitate præſtantes, etiam ſi eſſent pauperes cæteris imperabãt: his enim duntaxat magiſtratum gerere licebat.*

10 Vt antiquitus Colophonij. *Colophon vrbs eſt Ioniæ, ſiue Cariæ, non procul Epheſo, quam alluit Haleſus amnis, Plinio.*

11 Sed ſtatus popularis eſt. *Hac eſt plena deſcriptio ſtatus popularis, vt proxima paucorum potentia.*

12 Quod ſupra diximus principio. *Vt ex partium ciuitatis copulis, ſeu coniunctionibus diuerſis, diuerſas Reipub. ſpecies conſtituamus.*

13 Senſiora quædam. *Senſoria vocantur inſtrumenta ſentiendi, vt oculi & aures.*

14 Quibus animal quodque mouetur. *Vt crura, ſiue pedes, & alæ volucrum, & pinnæ natantium, de quibus accuratè ipſe in libro de inceſſu animalium ediſſerit.*

15 In cibo parando. *Agricola enim dicitur, quicunque terram colit fructuum gratia, ſiue frumenta ſint, ſiue legumina, & olera, ſiue arborum fructus.*

16 Ad neceſſarios vſus. *Vt ſutores & ſartores.*

17 Ad iucundos & liberales. *Vt argenti & auri cælatores, & aulæorum artifices.*

18 Forenſium. *Forenſes, à foro rerum venalium dicti ſunt mercatores & tabernarij.*

19 Itaque in Repub. luculenter quidem diſputatum eſt. *In opere Platonis de Repub. ſcitè & eleganter his de rebus diſſeritur, non tamen omnia perfectè traduntur.*

20 Qui curam habent pecoris neceſſarij. *Paſtores, qui pecus alunt, & armenta ad vitam hominum neceſſaria.*

21 Atque his omnibus expleri primam ciuitatem. *Quam Plato in libris de Repub. conſtituit. Hæc enim prima ciuitas appellari ſolet, vt illa ſecunda, quam in libris de legibus, vt videre licet in libro huius operis ſecundo. Taxat autem Socratem, quem Plato differentem facit, quòd eas duntaxat partes ciuitatis induxerit, quæ ſunt ad viuendum neceſſariæ, omiſſis quæ ad rectè & liberaliter viuendum conferunt, cuiuſmodi ſunt militares homines, iudices, & conſultores.*

22 Quod eſt officium ciuilis intelligentiæ. *Proprium munus ciuilis facultatis eſt conſultare.*

23 Seorſum in quibuſdam, an in eiſdem habeantur. *Siue militare munus, & conſultandi ac iudicandi officia diuerſis tribuantur ſeparatim, ſiue ita, vt ijdem diuerſis fungantur officijs.*

24 Continenter aut per vices. *Vt perpetuos gerant magiſtratus, aut annuos, ſiue ad aliud tempus alijs viciſſim tradentes.*

25 Virtutis res ciuiles attingentis. *Facultatis ciuilis.*

26 Alias igitur facultates. *Fieri poteſt vt alia munera & officia idem ho-*

mo præſtare poßit: poteſt enim & miles eſſe, & idem agricola, idem iudex, & conſultor: vt autem diues ſit quiſquam, & idem egenus, fieri non poteſt.

27 Hi potiſsimum partes ciuitatis eſſe videntur. *In duas potißimum partes ciuitas diuiſa eſſe videtur, in diuites & pauperes.*

28 Ex horum exceſsibus. *Prout alteri alteris potentiores ſunt, præferunturq́; in adminiſtratione Reipub.*

29 Quidam militiæ vacant. *Milites claßici.*

50 Alij quæſtui. *Vt mercatores, qui merces nauib. importãt, aut exportãt.*

31 Tarenti & Byzantij piſcatores. *Tarentum oppidum eſt in Italia maritimum, vnde ſinus Tarentinus, poſt bellum Meſſenium à Parteniјs Lacedæmonijs conditum. Fuit igitur primum Lacedæmoniorum colonia, vbi Architas & Pythagorici cæteri floruerunt, poſtea coloniam Romanorum recepit, vt auctor Strabo eſt. Byzantium vrbs eſt Thraciæ caput, quæ poſtea Conſtantinopolis fuit à principe Romanorum appellata.*

32 Nihilomagis vel pauperibus, vel diuitibus adſit. *Vt nec paupertas nec diuitiæ ſuffragentur, aut vicißim obſint in mandandis magiſtratibus.*

33 Cum à cenſibus *Cum magiſtratus non cunctis promiſcuè patent, ſed ijs qui certum habent cenſum, qui tamen cenſus ſit exiguus.*

34 Qui modo nequeant exceptione repelli. *Quibus nihil obijci poßit, quod ad genus ſcilicet pertineat: ſic enim ipſe declarat capite ſexto, exempli gratia, quod ſit patre aut matre, non ciue natus, aut ſit generis libertini.*

35 Lege dominante. *Vt Reſpub. ex legum præſcriptis adminiſtretur.*

36 Dummodo ſit ciuis. *Dummodo ſit liber: hic enim ſola libertas ciuem facit, vt ipſe capite ſexto declarat.*

37 Ad legis præſcriptum. *Ex legum præceptis.*

38 Decreta dominantur, non lex. *Decreta vocat plebis ſcita, quæ de rebus ſingulis fiunt: nam leges præcepta vniuerſalia ſunt.*

39 Propter duces populares. *δημαγωγοὶ græcè vocantur hi qui ſe duces & aſſentatores præbent multitudini.*

40 Populus enim princeps quidam efficitur. *Populus fit quaſi vnus tyrannus.*

41 Non vt ſinguli. *Non ita multi dominantur, vt vnuſquiſq́; teneat imperium, ſed vt ſimul vniuerſi.*

42 Homerus autem quem multorum dominatum damnet. *Vlyſſes apud Homerum in libro Iliados ſecundo, populares increpans, quòd ſuo arbitrio præter regis voluntatem ad naues properantes ferrentur, negat multorum imperium probum eſſe, ſed vnius his verbis imperium haud multis rectè cõmittitur, vnus ſit rex, & princeps. Multi aũt tanquã ſinguli imperiũ tenere di-*

nere dicuntur, cum plures vno pari poteſtate ciuitatem aut regnum ſic adminiſtrant, vt quilibet per ſe ius & auctoritatem habeat imperandi, vt olim Gratianus & Theodoſius, & poſt eos Arcadius & Honorius.

43 Herilem principatum exercet. *Tyrannicum imperium in ſubiectos alios populos & in meliores ciues exercet, dum eis quaſi ſeruis imperat: non enim ſubiectorum commoditatem ſpectat, ſed ſuam, quod eſt proprium herilis imperij.*

44 Ex monarchijs tyrannidem æmulatur. *Ex imperijs quæ vnius arbitrio exercentur. Tyrannidi hæc Reſpub. popularis, quam Ariſtoteles extremum populi interdum vocat, reſpondet. Nam vt tyrannis peſſima eſt ex monarchijs, ſic ex Rebuſpub. quæ pluſquam vnius imperio adminiſtrantur, deterrima eſt hæc ſpecies Reipub. popularis, & multa habet illi ſimilia.*

45 Decreta legibus præferantur. *Vt maiorem auctoritatem plebiſcita de ſingulis rebus habeant, quàm leges quæ vniuerſaliter præcipiunt, licet nihil extra rationem legis vniuerſalem accidat.*

46 In populum cuncta redigentes. *Omnia reuocantes ad popularem conſultationem.*

47 Magiſtratibus obtrectantes. *Incuſantes Conſules, exempli gratia, & Senatores, vt Romæ ſeditioſi Tribuni faciebant, quam licentiam populus adeptus, omnem poteſtatem magiſtratibus ſubtrahit.*

48 Qui hunc ſtatum popularem. *Platonem deſignare videtur, qui cum non Rempub. ſed mercatum eſſe dicebat, tanquam inordinatum & confuſum congreſſum hominum, & turbam.*

49 Nam Reſpub. nulla eſt, vbi leges non tenent imperium. *Itaque nec tyrannus, nec Reſpub. popularis propriè ſunt in Rebuſpublicis numeranda, quia in his leges non tenent imperium, id eſt non obtemperatur legibus. Sed dicat aliquis, hac igitur ratione ne regnum quidem Rebuſp. erit annumerandum, cum in pleno regno, quod græcè dicitur* παμβασιλεία, *non leges dominentur, ſed cuncta fiant principis arbitrio, vt in tertio libro declaratum eſt. Hanc obiectionem ſic quidam diſſoluunt, vt etiam in regno leges non quidem ſcriptas, ſed in animo principis impreſſas à ratione & prudentia manantes, imperium tenere dicant.* Has *enim rex iuſtus in adminiſtratione Reipub. ſequitur, & his obtemperat, quod quamuis ſit verum, vt eſt, tamen hæc lex rationis & prudẽtiæ in omni Repub. æque dominatur, & Ariſtotelis, vt arbitror, ſententia aliorſum ſpectat, & de legib. ſcriptis memorat, non de naturalibus. Ipſe enim etiã in pleno regno leges ſcriptas dominari oportere cenſet, nõ ſecus atq; in ſtatu optimatum, & Repub. Nam ſuperiore libro Rempub. omnem rectè inſtitutam, ſiue vnius, ſiue plurium arbitrio adminiſtretur, probis legib.*

funda-

fundatam eſſe oportere docuit: à quarum iuſſu non diſcedatur in ijs, de quibus lege caueri poteſt. Quæ autem lege prouideri nequiuerunt, & extra legis rationem accidunt, hæc in regno principis, in ſtatu optimatum, & Repub. ſummorum magiſtratuum arbitrio & iudicio relinquenda eſſe dixit: atque ita fieri in plenis etiam regnis videmus. At rex, inquit, legibus eſt ſuperior, & eas poteſt arbitrio & iudicio ſuo temperare: at idem poſſunt ſummi magiſtratus ſeu Reſpub. in ſtatu optimatum & Repub. Nec enim minus Reipub. in ſua ciuitate in leges abrogandas, aut temperandas licet, quàm regi in ſuo regno. Itaq; in quaque harum Rerumpub. leges tenent imperium, aut in nulla. In cunctis enim parendum eſt legibus, niſi qua parte deficiunt. Nam ſi temerè ab eis diſcedatur, tam id fiet præter regni iuſti, & rectæ Reip. rationem. Nullum igitur, inquis, diſcrimen erit inter Regem plenum & Laconicum, cum vterque legibus parere debeat: imò verò maximum. Nam Rex Laconicus imperium legibus præſcriptum ac definitum certis in rebus habet: & arbitrium temperandarum legum non penes ipſum eſt, ſed penes Rempub. Rex autem plenus ipſe poteſtatem habet, vicemq; totius Reipub. gerit.

50 oportet enim vt lex omnium imperium habeat. *Oportet vt legi in omnibus quæ vniuerſaliter lege cauentur, pareatur, & præceptis eius vniuerſalibus obtemperetur.*

51 Magiſtratus autem & Reſpub. de ſingulis decernat. *In magiſtratu & Repub. rex etiam intelligitur, qui eodem modo in adminiſtratione ſequi leges & debet & ſolet, vt magiſtratus & Reſpub. De ſingulis autem reb. quæ præter vniuerſalem legis rationem accidunt, & legibus comprehendi non poſſunt, magiſtratus, Reſpub, princeps, ſeu rex, quod iuſtum eſſe, & ad bonum publicum, interdum etiam ſingulorum pertinere videatur, decernere.*

52 Nullum enim decretum poteſt eſſe vniuerſale. *Lex autem vniuerſalis eſt, quo declaratur, qui decretis Rempub. adminiſtrant, hos non vti legibus, nec in ea ciuitate leges dominari, cum decreta non ſint leges.*

CAPVT V.

1. 2. 1 EX paucorum potentiæ generibus vnum eſt, vt 2 ex cenſibus mandentur magiſtratus tantis, vt pauperibus, qui plures numero ſunt, aditus ſit ad Remp. gerendam interclusus: quæ tamen pateat omnibus, qui ad eam cenſus magnitudinem peruenerint. Alterum
3. 4. genus eſt, 3 cum ex cenſibus exiguis magiſtratus creantur, & 4 qui
5. deſiderantur, hos ipſi cooptant. 5 Quòd ſi ex his omnibus facerent, ad o-

ad optimatum potius Rempub. pertinere videretur: ſin autem ex certis ac definitis, magis eſt paucorum potentiæ. Tertium paucorum potentiæ genus eſt, cum filius in patris locum ſuccedit. Quartum 6 cum adeſt quod modò dictum eſt, & Reſp geritur non legi 6.
bus, ſed magiſtratuum voluntate: quod genus in paucorum imperijs 7 perinde ſe habet, ac tyrannis in monarchijs: in popularibus 7.
verò extrema, de qua diximus, popularis. Hæc autem paucorum potentiæ forma dynaſtia nominatur. Paucorum igitur potentiæ, ac ſtatus popularis, tot genera numerantur. Intelligendum eſt autem multis in locis vſu venire, vt Reſpub. ex legibus non ſit popularis, moribus tamen, & viuendi ratione populariter adminiſtretur: apud alios e diuerſò, vt ex legibus ſit magis popularis, vſu tamen & moribus paucorum potius arbitrio gubernetur. quod maximè in Rerumpub. mutationibus accidit: 8 nec enim ſtatim homi 8
nes mutantur, 9 ſed prioribus contenti ſunt, 10 alij alios paruis re- 9. 10.
bus ſuperantes. itaque manent priores leges, vincunt tamen qui Rempublicam mutant.

Scholia in Caput V.

1 EX paucorum potentiæ generibus, vnum eſt vt ex cenſibus mandentur magiſtratus. *Paucorum potentia quatuor eſſe genera docet. Primum, cum magiſtratus mandantur mediocriter diuitibus, & tantas modò facultates habentibus, quanta ſatis ſint ad pauperes excludendos. Alterum genus eſt, cum mandantur ex paruis etiam cenſibus, ſed paulò maioribus, & ijdem magiſtratus deligunt ſibi ſucceſſores, aut numero deficientes. Tertium genus eſt, cum à maioribus etiam nunc cenſibus mandantur, & filij patribus ſuccedunt. Quartum, cum à maximis cenſibus magiſtratus mandantur, nec paretur legibus, ſed omnia geruntur arbitrio & libidine paucorum, quæ cuncta capite ſexto accuratius explicantur.*

2 Ex cenſibus tantis. *Ea duntaxat magnitudine, quæ ſit ſatis ad egenos repellendos.*

3 Cum ex cenſibus exiguis. *Maioribus tamen quàm priores erant, vt ipſe capite ſexto declarat.*

4 Qui deſiderantur, hos ipſi cooptant. *Ipſi qui magiſtratum gerunt, deligunt eos qui morte, aut alia ratione numero deſunt.*

5 Quod ſi ex his omnibus facerent. *Si ex omni multitudine hunc cenſum habente deligerent eos qui ſuffi.iendi ſunt.*

6 Cum adeſt quod modò dictum eſt. *Cum non ſolum diuitiarum copia eſt, & filij patribus ſuccedunt, ſed omnia non ex legum præceptis, ſed ex libidine paucorum geruntur.*

7 Perinde ſe habet. *Hæc tria genera ſimilia ſunt inter ſe. Hæc vltima paucorum potentia, quæ dicitur dynaſtia, & tyrannis, & vltimus ſtatus popularis.*

8 Non mutantur. *Non mutant mores ſtatim.*

9 Sed prioribus contenti ſunt. *Inſtitutis & moribus.*

10 Alij alios paruis rebus ſuperantes. *Qui vicerunt, ſatis habent, ſi victis ſint paruis quibuſdam rebus ſuperiores, nec poſtulant, vt priora inſtituta vel mores mutentur.*

CAPVT VI.

1. 1 TOT autem eſſe ſtatus popularis & paucorum potentiæ genera, palam fit ex his ipſis quæ memorauimus. Neceſſe eſt enim vt populi partes, de quibus diximus, vel omnes Reipub. ſint participes, vel quædam, & quædam ſecus. Cum igitur agricolæ, & qui mediocres habent fortunas, magiſtratibus præſunt, Reſpub legi-
2. bus adminiſtratur, quoniam 2 hoc hominum genus operando viuere poteſt, otioſum eſſe non poteſt. Itaque vbi legem ſciuere, ad populariter conſultandum, neceſſarijs duntaxat ex cauſis conueniunt: alijs verò Reſpub. patet, cum ad cenſum legibus definitum per-
3. uenerint. Nam omnino 3 non patere omnibus aditum, ad paucorum potentiam pertinet. Viuere autem in ôtio vectigalibus non ſuppetentibus non datur. Atque hoc quidem eſt genus vnum ſtatus
4. popularis, propter has cauſas. Alterum genus eſt 4 per proximam rationem mandandi magiſtratus: nam fieri poteſt vt cunctis quos modo generis exceptio non excludat, aditus ad Rempub. pateat: tamen ijs tantum magiſtratus communicentur, quibus otioſis eſſe
5. licet. itaque in tali ſtatu populari leges 5 inopia vectigalium domi-
6. nantur. 6 Tertium genus eſt, vt omnibus Remp. gerere liceat, qui modo liberi ſint, non tamen cuncti ſint participes, ob eam quam modò diximus cauſam, vt in hac quoq; leges imperare ſit neceſſe.
7. Quartum ſtatus popularis genus eſt, quod temporibus 7 vltimum fuit in ciuitatibus inuentum. Nam cum ciuitates ad longè maiorem amplitudiuem quam initio peruenerint, abundè etiam vectigalib.
8. ſuppetentibus, omnes & 8 propter maximam multitudinem participes ſunt, & publicis muneribus fungentes, Remp. adminiſtrant, quoni

quoniam pauperes mercedem capientes vacare poſſunt:& quidem hæc hominum multitudo ex omnibus maximè vacat, cum eos rei familiaris nulla cura impediat:quæ diuitib adeò eſt impedimento, vt hac ſæpe tum à concionibus, tum à iudicijs excludantur : 9 ita 9.
Reſpub. in egenorum arbitrium non in legum poteſtatem redigitur. Status igitur popularis genera tot ſunt, & talia, propter has neceſſarias cauſas. Paucorum potentiæ primum genus eſt, 10 10.
cum plures ciues opes habent, ſed minores, nec valde magnas. Nam huiuſmodi patrimonium poſſidentium cuique Rempub.adminiſtrare licet: & quia multi ſunt eius participes, idcirco neceſſe eſt vt non homines, ſed leges dominentur. Nam quo longius abſunt à monarchia,nec tanta patrimonia poſſident, vt curam remittentes in otio viuant : nec rurſus tam exigua, vt ex publico ſint alendi: hoc magis eſt neceſſe,vt legem potius, quàm ſe ipſos dominari cenſeant.Sed ſi fuerint pauciores qui facultates habent, 11 ſi vt 11.
prius maiora tamen patrimonia poſſideant, ſecunda ſpecies efficitur paucorum potentiæ : nam cum vires maiores habent, plus ſibi Reipub.vindicandum putant. Itaque ipſi collegas ex alijs ad Rempub.gerendam cooptant. Sed quia nondum hactenus inualuerunt, vt ſine lege poſſint imperare,idcirco legem huiuſmodi cōſtituunt. Sin autem eo proceſſere, vti & pauciores ſint,& locupletiores,tertium paucorum potentiæ genus accreſcit, vt ipſi per ſe quidem magiſtratus obeant, beneficio autem legis filij in demortuorum patrum locum ſuccedant.Cum verò & opibus,& clientelis magnopere creuerunt, hic dominatus 12 propè ad vnius imperium accedit, 12.
& Reſpub.non lege,ſed hominum arbitrio gubernatur:& hoc paucorum potentiæ quartum genus,vltimo ſtatus popularis generi reſpondet,atque eum æmulatur.

Scholia in Caput VI.

1 TOT autem eſſe ſtatus popularis & paucorum potentiæ genera. *Commemoratis ſtatus popularis, & item paucorum potentia generibus, ſiue ſpeciebus,eaſdem explicat accuratius,reddita cuiuſq; ratione. Primū igitur Reipub.popularis genus eſſe dicit ex paruo cēſu,cum agricola,& qui mediocres fortunas habent,ſumma poteſtate Rempub.gerunt,ſed lege ſuā vim retinente.Secudū genus,cū nulla cenſus habita ratione Reſpub.cōmunicatur cūctis,qui nulla generis exceptione repelli poſſūt.Tertiū,cū ſerui dūtaxat exclu*

duntur:

duntur:ſed in his duobus generibus multos ipſa egeſtas & neceßitas impedit, quo minus gerendæ Reipub. vacare poßint. Quartum eſt, quum non legibus, ſed multitudinis arbitrio Reſpub. geritur, quod extitiſſe ait poſtquam ciuitates hominum multitudine, diuitijsq́; creuerunt, & merces fuit gerentibus Rempub. propoſita. Eodem modo explicat genera paucorum potentiæ. Nam primum genus eſt, cum plures gerunt Rempub. ac cenſibus non magnis, ſed qui modò pauperes repellant, lege tamen dominante. Secundum, cum pauciores, & à paulo maioribus, & ab ipſis magiſtratus cooptantur, lege quoque imperium tenente. Tertium, cum à maioribus etiamnum, nec omnino receditur à legibus, & filij parentibus ſuccedunt. Quartum, cum pauciſsimi & ditiſsimi non legibus, ſed ſua libidine rem communem gerunt, quorum omnium cauſas reddit.

2 Hoc hominum genus. *Qui mediocres habent facultates, ſi curam & rei ſuæ familiari laborem aliquem impendant, viuere poſſunt, atque alere familiam: ſi otio indulgeant, hoc facere nequeunt. Quare cum Reip quantum neceſſe fuit vacauerunt, ad opus redire coguntur, & leges dominari volunt.*

3 Non patere omnibus aditum. *Aliquod genus hominum excludi. Hic enim omnibus patet aditus agricolis, opificibus, & forenſibus, dummodo mediocres facultates habeant: qui verò excluduntur, ij non tam lege quàm neceßitate, ſuaq́; inopia excluduntur: cum vel ſi maximè velint, Rempub. adminiſtrare non valeant, cum ab operibus neceſſarijs nullo modo vacare poſſint.*

4 Per proximam rationem mandandi magiſtratus. *Poſt primam rationem quæ cenſum ſequitur, proxima eſt in ordine, quò ſuprà memorata ſunt, illa, quæ nemo excluditur, niſi qui refelli generis exceptione poßit, vt ſi nothus ſit, aut non ex vtroq́; parente ciue natus, aut ſaltem altero.*

5 Inopia vectigalium. *Non paupertas obeſt quo minus ſæpe valeant in concionem conuenire, & decreta de rebus ſingulis facere, ac perinde placet eis vt Reſpub. ex legibus ſancitis adminiſtretur.*

6 Tertium genus eſt. *In tertio genere Reipub popularis nemo excluditur à Repub dummodo ſit liber, quamuis neutro parente ciue ſit procreatus, vel nothus. Itaque hoc genus cum illo congruit, quod primo loco numeratum eſt cap. iiij. ac idcirco cum illic quinque genera fuiſſent numerata, hic ad quatuor redacta ſunt. aut potius primum illud genus latius patet, & aduenas etiam & inquilinos complectitur: ad ſummam omnes liberos homines vrbem inhabitantes: quod hoc in loco idcirco prætermiſſum eſt, quia illic cauſa eius expoſita fuit, vt hic reliquorum quatuor, vt ſint quinque genera in hunc*

modum

modum diſtincta. Primum, quo nemo liber ex habitantibus vrbem excluditur à Repub ne inquilinus quidem. Secundum, quo ratio cenſus habetur. Tertium, quo quidam generis exceptione repelluntur, vt nothus, aut non vtroque parente ciue natus. Quartum, quo inquilini tantum excluduntur. Quintum, cum omnibus aditus ad Rempub. patet, & omnia non lege, ſed abitrio multitudinis geruntur. Nam in quatuor ſuperioribus leges dominari intelliguntur, accommodata ſcilicet Reipub populari.

7 Vltimum fuit inuentum. *Antiquitus enim propter publicam inopiam non erat merces Rempub. adminiſtrantibus propoſita.*

8 Propter maximam multitudinem. *Quia multitudo popularis cum maxima ſit, multo potentior eſt, quàm nobiles & diuites, vt ab his nemo popularis prohiberi poßit, quo minus Remp. capeſſat.*

9 Ita Reſp. in egenorum arbitrium, non in legum poteſtatem redigitur. *Quia egeni cum mercedis beneficio vacare poßint, nec curæ rei familiaris impediantur, frequentius in concionē conueniunt, & de cunctis rebus populariter conſultare volunt: & cum ſint plures numero, ratum eſt quod ipſis placet: itaque omnia decretis adminiſtrantes, legibus locum non relinquunt.*

10 Cum plures ciues opes habent, ſed minores. *Vtrunque ad proximum, ſiue ſecundum genus refertur. Nam in primo plures ſunt ciues locupletes qui Rempub. adminiſtrant, & minores opes habent quàm in ſecundo, & in hoc quàm in tertio, & in cæteris eodem modo.*

11 Si vt prius. *Si facultates non valde magnæ ſint, vt primorum, ſed aliquanto maiores. Huiuſmodi legem conſtituunt, vt à gerentibus Rempub. deficientes magiſtratus ſufficiantur.*

12 Propè ad vnius imperium accedit. *Ad tyrannidem.*

CAPVT VII.

1 SED præter ſtatum popularem, & paucorum potentiam, duo 1.
Reipub. genera ſunt, 2 quorum alterum memorant omnes, & v- 2.
num genus eſſe quatuor rerumpublicarum dictum eſt. Quatuor verò genera memorantur, imperium vnius, paucorum potentia, ſtatus popularis: Græci monarchiam, oligarchiam, ac democratiam dicunt, & quartum ſtatus optimatum, quæ Græcis eſt ariſtocratia. Quintum genus eſt, quæ cunctarum communi vocabulo Reſpub. nominatur: tamen quia non ſæpe fit, ignotum eſt his qui rerum publicarum genera commemorare conantur: & quatuor dum-

or duntaxat vtuntur, vt Plato in libris de Rep. Rectè igitur ſtatus optimatum is dicitur, de quo ſuprà diſſeruimus. Nam quæ optimis
3. ſimpliciter ex virtute viris conſtat, & 3 non bonis viris ad finem quendam relatis, hæc ſola iure dicitur optimatum Reſp. quippe in ea ſola idem eſt vir bonus, & bonus ciuis. Nam qui in alijs rebus publicis boni nominantur, hi relati ad ſuam Remp. tali nomine cenſentur: veruntamen ſunt quædam Reſp. quæ tum ab his quæ paucorum arbitrio gubernantur, tum ab ea quæ dicitur Reſpub. differunt, vocanturque ſtatus optimatum. Certè vbi non diuitiarum modo, ſed virtutis etiam ratio in mandandis magiſtratib. ha-
4 betur, hæc 4 ab vtroque genere differt, vocaturque ſtatus optimatum. Nam & quib. in ciuitatibus virtutis non eſt publica cura, ſunt tamen quidam quos fama commendat, quique probi viri eſſe pu-
5. tantur. 5 Vbi ergo Reſpublica ad opes, virtutemque & populum ſpectat, vt Chartagine, hic ſtatus eſt optimatum: & item in quibus duorum tantum habetur ratio, virtutis, & populi, vt apud Lacedæmonios, quibus ratio popularis cum virtute miſcetur. Hæc igitur genera ſunt ſtatus optimatum, præter illam optimam Rempub. Tertio genere continentur ſpecies Reipublicæ vocatæ, quæcunque ad paucorum potentiam magis inclinant.

Scholia in Caput VII.

1 SED præter ſtatum popularem & paucorum potentiam. *Genera Rerumpub. quatuor à pleriſque memorantur Græcis nominibus, Monarchia, Oligarchia, Democratia, Ariſtocratia: Latinis autem, vnius imperium, paucorum potentia, ſtatus popularis, optimatum Reſpub. his addit Ariſtoteles quintum genus, quod communi vocabulo Reſp. nominatur. Eſt autem optimatum Reſpub. quæ à viris ſimpliciter bonis, id eſt ſic ex virtute vera nominatis gubernatur. Sunt & aliæ Reſpub. quæ optimatum appellantur, non propriè, ſed quia proximè ad hanc accedunt.*

2 Quorum alterum memorant omnes. *De altera, hoc eſt de optimatum Repub. quam eandem optimam Remp. vocant, ferè omnes diſſerunt, qui de Repub. diſputant. Omnes enim optimum ſtatum Reip. potiſſimum declarare conantur, & in huc pertinentibus præceptis dandis ſunt occupati, non habita ratione rerum ſuppetentium, aut de communiſſima, quam etiam optimam putant, vt ipſe ſuprà teſtatus eſt cap. primo.*

3 Non bonis viris ad finem aliquem relatis. *Boni viri ſimpliciter dicuntur*

euntur virtute vera præditi: boni verò pro ratione finis, qui aliqua facultate instructi ſunt ad eum finem conſequendum. hic igitur bonos viros vt ad finem referuntur, appellat: bonos ciues pro cuiuſque Reip. etiam deprauata ratione. nam poſitio quæ græcè eſt ὑπόθεσις, quo verbo hic vtitur Ariſtoteles, interdum finem propoſitum ſignat, quo facultas ſi aptè referatur, virtus ex poſitione ſiue fine dicitur.

4. Ab vtroque differt. *A paucorum potentia, & Repub. vocata.*

5. Vbi ergo reſp. *Tria genera ſtatus optimatum facit, præter illud optimum & maximè proprium, quorum vnum eſt, vbi in mandandis magiſtratibus, diuitiarum & virtutis populiq́; habetur ratio. Alterum, vbi virtutis & populi. Tertium, quo Reſpublica communi vocabulo dicta, in paucorum potentiam inclinantes continentur.*

CAPVT VIII.

1. RELIQVVM eſt, vt 2 de nominata Rep. deq́ue tyrannide diſ- 1. 2.
ſeramus: quem ordinem idcirco ſecuti ſumus, quoniam licet nec
Reſpublica, nec ij, de quibus modo diximus, ſtatus optimatum aber
rationes ſint: tamen 3 ſi verum quærimus, omnes 4 à rectiſſima Rei 3. 4.
publicæ ratione deflexerunt: deinde 5 connumerantur cum his, 5.
& 6 hæ ſunt ipſarum, vt principio diximus, digreſſiones. Sed de 6.
tyrannide, iurè poſtremo loco mentionem fecimus, quoniam
hæc 7 minimè omnium Reipublicæ rationem attingit. Nos au- 7.
tem de Republica diſſerendi negotium ſuſcepimus, ac huius quidem ordinis, diſpoſitioniſq́ue cauſam expoſuimus: poſthac de Republica diſputabimus: eius enim vis, explicatis quæ ad paucorum potentiam & ſtatum popularem pertinent, facilius intel-
ligetur. Eſt enim Reſpub. 8 vt ſimpliciter loquar, quædam ex pau- 8.
corum potentia, & ſtatu populari temperatura. Cæterum quæ ad rationem popularem inclinant, hæ ſolent Reſpub. nuncupari:
ſtatus verò optimatum, quę magis ad paucorum potentiam, 9 pro- 9.
pterea quod diſciplina, ſiue recta educatio & generis nobilitas, ma-
gis ſunt locupletiorum comites. Præterea 10 res, quarum cauſa 10.
ſolent homines ad iniuriam inferendam impelli, diuitibus adeſſe
videntur: quo fit, vt eos virtute præſtantes, ac nobiles appellent. 11. 11.
Eſt igitur cauſa, quoniã ſtatus optimatum optimis quibuſque ciuibus præſtantiam tribuere ſolet: & paucorum potentia ex virtute præſtantib. potius videtur conſtare. Porro fieri non poſſe videtur,

vt rectè

vt rectè ex legibus adminiſtretur ciuitas, non quæ optimis, ſed quæ à prauis ciuibus gubernatur. Eodemque modo, vt optimorum imperio gubernetur, quæ non rectè ex legibus adminiſtratur. Neque verò bona ex legibus adminiſtratio eſt, vt bonæ ſint leges, nec tamen eis obtemperetur. Itaque vna bona ex legibus adminiſtratio
12. putari debet, 12 impoſitis legibus parere. Altera rectas eſſe leges, & harum decretis ſtare. Nam fieri poteſt, vt prauis etiam legibus pareatur. Hoc autem fieri bifariam poteſt: leges enim quibus homi-
13. nes parent, aut optimæ ſunt 13 ex his quibus ipſi vti valent, aut ſimpliciter optimæ. In hoc autem potiſſimum ſtatus optimatum poſitus eſſe videtur, vt honores virtuti tribuantur. Nam finis optimatum Reipublicæ virtus eſt: paucorum potentiæ, opes: populi verò, libertas. Vt enim vincat plurium ſententia, Rebuſpublicis omnibus eſt commune, quoniam in paucorum potentia, in ſtatu optimatum, & populari, quod eorum qui Rempublicam gerunt, maiori
14 parti viſum fuerit, id ratum eſt. In pleriſque igitur ciuitatibus 14 Reipublicæ genus nominatur. Sola enim mixtio locupletum, & egenorum, ad opes & libertatem ſpectat, quoniam apud pleroſque
15. 15 diuites virtute præſtantium locum habere videntur. Sed quoni-
16. am tria ſunt quæ 16 de Reipublicæ paritate certant, libertas, diui-
17. tiæ, virtus, (17 nam generis nobilitas, quæ quarto loco numeratur, duorum eſt comes: eſt enim generis nobilitas, veteres opes, atque virtus.) ſatis intelligitur duorum generum locupletum ac egenorũ mixtionem eſſe Remp. appellandam, trium autem ſtatum optimatum maximè omnium vocari debere, præter illam veram & primã optimatum gubernationem. Eſſe igitur alia genera præter vnius, ac populare paucorumque imperium expoſuimus: & quo inter ſe optimatum gubernationes, & quo Reſpublicæ ab optimatum adminiſtratione differant: & hęc genera non longè inter ſe diſtare declarauimus.

Scholia in Caput. VIII.

1 RELIQVVM eſt, vt de nominata Repub. deque tyrannide diſſeramus. *Reddita ratione ordinis diſputandi de Reipub. generibus, de Repub. diſſerit, quæ ſic communi vocabulo nominatur. Eſt igitur Reſp. adminiſtratio quædam ciuilis, ex paucorum potentia & ſtatu populari conflata: quæ compoſitio ſeu temperatura cum ad popularem inclinat, Reſpub. dicitur;*

cum

tum verò ad paucorum potentiam, ſtatus optimatum: quoniam virtus & nobilitas diuitias magna ex parte affectantur. Item eam ciuitatem bene legibus inſtitutam eſſe dicit, in qua non ſolum bonæ leges ſunt, ſed etiam legibus ipſis obtemperatur. Tria ſunt, inquit, quæ de paritate in Repub. certant, libertas, diuitiæ, virtus. Diuitum autem & egenorum mixtio Reſpub. nominatur: omnium verò trium temperatura, ſtatus optimatum dicitur.

2 De nominata Repub. *Quæ cunctis communi vocabulo Reſpub. dicitur.*

3 Si verum quærimus. *Re vera, itaque non ſine cauſa de Repub & duabus ſtatus optimatum ſpeciebus diſputatur, cum de generibus erratis diſſeritur.*

4 A rectiſsima Reipub ratione. *A regno & ſtatu optimatum potiſſimo, quia vtrunque in optima Repub. continetur: nam de his diſputare, vt ſuprà dixit cap. ij. nihil eſt aliud, quàm de optimo ſtatu Reipub. diſſerere.*

5 Connumerantur cum his *Cum aberrationibus.*

6 Hæ ſunt ipſarum digreſſiones. *Hæ, id eſt cæteræ omnes ſunt ab ipſis regno ſcilicet, & optimatum rectiſſima Rep. digreſſiones & aberrationes.*

7 Minimè omnium Reipub. rationem attingit. *Quoniam minimè omnium ordinem ſeruat, in quo ratio Reipub. conſiſtit, minimè legibus paret: quæ vbi non ſeruantur, nulla eſt Reſpub. vt ſuprà dixit cap. iiij.*

8 Vt ſimpliciter loquar. *Summatim, nec accuratiſſimam rationem explicando.*

9 Propterea quod diſciplina & generis nobilitas magis ſunt locupletiorum comites. *Diſciplina & nobilitas in locupletibus magis quàm in pauperibus reperiuntur, quod græcè eſt παιδεία, latinè autem diſciplina, quam ſæpe Ariſtoteles in mentione ciuilium facultatum nominat, dupliciter intelligitur. vno enim modo peritiam quandam & conſuetudinem legibus ab ineunte ætate parendi ſignificat, quod pertinet ad rectam educationem, & virtutis vſum: homines enim quædam aſſueſcendo, quædam audiendo diſcunt vt ipſe ait libro ſeptimo, cap. xiij. altero modo doctrinarũ cognitionem, quæ homines nobilitat, idoneoſq; ad remp gerendam reddit, aut ciues probis moribus ac præceptis inſtituendos, quæ & ipſa facultas magna ex parte diuitias ſequitur, pauperibus otio ad ſtudium literarum non ſuppetente.*

10 Res quarum cauſa ſolent, &c. *Solent homines ad iniuriam inferendam impelli, modò vt pecunias aſſequantur, & alia commoda: modò vt fruantur voluptatibus, & ſimilibus rebus quæ diuitibus adſunt.*

11 Eſt igitur cauſa. *Cur ſcilicet tales Reſpub. cum ad paucorum potentiam inclinant, dicantur ſtatus optimatum.*

12 Impoſitis legibus parere. *Siue bonæ, ſiue malæ ſint.*

fundatam eſſe oportere docuit: à quarum iuſſu non diſcedatur in ijs, de quibus lege caueri poteſt. Quæ autem lege prouideri nequiuerunt, & extra legis rationem accidunt, hæc in regno principis, in ſtatu optimatum, & Repub. ſummorum magiſtratuum arbitrio & iudicio relinquenda eſſe dixit: atque ita fieri in plenis etiam regnis videmus. At rex, inquit, legibus eſt ſuperior, & eas poteſt arbitrio & iudicio ſuo temperare: at idem poſſunt ſummi magiſtratus ſeu Reſpub. in ſtatu optimatum & Repub. Nec enim minus Reipub. in ſua ciuitate in leges abrogandas, aut temperandas licet, quàm regi in ſuo regno. Itaq; in quaque harum Rerumpub. leges tenent imperium, aut in nulla. In cunctis enim parendum eſt legibus, niſi qua parte deficiunt. Nam ſi temerè ab eis diſcedatur, tam id fiet præter regni iuſti, & rectæ Reip. rationem. Nullum igitur, inquis, diſcrimen erit inter Regem plenum & Laconicum, cum vterque legibus parere debeat: imò verò maximum. Nam Rex Laconicus imperium legibus præſcriptum ac definitum certis in rebus habet: & arbitrium temperandarum legum non penes ipſum eſt, ſed penes Rempub. Rex autem plenus ipſe poteſtatem habet, vicemq; totius Reipub. gerit.

50 oportet enim vt lex omnium imperium habeat. *Oportet vt legi in omnibus quæ vniuerſaliter lege cauentur, pareatur, & præceptis eius vniuerſalibus obtemperetur.*

51 Magiſtratus autem & Reſpub. de ſingulis decernat. *In magiſtratu & Repub. rex etiam intelligitur, qui eodem modo in adminiſtratione ſequi leges & debet & ſolet, vt magiſtratus & Reſpub. De ſingulis autem reb. quæ præter vniuerſalem legis rationem accidunt, & legibus comprehendi non poſſunt, magiſtratus, Reſpub, princeps, ſeu rex, quod iuſtum eſſe, & ad bonum publicum, interdum etiam ſingulorum pertinere videatur, decernere.*

52 Nullum enim decretum poteſt eſſe vniuerſale. *Lex autem vniuerſalis eſt, quo declaratur, qui decretis Rempub. adminiſtrant, hos non vti legibus, nec in ea ciuitate leges dominari, cum decreta non ſint leges.*

CAPVT V.

1. 2. 1 EX paucorum potentiæ generibus vnum eſt, vt 2 ex cenſibus mandentur magiſtratus tantis, vt pauperibus, qui plures numero ſunt, aditus ſit ad Remp. gerendam interclusus: quæ tamen pateat omnibus, qui ad eam cenſus magnitudinem peruenerint. Alterum
3. 4. genus eſt, 3 cum ex cenſibus exiguis magiſtratus creantur, & 4 qui
5. deſiderantur, hos ipſi cooptant. 5 Quòd ſi ex his omnibus facerent, ad o-

ad optimatum potius Rempub. pertinere videretur: ſinautem ex certis ac definitis, magis eſt paucorum potentiæ. Tertium paucorum potentiæ genus eſt, cum filius in patris locum ſuccedit. Quartum 6 cum adeſt quod modò dictum eſt, & Reſp geritur non legi 6.
bus, ſed magiſtratuum voluntate: quod genus in paucorum imperijs 7 perinde ſe habet, ac tyrannis in monarchijs: in popularibus 7.
verò extrema, de qua diximus, popularis. Hæc autem paucorum potentiæ forma dynaſtia nominatur. Paucorum igitur potentiæ, ac ſtatus popularis, tot genera numerantur. Intelligendum eſt autem multis in locis vſu venire, vt Reſpub. ex legibus non ſit popularis, moribus tamen, & viuendi ratione populariter adminiſtretur: apud alios ediuerſò, vt ex legibus ſit magis popularis, vſu tamen & moribus paucorum potius arbitrio gubernetur. quod maximè in Rerumpub. mutationibus accidit: 8 nec enim ſtatim homi 8
nes mutantur, 9 ſed prioribus contenti ſunt, 10 alij alios paruis re- 9. 10.
bus ſuperantes. itaque manent priores leges, vincunt tamen qui Rempublicam mutant.

Scholia in Caput V.

1 EX paucorum potentiæ generibus, vnum eſt vt ex cenſibus mandentur magiſtratus. *Paucorum potentia quatuor eſſe genera docet. Primum, cum magiſtratus mandantur mediocriter diuitibus, & tantas modò facultates habentibus, quanta ſatis ſint ad pauperes excludendos. Alterum genus eſt, cum mandantur ex paruis etiam cenſibus, ſed paulò maioribus, & ijdem magiſtratus deligunt ſibi ſucceſſores, aut numero deficientes. Tertium genus eſt, cum à maioribus etiam nunc cenſibus mandantur, & filij patribus ſuccedunt. Quartum, cum à maximis cenſibus magiſtratus mandantur, nec paretur legibus, ſed omnia geruntur arbitrio & libidine paucorum, quæ cuncta capite ſexto accuratius explicantur.*

2 Ex cenſibus tantis. *Ea duntaxat magnitudine, quæ ſit ſatis ad egenos repellendos.*

3 Cum ex cenſibus exiguis. *Maioribus tamen quàm priores erant, vt ipſe capite ſexto declarat.*

4 Qui deſiderantur, hos ipſi cooptant. *Ipſi qui magiſtratum gerunt, deligunt eos qui morte, aut alia ratione numero deſunt.*

5 Quod ſi ex his omnibus facerent. *Si ex omni multitudine hunc cenſum habente deligerent eos qui ſuffi.iendi ſunt.*

6 Cum adeſt quod modò dictum eſt. *Cum non ſolum diuitiarum copia eſt, & filij patribus ſuccedunt, ſed omnia non ex legum praeceptis, ſed ex libidine paucorum geruntur.*
7 Perinde ſe habet. *Hac tria genera ſimilia ſunt inter ſe. Hac vltima paucorum potentia, qua dicitur dynaſtia, & tyrannis, & vltimus ſtatus popularis.*
8 Non mutantur. *Non mutant mores ſtatim.*
9 Sed prioribus contenti ſunt. *Inſtitutis & moribus.*
10 Alij alios paruis rebus ſuperantes. *Qui vicerunt, ſatis habent ſi victis ſint parum quibuſdam rebus ſuperiores, nec poſtulant, vt priora inſtituta vel mores mutentur.*

CAPVT VI.

1\. 1 TOT autem eſſe ſtatus popularis & paucorum potentiæ genera, palam fit ex his ipſis quæ memorauimus. Neceſſe eſt enim vt populi partes, de quibus diximus, vel omnes Reipub. ſint participes, vel quædam, & quædam ſecus. Cum igitur agricolæ, & qui mediocres habent fortunas, magiſtratibus præſunt, Reſpub legi-
2\. bus adminiſtratur, quoniam 2 hoc hominum genus operando viuere poteſt, otioſum eſſe non poteſt. Itaque vbi legem ſciuere, ad populariter conſultandum, neceſſarijs duntaxat ex cauſis conueniunt: alijs verò Reſpub. patet, cum ad cenſum legibus definitum per-
3\. uenerint. Nam omnino 3 non patere omnibus aditum, ad paucorum potentiam pertinet. Viuere autem in otio vectigalibus non ſuppetentibus non datur. Atque hoc quidem eſt genus vnum ſtatus
4\. popularis, propter has cauſas. Alterum genus eſt 4 per proximam rationem mandandi magiſtratus: nam fieri poteſt vt cunctis quos modo generis exceptio non excludat, aditus ad Rempub. pateat: tamen ijs tantum magiſtratus communicentur, quibus otioſis eſſe
5\. licet. itaque in tali ſtatu populari leges 5 inopia vectigalium domi-
6\. nantur. 6 Tertium genus eſt, vt omnibus Remp. gerere liceat, qui modo liberi ſint, non tamen cuncti ſint participes, ob eam quam modò diximus cauſam, vt in hac quoq; leges imperare ſit neceſſe.
7\. Quartum ſtatus popularis genus eſt, quod temporibus 7 vltimum fuit in ciuitatibus inuentum. Nam cum ciuitates ad longè maiorem amplitudinem quam initio peruenerint, abundè etiam vectigalib.
8 ſuppetentibus, omnes & 8 propter maximam multitudinem participes ſunt, & publicis muneribus fungentes, Remp. adminiſtrant,
quoni

quoniam pauperes mercedem capientes vacare poſſunt:& quidem
hæc hominum multitudo ex omnibus maximè vacat, cum eos rei
familiaris nulla cura impediat:quæ diuitib adeò eſt impedimento,
vt hac ſæpe tum à concionibus, tum à iudicijs excludantur: 9 ita 9.
Reſpub. in egenorum arbitrium non in legum poteſtatem redi-
gitur. Status igitur popularis genera tot ſunt, & talia, propter has
neceſſarias cauſas. Paucorum potentiæ primum genus eſt, 10 10.
cum plures ciues opes habent, ſed minores, nec valde magnas.
Nam huiuſmodi patrimonium poſſidentium cuique Rempub.ad-
miniſtrare licet: & quia multi ſunt eius participes, idcirco neceſſe
eſt vt non homines, ſed leges dominentur. Nam quo longius ab-
ſunt à monarchia,nec tanta patrimonia poſſident, vt curam remit-
tentes in otio viuant: nec rurſus tam exigua, vt ex publico ſint
alendi: hoc magis eſt neceſſe,vt legem potius, quàm ſe ipſos domi-
nari cenſeant.Sed ſi fuerint pauciores qui facultates habent, 11 ſi vt 11.
prius maiora tamen patrimonia poſſideant, ſecunda ſpecies effici-
tur paucorum potentiæ: nam cum vires maiores habent, plus ſibi
Reipub. vindicandum putant. Itaque ipſi collegas ex alijs ad Rem-
pub.gerendam cooptant. Sed quia nondum hactenus inualuerunt,
vt ſine lege poſſint imperare,idcirco legem huiuſmodi cōſtituunt.
Sin autem eo proceſſere, vti & pauciores ſint,& locupletiores,terti-
um paucorum potentiæ genus accreſcit, vt ipſi per ſe quidem ma-
giſtratus obeant, beneficio autem legis filij in demortuorum pa-
trum locum ſuccedant.Cum verò & opibus,& clientelis magnope-
re creuerunt, hic dominatus 12 propè ad vnius imperium accedit, 12.
& Reſpub.non lege,ſed hominum arbitrio gubernatur:& hoc pau-
corum potentiæ quartum genus, vltimo ſtatus popularis generi re-
ſpondet,atque eum æmulatur.

Scholia in Caput VI.

1 TOT autem eſſe ſtatus popularis & paucorum potentiæ genera.
Commemoratis ſtatus popularis, & item paucorum potentia generibus, ſiue ſpeciebus,eaſdem explicat accuratius,reddita cuiuſq; ratione. Primū igitur Reipub.popularis genus eſſe dicit ex paruo cēſu,cum agricolæ,& qui mediocres fortunas habent,ſumma poteſtate Rempub.gerunt,ſed lege ſuā vim retinente.Secudū genus,cū nulla cenſus habita ratione Reſpub.cōmunicatur cūctis,qui nulla generis exceptione repelli poſsūt.Tertiū,cū ſerui dūtaxat exclu-

duntur:ſed in his duobus generibus multos ipſa egeſtas & neceßitas impedit, quo minus gerendæ Reipub. vacare poßint. Quartum eſt, quum non legibus, ſed multitudinis arbitrio Reſpub. geritur, quod extitiſſe ait poſtquam ciuitates hominum multitudine, diuitijsq́; creuerunt, & merces fuit gerentibus Rempub. propoſita. Eodem modo explicat genera paucorum potentiæ. Nam primum genus eſt, cum plures gerunt Rempub. ac cenſibus non magnis, ſed qui modò pauperes repellant, lege tamen dominante. Secundum, cum pauciores, & à paulo maioribus, & ab ipſis magiſtratus cooptantur, lege quoque imperium tenente. Tertium, cum à maioribus etiamnum, nec omnino receditur à legibus, & filij parentibus ſuccedunt. Quartum, cum pauciſſimi & ditiſſimi non legibus, ſed ſua libidine rem communem gerunt, quorum omnium cauſas reddit.

2 Hoc hominum genus. *Qui mediocres habent facultates, ſi curam & rei ſuæ familiari laborem aliquem impendant, viuere poſſunt, atque alere familiam: ſi otio indulgeant, hoc facere nequeunt. Quare cum Reip quantum neceſſe fuit vacauerunt, ad opus redire coguntur, & leges dominari volunt.*

3 Non patere omnibus aditum. *Aliquod genus hominum excludi. Hic enim omnibus patet aditus agricolis, opificibus, & forenſibus, dummodo mediocres facultates habeant: qui verò excluduntur, ij non tam lege quàm neceßitate, ſuaq́; inopia excluduntur: cum vel ſi maximè velint, Rempub. adminiſtrare non valeant, cum ab operibus neceſſarijs nullo modo vacare poſſint.*

4 Per proximam rationem mandandi magiſtratus. *Poſt primam rationem quæ cenſum ſequitur, proxima eſt in ordine, quò ſuprà memorata ſunt, illa, qua nemo excluditur, niſi qui refelli generis exceptione poßit, vt ſi nothus ſit, aut non ex vtroq; parente ciue natus, aut ſaltem altero.*

5 Inopia vectigalium. *Non paupertas obeſt quominus ſæpe valeant in concionem conuenire, & decreta de rebus ſingulis facere, ac perinde placet eis vt Reſpub. ex legibus ſancitis adminiſtretur.*

6 Tertium genus eſt. *In tertio genere Reipub. popularis nemo excluditur à Repub. dummodo ſit liber, quamuis neutro parente ciue ſit procreatus, vel nothus. Itaque hoc genus cum illo congruit, quod primo loco numeratum eſt cap. iiij. ac idcirco cum illic quinque genera fuiſſent numerata, hic ad quatuor redacta ſunt. aut potius primum illud genus latius patet, & aduenas etiam & inquilinos complectitur: ad ſummam omnes liberos homines vrbem inhabitantes: quod hoc in loco idcirco prætermiſſum eſt, quia illic cauſa eius expoſita fuit, vt hic reliquorum quatuor, vt ſint quinque genera in hunc*

modum

modum diſtincta. Primum, quo nemo liber ex habitantibus vrbem excluditur à Repub ne inquilinus quidem. Secundum, quo ratio cenſus habetur. Tertium, quo quidam generis exceptione repelluntur, vt nothus, aut non vtroque parente ciue natus. Quartum, quo inquilini tantum excluduntur. Quintum, cum omnibus aditus ad Rempub. patet; & omnia non lege, ſed abitrio multitudinis geruntur. Nam in quatuor ſuperioribus leges dominari intelliguntur, accommodata ſcilicet Reipub populari.

7 Vltimum fuit inuentum. *Antiquitus enim propter publicam inopiam non erat merces Rempub. adminiſtrantibus propoſita.*

8 Propter maximam multitudinem. *Quia multitudo popularis cum maxima ſit, multo potentior eſt, quàm nobiles & diuites, vt ab his nemo popularis prohiberi poßit, quo minus Remp. capeſſat.*

9 Ita Reſp. in egenorum arbitrium, non in legum poteſtatem redigitur. *Quia egeni cum mercedis beneficio vacare poßint, nec cura rei familiaris impediantur, frequentius in concionẽ conueniunt, & de cunctis rebus populariter conſultare volunt: & cum ſint plures numero, ratum eſt quod ipſis placet: itaque omnia decretis adminiſtrantes, legibus locum non relinquunt.*

10 Cum plures ciues opes habent, ſed minores. *Vtrunque ad proximum, ſiue ſecundum genus refertur. Nam in primo plures ſunt ciues locupletes qui Rempub. adminiſtrant, & minores opes habent quàm in ſecundo, & in hoc quàm in tertio; & in cæteris eodem modo.*

11 Si vt prius. *Si facultates non valde magnæ ſint, vt primorum, ſed aliquanto maiores. Huiuſmodi legem conſtituunt, vt à gerentibus Rempub. deficientes magiſtratus ſufficiantur.*

12 Propè ad vnius imperium accedit. *Ad tyrannidem.*

CAPVT VII.

1 SED præter ſtatum popularem, & paucorum potentiam, duo 1.
Reipub. genera ſunt, 2 quorum alterum memorant omnes, & v- 2.
num genus eſſe quatuor rerumpublicarum dictum eſt. Quatuor verò genera memorantur, imperium vnius, paucorum potentia, ſtatus popularis: Græci monarchiam, oligarchiam, ac democratiam dicunt, & quartum ſtatus optimatum, quæ Græcis eſt ariſtocratia. Quintum genus eſt, quæ cunctarum communi vocabulo Reſpub. nominatur: tamen quia non ſæpe fit, ignotum eſt his qui rerum publicarum genera commemorare conantur: & quatu-

 or dum-

euntur virtute vera prӕditi: boni verò pro ratione finis, qui aliqua facultate instructi ſunt ad eum finem conſequendum. hic igitur bonos viros vt ad finem referuntur, appellat: bonos ciues pro cuiuſque Reip. etiam deprauata ratione. nam poſitio quæ græcè eſt ὑπόθεσις, *quo verbo hic vtitur Ariſtoteles, interdum finem propoſitum ſignat, quo facultas ſi aptè referatur, virtus ex poſitione ſiue fine dicitur.*

4. Ab vtroque differt. *A paucorum potentia, & Repub. vocata.*

5. Vbi ergo reſp. *Tria genera ſtatus optimatum facit, præter illud optimum & maximè proprium, quorum vnum eſt, vbi in mandandis magiſtratibus, diuitiarum & virtutis populiq́; habetur ratio. Alterum, vbi virtutis & populi. Tertium, quo Reſpublica communi vocabulo dicta, in paucorum potentiam inclinantes continentur.*

CAPVT VIII.

1 RELIQVVM eſt, vt 2 de nominata Rep. deque tyrannide diſ- 1. 2.
feramus: quem ordinem idcirco ſecuti ſumus, quoniam licet nec
Reſpublica, nec ij, de quibus modo diximus, ſtatus optimatum aber-
rationes ſint: tamen 3 ſi verum quærimus, omnes 4 à rectiſſima Rei 3. 4.
publicæ ratione deflexerunt: deinde 5 connumerantur cum his, 5.
& 6 hæ ſunt ipſarum, vt principio diximus, digreſſiones. Sed de 6.
tyrannide, iurè poſtremo loco mentionem fecimus, quoniam
hæc 7 minimè omnium Reipublicæ rationem attingit. Nos au- 7.
tem de Republica diſſerendi negotium ſuſcepimus, ac huius quidem ordinis, diſpoſitioniſque cauſam expoſuimus: poſthac de Republica diſputabimus: eius enim vis, explicatis quæ ad paucorum potentiam & ſtatum popularem pertinent, facilius intel-
ligetur. Eſt enim Reſpub. 8 vt ſimpliciter loquar, quædam ex pau- 8.
corum potentia, & ſtatu populari temperatura. Cæterum quæ ad rationem popularem inclinant, hæ ſolent Reſpub. nuncupari:
ſtatus verò optimatum, quę magis ad paucorum potentiam, 9 pro- 9.
pterea quod diſciplina, ſiue recta educatio & generis nobilitas, ma-
gis ſunt locupletiorum comites. Præterea 10 res, quarum cauſa 10.
ſolent homines ad iniuriam inferendam impelli, diuitibus adeſſe
videntur: quo fit, vt eos virtute præſtantes, ac nobiles appellent. 11 11.
Eſt igitur cauſa, quoniā ſtatus optimatum optimis quibuſque ciuibus præſtantiam tribuere ſolet: & paucorum potentia ex virtute præſtantib. potius videtur conſtare. Porro fieri non poſſe videtur,

vt rectè

vt rectè ex legibus adminiſtretur ciuitas, non quæ optimis, ſed quæ à prauis ciuibus gubernatur. Eodemque modo, vt optimorum imperio gubernetur, quæ non rectè ex legibus adminiſtratur. Neque verò bona ex legibus adminiſtratio eſt, vt bonæ ſint leges, nec tamen ei obtemperetur. Itaque vna bona ex legibus adminiſtratio
12. putari debet, 12 impoſitis legibus parere. Altera rectas eſſe leges, & harum decretis ſtare. Nam fieri poteſt, vt prauis etiam legibus pareatur. Hoc autem fieri bifariam poteſt: leges enim quibus homi-
13. nes parent, aut optimæ ſunt 13 ex his quibus ipſi vti valent, aut ſimpliciter optimæ. In hoc autem potiſſimum ſtatus optimatum poſitus eſſe videtur, vt honores virtuti tribuantur. Nam finis optimatum Reipublicæ virtus eſt: paucorum potentiæ, opes: populi verò, libertas. Vt enim vincat plurium ſententia, Rebuſpublicis omnibus eſt commune, quoniam in paucorum potentia, in ſtatu optimatum, & populari, quod eorum qui Rempublicam gerunt, maiori
14 parti viſum fuerit, id ratum eſt. In pleriſque igitur ciuitatibus 14 Reipublicæ genus nominatur. Sola enim mixtio locupletum, & egenorum, ad opes & libertatem ſpectat, quoniam apud pleroſque
15. 15 diuites virtute præſtantium locum habere videntur. Sed quoni-
16. am tria ſunt quæ 16 de Reipublicæ paritate certant, libertas, diui-
17. tiæ, virtus, (17 nam generis nobilitas, quæ quarto loco numeratur, duorum eſt comes: eſt enim generis nobilitas, veteres opes, atque virtus.) ſatis intelligitur duorum generum locupletum ac egenorũ mixtionem eſſe Remp. appellandam, trium autem ſtatum optimatum maximè omnium vocari debere, præter illam veram & primã optimatum gubernationem. Eſſe igitur alia genera præter vnius, ac populare paucorumque imperium expoſuimus: & quo inter ſe optimatum gubernationes, & quo Reſpublicæ ab optimatum adminiſtratione differant: & hęc genera non longè inter ſe diſtare declarauimus.

Scholia in Caput. VIII.

1 RELIQVVM eſt, vt de nominata Repub. deque tyrannide diſſeramus. *Reddita ratione ordinis diſputandi de Reipub. generibus, de Repub. diſſerit, quæ ſic communi vocabulo nominatur. Eſt igitur Reſp. adminiſtratio quædam ciuilis, ex paucorum potentia & ſtatu populari conflata: quæ compoſitio ſeu temperatura cum ad popularem inclinat, Reſpub. dicitur;*

cum

tum verò ad paucorum potentiam, ſtatus optimatum: quoniam virtus & nobilitas diuitias magna ex parte affectantur. Item eam ciuitatem bene legibus inſtitutam eſſe dicit, in qua non ſolum bonæ leges ſunt, ſed etiam legibus ipſis obtemperatur. Tria ſunt, inquit, quæ de paritate in Repub. certant, libertas, diuitiæ, virtus. Diuitum autem & egenorum mixtio Reſpub. nominatur: omnium verò trium temperatura, ſtatus optimatum dicitur.

2 De nominata Repub. *Quæ cunctis communi vocabulo Reſpub. dicitur.*

3 Si verum quærimus. *Re uera itaque non ſine cauſa de Repub. & duabus ſtatus optimatum ſpeciebus diſputatur, cum de generibus erratu differitur.*

4 A rectiſsima Reipub ratione. *A regno & ſtatu optimatum potiſſimo, quia vtrunque in optima Repub. continetur: nam de his diſputare, vt ſuprà dixit cap. ij. nihil eſt aliud, quàm de optimo ſtatu Reipub. differere.*

5 Connumerantur cum his *Cum aberrationibus.*

6 Hæ ſunt ipſarum digreſſiones. *Hæ, id eſt cæteræ omnes ſunt ab ipſis regno ſcilicet, & optimatum rectiſſima Rep. digreſſiones & aberrationes.*

7 Minimè omnium Reipub. rationem attingit. *Quoniam minimè omnium ordinem ſeruat, in quo ratio Reipub. conſiſtit, minimè legibus paret: quæ vbi non ſeruantur, nulla eſt Reſpub. vt ſuprà dixit cap. iiij.*

8 Vt ſimpliciter loquar. *Summatim, nec accuratiſſimam rationem explicando.*

9 Propterea quod diſciplina & generis nobilitas magis ſunt locupletiorum comites. *Diſciplina & nobilitas in locupletibus magis quàm in pauperibus reperiuntur, quod græcè eſt παιδεία, latinè autem diſciplina, quam ſæpe Ariſtoteles in mentione ciuilium facultatum nominat, dupliciter intelligitur. vno enim modo peritiam quandam & conſuetudinem legibus ab ineunte ætate parendi ſignificat, quod pertinet ad rectam educationem, & virtutis vſum: homines enim quædam aſſueſcendo, quædam audiendo diſcunt vt ipſe ait libro ſeptimo, cap. xiij. altero modo doctrinarũ cognitionem, quæ homines nobilitat, idoneoſq́; ad remp. gerendam reddit, aut ciues probis moribus ac præceptis inſtituendos, quæ & ipſa facultas magna ex parte diuitias ſequitur, pauperibus otio ad ſtudium literarum non ſuppetente.*

10 Res quarum cauſa ſolent, &c. *Solent homines ad iniuriam inferendam impelli, modò vt pecunias aſſequantur, & alia commoda: modò vt fruantur voluptatibus, & ſimilibus rebus quæ diuitibus adſunt.*

11 Eſt igitur cauſa. *Cur ſcilicet tales Reſpub. cum ad paucorum potentiam inclinant, dicantur ſtatus optimatum.*

12 Impoſitis legibus parere. *Siue bonæ, ſiue malæ ſint.*

13 Ex ijs quibus ipſi vti valent. *Optima ex his legibus quæ conueniunt ſtatui Reipub. quo ipſi vti poſſunt: nec enim omnibus datum eſt, vt vtantur optimo ſtatu Reipub. rebus ſcilicet neceſſarijs, & commodis non ſuppetentibus.*

14 Reipub. genus nominatur. *Adminiſtratio ciuilis Reſpub. vocatur.*

15 Diuites virtute præſtantium locum habere videntur. *Locupletes pro viris optimis habentur.*

16 De paritate Reipub. certant. *Nam his rebus præditi ſibi quiſq; pares alteri honores & commoda in Republica deberi contendunt.*

17 Nobilitas generis duorum eſt comes. *Diuitiarum & virtutis: nobilitas enim diuitias, & virtutem ſequitur.*

CAPVT IX.

1\. 1 DEINCEPS de Repub. vocata, quomodo ex populari, & pau-
corum potentia fiat, & qua ratione conſtitui debeat, diſſeramus:
quod ex ijs quoque perſpicuum fiet, quibus ſtatus popularis, & pau-
2\. corum potentia definiuntur: facta enim harum partitione, 2 ex v-
traque velut ſimbolum accipientes, Remp. conſtituere debemus.
Tres enim ſunt compoſitionis & temperaturæ termini. Vnus, ſi
vtriuſque inſtituta ſumantur, vt in iudicijs, quoniam in paucorum
potentijs diuitibus pœnam conſtituunt, ſi iudicia non exerceant,
egenis merces nulla propoſita eſt: in ſtatibus popularibus egenis
merces conſtituta, diuitib. nulla mulcta: quorum commune ac me-
3\. dium, ac proinde Reipub conſentaneum eſt, vt 3 vtrunque conſti-
tuatur, cum ex vtraque temperetur. Hic igitur eſt vnus copulandi
modus. Alter, vt medium ſumatur eorum quæ ab vtraque ſanciun-
4\. tur, 4 vt in concionibus, quibus intereſſe licet per alios ex nullo
vel tenui admodum cenſu: per alios ex magnis opibus, quorum,
5\. neutrum eſt commune, ſed 5 medium vtriuſque cenſus. Tertia ra-
tio Reipub eſt ex duobus inſtitutis conflata, vt partim ex lege
conueniente paucorum potentiæ ſumatur, partim ex ea quæ per-
tinet ad ſtatum popularem. Verbi gratia, ad ſtatum popularem
magiſtratus ſortibus mandare pertinet, ſuffragijs verò ad pauco-
rum potentiam: item non ex cenſu mandare populari conuenit,
ex cenſu autem paucorum potentiæ. Fuerit igitur optimatum ſta-
tui, atque Reipublicæ conueniens, vt aliquid ex vtraque ſumatur:
ex paucorũ potẽtia, vt ſuffragio mandẽtur magiſtratus: ex popula-

ri ſtatu, vt cenſus ratio non habeatur. Hic eſt igitur miſtionis ac temperaturæ modus. Tunc autem ſtatus popularis, & paucorum potentia rectè temperati eſſe ſtatuuntur, cum eandem Rempublicam tum popularem ſtatum, tum paucorum potentiam nominare licet. Nec dubium eſt, quin 6 variæ appellationis occaſio inde 6.
naſcatur, quia ſit probè temperata : quod 7 in medio quoque ſolet 7.
vſu venire, quoniam in eo vtrunque extremum apparet : quod accidit in Lacedæmoniorum Rempublicam : hanc enim multi popularem eſſe contendunt, propterea quòd ſic inſtituta eſt, vt habeat multa quæ pertinent ad ſtatum popularem : primum pueros aliendi rationem : quippe ſimiliter diuitum filij atque pauperum 8 aluntur, inſtituunturque eodem modo quo poſſent filij 8.
pauperum inſtitui : & pari ratione cum 9 in proximam ætatem a- 9.
doleuerint, & item cum ad virilem peruenerint. Nihil eſt enim quo diues à paupere diſcernatur, vſque adeò nullum eſt ciborum in comeſſationibus diſcrimen: atque ea veſte diuites vtuntur, quam pauperum quiuis ſibi comparare queat. Præterea quoniam ex duobus maximis magiſtratibus alter mandatur ſuffragio populi, alter etiam populo communicatur. Nam Senatores à populo deliguntur, idemque populus 10 particeps eſt ephoriæ. Alij pauco- 10.
rum potentiam eandem eſſe confirmant, quia multa in ea ſunt paucorum imperio conuenientia, quale illud, quod magiſtratus nullus ſortito, ſed omnes ſuffragio mandantur: quódque penes paucos eſt vitæ, necisque poteſtas, & exilij, & aliorum talium quæ multa ſunt. Oportet autem vt in Republica probè temperata, vtrunque & neutrum eſſe videatur, ac vt per ſe conſeruetur, non extrinſecus: per ſe, inquam, non quòd plures extrinſecus ſint qui eam ſaluam velint, (11 hoc enim prauæ quoque Reip. poteſt con- 11.
tingere) ſed quòd nulla prorſus pars ciuitatis ſit, quæ aliam Reip. formam deſideret. Quo modo igitur Remp. conſtituere conueniat, & item ſtatus quos optimatum vocant, nunc explicuimus.

Scholia in Caput. IX.

1 DEINCEPS de Repub. vocata. *Docet quomodo Reſpub. quæ ſic communi vocabulo dicitur, ex varijs generibus, id eſt populari, & paucorum potentia conſtituatur, quod tripliciter fieri poſſe declarat. Primum ſi vtriuſque inſtituta ſiue leges accipiantur: deinde ſi medium eorum : tertio, ſi par-*

tim ex vna, partim ex altera inſtituta ſumantur. Erit autem temperatio tunc optima ratione facta, cum eadem Reſpub ſtatus popularis, eadem paucorum potentia eſſe videbitur, tum hoc, tum illud: modo vtrunq́, modo neutrum.

2 Ex vtraque velut ſymbolum accipientes. *Partem vtriuſq́ communem conferentes. Nam ſymbolum eſt, quod contribuitur ad rem communem, vt cum ſodales ſuam quiſque partem conferunt ad conuiuium.*

3 Vtrunque conſtituatur. *Pœna diuitibus, niſi munus publicum obeant: merces pauperibus, ſi obeant.*

4 Vt in concionibus. *In popularibus deliberationibus.*

5 Medium vtriuſque cenſus. *Vt à mediocri cenſu magiſtratibus mandentur.*

6 Variæ appellationis occaſio. *Vt tum ſtatus popularis, tum paucorum potentia nominetur.*

7 In medio quoque ſolet vſu venire. *Vt in liberalitate quæ media eſt inter prodigalitatem & auaritiam. Nam liberalis comparatus prodigo, auarus eſſe videtur: viciſſimq́ prodigus, ſi cum auaro conferatur.*

8 Aluntur, inſtituunturque. *Alterum ad cibum pertinet, alterum ad diſciplinam & educationem.*

9 In proximam ætatem. *In adoleſcentiam.*

10. Particeps eſt Ephoriæ. *Quoniam Ephori, qui numero erant quinque, ex omni populo deligebantur.*

11 Hoc enim prauæ Reipub. poteſt contingere. *Vt Athenis triginta præfectorum tyrannidi ſeu dynaſtia, quam Lacedæmonij qui eos impoſuerant, ſaluam eſſe volebant: per ſe autem conſeruari, propterea quòd nulla pars ciuitatis aliam Reipub formam deſideraret: ſed ſint omnes præſenti ſtatu contenti, non poteſt, niſi recta Republica contingere.*

CAPVT X.

1. 1 SVPEREST vt de tyrannide diſſeramus, non quòd longam ora-
tionem deſideret, ſed ne in commentatione quam de Republica
2. ſuſcepimus, parte ſua fraudari videatur, cum ipſam 2 Rerumpu-
3. blicarum partem eſſe ſtatuamus. 3 De regno igitur ſuperiore libro
diſputauimus, quo in loco de regno, quod maximè dicitur, ſit ne
inutile, an ciuitatibus conducat, diſſeruimus: & quem regem, & vn-
de, & quomodo conſtituere oporteat, declarauimus. Tyrannidem
4 autem in quæſtione de regno in duo genera partiti ſumus, 4 quia

horum

horum poteſtas & regnum quodammodo alterum pro altero ſu-
mitur: quoniam vtrunque imperium legitimum eſt. Sunt enim
barbaræ quædam nationes, quæ 5 monarchas cum ſumma poteſta- 5.
te deligunt, & antiquitus inter Græcos veteres quidam ad hūc mō-
dum monarchæ fiebant, quos Aeſymnetas ab imperando nomina-
bant. Habent autem hæc imperia differentias inter ſe: 6 erantq; re- 6.
gia, tūm quia legitima, tum quia vnus in volentes imperium tene-
bat: tyrannica verò, quoniam herile imperium exercebant arbitra-
tu ſuo. Tertium genus eſt tyrannidis, quæ maximè tyrannis eſſe
videtur, quæque regno eſt oppoſita: quam tyrannidem monarchi-
am eſſe neceſſe eſt, quæ 7 ſine prouocatione 8 in ſimiles atque me- 7. 8.
liores omnes imperium tenet, ipſumque in ſuam, non in eorum
quibus pręeſt vtilitatem refert, ac proinde inuitis imperat: 9 Nemo 9.
enim ingenuus tale imperium ſua voluntate ferat. Hæc igitur &
tot numero ſunt tyrannidis genera, & propter cauſas memoratas.

Scholia in Caput X.

1 SVPEREST vt de tyrannide diſſeramus. *Tyrannis quanquam rationem Reipub. vt ſuprà dictum eſt, non habet, cum leges in ea vim non habeant, ſed omnia vnius libidine adminiſtrantur: tamen inter deprauatas Reipub formas annumerari ſolet. Tyrannis autem non vna eſt, ſed multiplex. Nam regna Barbarorum & Græcorum Aeſymnetia licet volentibus legéque imperent, & hac parte regnum imitentur; tamen quoniam herile imperium in bonos etiam & meliores exercent; idcircò tyrannides eſſe dicuntur. Propriè tamen tyrannis intelligitur, quæ in liberos inuitos herile imperium exercet.*

2 Rerump. partem. *Reip. ſpeciem quandam deprauatam.*

3 De regno, quod maximè dicitur. *De regno pleno, vbi vnus ſummam rerum omnium poteſtatem & vicem totius Reipub. tenet.*

4 Quia horum poteſtas, & regnum quodammodo alterum pro altero ſumitur. *Regum Barbarorum & Aeſymnetarum qui ad hunc modum ſunt tyranni poteſtas regnum, & ipſi Reges nominantur, quia lege & volentibus imperant: viciſſimq; Reges tyranni quandoque dicuntur, propter horum ſimilitudinem. Vnde antiquitus tyranni nomen non erat inuidioſum, quin & Ariſtotelis memoria, quidam, vt Iſocrates, ſæpe tyrannum pro rege dicebant, quod poetæ tum Græci, tum etiam Latini factitarunt.*

5 Monarchias cum ſumma poteſtate. *Monarcha dicitur qui ſolus habet*

 imperi-

tim ex vna, partim ex altera inſtituta ſumantur. Erit autem temperatio tunc optima ratione facta, cum eadem Reſpub ſtatus popularis, eadem paucorum potentia eſſe videbitur, tum hoc, tum illud: modo vtrunq;, modo neutrum.

2 Ex vtraque velut ſymbolum accipientes. *Partem vtriuſq; commune conferentes. Nam ſymbolum eſt, quod contribuitur ad rem communem, vt cum ſodales ſuam quiſque partem conferunt ad conuiuium.*

3 Vtrunque conſtituatur. *Pœna diuitibus, niſi munus publicum obeant: merces pauperibus, ſi obeant.*

4 Vt in concionibus. *In popularibus deliberationibus.*

5 Medium vtriuſque cenſus. *Vt à mediocri cenſu magiſtratibus mandentur.*

6 Variæ appellationis occaſio. *Vt tum ſtatus popularis, tum paucorum potentia nominetur.*

7 In medio quoque ſolet vſu venire. *Vt in liberalitate quæ media eſt inter prodigalitatem & auaritiam. Nam liberalis comparatus prodigo, auarus eſſe videtur: viciſſimq; prodigus, ſi cum auaro conferatur.*

8 Aluntur, inſtituunturque. *Alterum ad cibum pertinet, alterum ad diſciplinam & educationem.*

9 In proximam ætatem. *In adoleſcentiam.*

10 Particeps eſt Ephoriæ. *Quoniam Ephori, qui numero erant quinque: ex omni populo deligebantur.*

11 Hoc enim prauæ Reipub. poteſt contingere. *Vt Athenis triginta præfectorum tyrannidi ſeu dynaſtia, quam Lacedamonij qui eos impoſuerant, ſaluam eſſe volebant: per ſe autem conſeruari, propterea quòd nulla pars ciuitatis aliam Reipub. formam deſideret: ſed ſint omnes præſenti ſtatu contenti, non poteſt, niſi rectæ Reipublicæ contingere.*

CAPVT X.

1. 1 SVPEREST vt de tyrannide diſſeramus, non quòd longam orationem deſideret, ſed ne in commentatione quam de Republica
2. ſuſcepimus, parte ſua fraudari videatur, cum ipſam 2 Rerumpu-
3. blicarum partem eſſe ſtatuamus. 3 De regno igitur ſuperiore libro diſputauimus, quo in loco de regno, quod maximè dicitur, ſit ne inutile, an ciuitatibus conducat, diſſeruimus: & quem regem, & vnde, & quomodo conſtituere oporteat, declarauimus. Tyrannidem
4 autem in quæſtione de regno in duo genera partiti ſumus, 4 quia

horum

horum poteſtas & regnum quodammodo alterum pro altero ſu-
mitur: quoniam vtrunque imperium legitimum eſt. Sunt enim
barbaræ quædam nationes, quæ 5 monarchas cum ſumma poteſta- 5.
te deligunt,& antiquitus inter Græcos veteres quidam ad húc mò-
dum monarchæ fiebant, quos Aeſymnetas ab imperando nomina-
bant. Habent autem hæc imperia differentias inter ſe:6 erantq́; re- 6.
gia, tùm quia legitima, tum quia vnus in volentes imperium tene-
bat:tyrannica verò,quoniam herile imperium exercebant arbitra-
tu ſuo. Tertium genus eſt tyrannidis, quæ maximè tyrannis eſſe
videtur,quæq́ue regno eſt oppoſita:quam tyrannidem monarchi-
am eſſe neceſſe eſt, quæ 7 ſine prouocatione 8 in ſimilès atque me- 7. 8.
liores omnes imperium tenet, ipſumq́ue in ſuam, non in eorum
quibus præeſt vtilitatem refert,ac proinde inuitis imperat:9 Nemo 9.
enim ingenuus tale imperium ſua voluntate ferat. Hæc igitur &
tot numero ſunt tyrannidis genera, & propter cauſas memoratas.

Scholia in Caput X.

1 SVPEREST vt dè tyrannide diſſeramus. *Tyrannis quanquam rationem Reipub. vt ſuprà dictum eſt, non habet, cum leges in ea vim non habeant, ſed omnia vnius libidine adminiſtrantur: tamen inter deprauatas Reipub formas annumerari ſolet. Tyrannis autem non vna eſt, ſed multiplex. Nam regna Barbarorum & Græcorum Aeſymnetia licet volentibus legéque imperent, & hac parte regnum imitentur, tamen quoniam herile imperium in bonos etiam & meliores exercent, idcircò tyrannides eſſe dicuntur. Propriè tamen tyrannis intelligitur, quæ in liberos inuitos herile imperium exercet.*

2 Rerump. partem. *Reip. ſpeciem quandam deprauatam.*

3 De regno, quod maximè dicitur. *De regno pleno, vbi vnus ſummam rerum omnium poteſtatem & vicem totius Reipub. tenet.*

4 Quia horum poteſtas, & regnum quodammodo alterum pro altero ſumitur. *Regum Barbarorum & Aeſymnetarum qui ad hunc modum ſunt tyranni poteſtas regnum, & ipſi Reges nominantur, quia lege & volentibus imperant: viciſſimq́; Reges tyranni quandoque dicuntur, propter horum ſimilitudinem. Vnde antiquitus tyranni nomen non erat inuidioſum, quin & Ariſtotelis memoria, quidam, vt Iſocrates, ſæpe tyrannum pro rege dicebant, quod poetæ tum Græci, tum etiam Latini factitarunt.*

5 Monarchias cum ſumma poteſtate. *Monarcha dicitur qui ſolus habet*

tim ex vna, partim ex altera inſtituta ſumantur. Erit autem temperatio tunc optima ratione facta, cum eadem Reſpub ſtatus popularis, eadem paucorum potentia eſſe videbitur, tum hoc, tum illud: modo vtrunq;, modo neutrum.

2 Ex vtraque velut ſymbolum accipientes. *Partem vtriuſq; commune conferentes. Nam ſymbolum eſt, quod contribuitur ad rem communem, vt cum ſodales ſuam quiſque partem conferunt ad conuiuium.*

3 Vtrunque conſtituatur. *Pœna diuitibus, niſi munus publicum obeant: merces pauperibus, ſi obeant.*

4 Vt in concionibus. *In popularibus deliberationibus.*

5 Medium vtriuſque cenſus. *Vt à mediocri cenſu magiſtratibus mandentur.*

6 Variæ appellationis occaſio. *Vt tum ſtatus popularis, tum paucorum potentia nominetur.*

7 In medio quoque ſolet vſu venire. *Vt in liberalitate quæ media eſt inter prodigalitatem & auaritiam. Nam liberalis comparatus prodigo, auarus eſſe videtur: viciſſimq; prodigus, ſi cum auaro conferatur.*

8 Aluntur, inſtituunturque. *Alterum ad cibum pertinet, alterum ad diſciplinam & educationem.*

9 In proximam ætatem. *In adoleſcentiam.*

10 Particeps eſt Ephoriæ. *Quoniam Ephori, qui numero erant quinque: ex omni populo deligebantur.*

11 Hoc enim prauæ Reipub. poteſt contingere. *Vt Athenis triginta praefectorum tyrannidi ſeu dynaſtia, quam Lacedæmonij qui eos impoſuerant, ſaluam eſſe volebant: per ſe autem conſeruari, propterea quòd nulla pars ciuitatis aliam Reipub. formam deſideret: ſed ſint omnes præſenti ſtatu contenti, non poteſt, niſi rectæ Reipublicæ contingere.*

CAPVT X.

1. 1 SVPEREST vt de tyrannide diſſeramus, non quòd longam orationem deſideret, ſed ne in commentatione quam de Republica
2. ſuſcepimus, parte ſua fraudari videatur, cum ipſam 2 Rerumpu-
3. blicarum partem eſſe ſtatuamus. 3 De regno igitur ſuperiore libro diſputauimus, quo in loco de regno, quod maximè dicitur, ſit ne inutile, an ciuitatibus conducat, diſſeruimus: & quem regem, & vnde, & quomodo conſtituere oporteat, declarauimus Tyrannidem
4. autem in quæſtione de regno in duo genera partiti ſumus, 4 quia

horum

horum poteſtas & regnum quodammodo alterum pro altero ſumitur: quoniam vtrunque imperium legitimum eſt. Sunt enim barbaræ quædam nationes, quæ 5 monarchas cum ſumma poteſtate deligunt, & antiquitus inter Græcos veteres quidam ad húc modum monarchæ fiebant, quos Aeſymnetas ab imperando nominabant. Habent autem hæc imperia differentias inter ſe: 6 erantq́; regia, tùm quia legitima, tum quia vnus in volentes imperium tenebat: tyrannica verò, quoniam herile imperium exercebant arbitratu ſuo. Tertium genus eſt tyrannidis, quæ maximè tyrannis eſſe videtur, quæq́ue regno eſt oppoſita: quam tyrannidem monarchiam eſſe neceſſe eſt, quæ 7 ſine prouocatione 8 in ſimiles atque meliores omnes imperium tenet, ipſumq́ue in ſuam, non in eorum quibus prꝗeſt vtilitatem refert, ac proinde inuitis imperat. 9 Nemo enim ingenuus tale imperium ſua voluntate ferat. Hæc igitur & tot numero ſunt tyrannidis genera, & propter cauſas memoratas.

5. 6. 7. 8. 9.

Scholia in Caput X.

1 SVPEREST vt dè tyrannide diſſeramus. *Tyrannis quanquam rationem Reipub. vt ſuprà dictum eſt, non habet, cum leges in ea vim non habeant, ſed omnia vnius libidine adminiſtrantur: tamen inter deprauatas Reipub formas annumerari ſolet. Tyrannis autem non vna eſt, ſed multiplex. Nam regna Barbarorum & Græcorum Aeſymnetia licet volentibus legéque imperent, & hac parte regnum imitentur; tamen quoniam herile imperium in bonos etiam & meliores exercent, idcircò tyrannides eſſe dicuntur. Propriè tamen tyrannis intelligitur, quæ in liberos inuitos herile imperium exercet.*

2. Rerump. partem. *Reip. ſpeciem quandam deprauatam.*

3 De regno, quod maximè dicitur. *De regno pleno, vbi vnus ſummam rerum omnium poteſtatem & vicem totius Reipub. tenet.*

4 Quia horum poteſtas, & regnum quodammodo alterum pro altero ſumitur. *Regum Barbarorum & Aeſymnetarum qui ad hunc modum ſunt tyranni poteſtas regnum, & ipſi Reges nominantur, quia lege & volentibus imperant: viciſſimq́; Reges tyranni quandoque dicuntur, propter horum ſimilitudinem. Vnde antiquitus tyranni nomen non erat inuidioſum, quin & Ariſtotelis memoria, quidam, vt Iſocrates, ſæpe tyrannum pro rege dicebant, quod poetæ tum Græci, tum etiam Latini factitarunt.*

5 Monarchias cum ſumma poteſtate. *Monarcha dicitur qui ſolus habet*

tim ex vna, partim ex altera inſtituta ſumantur. Erit autem temperatio tunc optima ratione facta, cum eadem Reſpub ſtatus popularis, eadem paucorum potentia eſſe videbitur, tum hoc, tum illud: modo vtrunq, modo neutrum.

2 Ex vtraque velut ſymbolum accipientes. *Partem vtriuſq, commune conferentes. Nam ſymbolum eſt, quod contribuitur ad rem communem, vt cum ſodales ſuam quiſque partem conferunt ad conuiuium.*

3 Vtrunque conſtituatur. *Pœna diuitibus, niſi munus publicum obeant: merces pauperibus, ſi obeant.*

4 Vt in concionibus. *In popularibus deliberationibus.*

5 Medium vtriuſque cenſus. *Vt à mediocri cenſu magiſtratibus mandentur.*

6 Variæ appellationis occaſio. *Vt tum ſtatus popularis, tum paucorum potentia nominetur.*

7 In medio quoque ſolet vſu venire. *Vt in liberalitate quæ media eſt inter prodigalitatem & auaritiam. Nam liberalis comparatus prodigo, auarus eſſe videtur: viciſſimq, prodigus, ſi cum auaro conferatur.*

8 Aluntur, inſtituunturque. *Alterum ad cibum pertinet, alterum ad diſciplinam & educationem.*

9 In proximam ætatem. *In adoleſcentiam.*

10 Particeps eſt Ephoriæ. *Quoniam Ephori, qui numero erant quinque: ex omni populo deligebantur.*

11 Hoc enim prauæ Reipub. poteſt contingere. *Vt Athenis triginta præfectorum tyrannidi ſeu dynaſtia, quam Lacedæmonij qui eos impoſuerant, ſaluam eſſe volebant: per ſe autem conſeruari, propterea quòd nulla pars ciuitatis aliam Reipub formam deſideret: ſed ſint omnes præſenti ſtatu contenti, non poteſt, niſi recta Republica contingere.*

CAPVT X.

1 1 SVPEREST vt de tyrannide diſſeramus, non quòd longam orationem deſideret, ſed ne in commentatione quam de Republica
2. ſuſcepimus, parte ſua fraudari videatur, cum ipſam 2 Rerumpu-
3. blicarum partem eſſe ſtatuamus. 3 De regno igitur ſuperiore libro diſputauimus, quo in loco de regno, quod maximè dicitur, ſitne inutile, an ciuitatibus conducat, diſſeruimus: & quem regem, & vnde, & quomodo conſtituere oporteat, declarauimus. Tyrannidem
4 autem in quæſtione de regno in duo genera partiti ſumus, 4 quia horum

horum poteſtas & regnum quodammodo alterum pro altero ſu-
mitur: quoniam vtrunque imperium legitimum eſt. Sunt enim
barbaræ quædam nationes, quæ 5 monarchas cum ſumma poteſta- 5.
te deligunt, & antiquitus inter Græcos veteres quidam ad hũc mo-
dum monarchæ fiebant, quos Aeſymnetas ab imperando nomina-
bant. Habent autem hæc imperia differentias inter ſe: 6 erantq́; re- 6.
gia, tum quia legitima, tum quia vnus in volentes imperium tene-
bat: tyrannica verò, quoniam herile imperium exercebant arbitra-
tu ſuo. Tertium genus eſt tyrannidis, quæ maximè tyrannis eſſe
videtur, quæque regno eſt oppoſita: quam tyrannidem monarchi-
am eſſe neceſſe eſt, quæ 7 ſine prouocatione 8 in ſimiles atque me- 7. 8.
liores omnes imperium tenet, ipſumq́ue in ſuam, non in eorum
quibus preeſt vtilitatem refert, ac proinde inuitis imperat: 9 Nemo 9.
enim ingenuus tale imperium ſua voluntate ferat. Hæc igitur &
tot numero ſunt tyrannidis genera, & propter cauſas memoratas.

Scholia in: Caput X.

1 SVPEREST vt de tyrannide diſſeramus. *Tyrannis quanquam rationem Reipub. vt ſuprà dictum eſt, non habet, cum leges in ea vim non habeant, ſed omnia vnius libidine adminiſtrantur: tamen inter deprauatas Reipub formas annumerari ſolet. Tyrannis autem non vna eſt, ſed multiplex. Nam regna Barbarorum & Græcorum Aeſymnetia licet volentibus legéque imperent, & hac parte regnum imitentur; tamen quoniam herile imperium in bonos etiam & meliores exercent, idcircò tyrannides eſſe dicuntur. Propriè tamen tyrannis intelligitur; quæ in liberos inuitos herile imperium exercet.*

2. Rerump: partem. *Reip. ſpeciem quandam deprauatam.*

3 De regno, quod maximè dicitur. *De regno pleno, vbi vnus ſummam rerum omnium poteſtatem & vicem totius Reipub. tenet.*

4 Quia horum poteſtas, & regnum quodammodo alterum pro altero ſumitur. *Regum Barbarorum & Aeſymnetarum qui ad hunc modum ſunt tyranni poteſtas regnum, & ipſi Reges nominantur, quia lege & volentibus imperant: viciſſimq́; Reges tyranni quandoque dicuntur, propter horum ſimilitudinem. Vnde antiquitus tyranni nomen non erat inuidioſum, quin & Ariſtotelis memoria, quidam, vt Iſocrates, ſæpe tyrannum pro rege dicebant, quod poetæ tum Græci, tum etiam Latini factitarunt.*

5 Monarchias cum ſumma poteſtate. *Monarcha dicitur qui ſolus habet*

vt rectè ex legibus adminiſtretur ciuitas, non quæ optimis, ſed quæ à prauis ciuibus gubernatur. Eodemque modo, vt optimorum imperio gubernetur, quæ non rectè ex legibus adminiſtratur. Neque verò bona ex legibus adminiſtratio eſt, vt bonæ ſint leges, nec tamen eis obtemperetur. Itaque vna bona ex legibus adminiſtratio
12. putari debet, 12 impoſitis legibus parere. Altera rectas eſſe leges, & harum decretis ſtare. Nam fieri poteſt, vt prauis etiam legibus pareatur. Hoc autem fieri bifariam poteſt: leges enim quibus homi-
13. nes parent, aut optimæ ſunt 13 ex his quibus ipſi vti valent, aut ſimpliciter optimæ. In hoc autem potiſſimum ſtatus optimatum poſitus eſſe videtur, vt honores virtuti tribuantur. Nam finis optimatum Reipublicæ virtus eſt: paucorum potentiæ, opes: populi verò, libertas. Vt enim vincat plurium ſententia, Rebuſpublicis omnibus eſt commune, quoniam in paucorum potentia, in ſtatu optimatum, & populari, quod eorum qui Rempublicam gerunt, maiori
14 parti viſum fuerit, id ratum eſt. In pleriſque igitur ciuitatibus 14
Reipublicæ genus nominatur. Sola enim mixtio locupletum, & egenorum, ad opes & libertatem ſpectat, quoniam apud pleroſque
15. 15 diuites virtute præſtantium locum habere videntur. Sed quoni-
16. am tria ſunt quæ 16 de Reipublicæ paritate certant, libertas, diui-
17. tiæ, virtus, (17 nam generis nobilitas, quæ quarto loco numeratur, duorum eſt comes: eſt enim generis nobilitas, veteres opes, atque virtus.) ſatis intelligitur duorum generum locupletum ac egenorũ mixtionem eſſe Remp. appellandam, trium autem ſtatum optimatum maximè omnium vocari debere, præter illam veram & primã optimatum gubernationem. Eſſe igitur alia genera præter vnius, ac populare paucorumque imperium expoſuimus: & quo inter ſe optimatum gubernationes, & quo Reſpublicæ ab optimatum adminiſtratione differant: & hęc genera non longè inter ſe diſtare declarauimus.

Scholia in Capit. VIII.

1 RELIQVVM eſt, vt de nominata Repub. deque tyrannide diſſeramus. *Reddita ratione ordinis diſputandi de Reipub. generibus, de Repub. diſſerit, quæ ſic communi vocabulo nominatur. Eſt igitur Reſp. adminiſtratio quædam ciuilis, ex paucorum potentia & ſtatu populari conflata: quæ compoſitio ſeu temperatura cum ad popularem inclinat, Reſpub. dicitur;*

cum

tum verò ad paucorum potentiam, ſtatus optimatum: quoniam virtus & nobilitas diuitias magna ex parte aſſectantur. Item eam ciuitatem bene legibus inſtitutam eſſe dicit, in qua non ſolum bonæ leges ſunt, ſed etiam legibus ipſis obtemperatur. Tria ſunt, inquit, quæ de paritate in Repub. certant, libertas, diuitiæ, virtus. Diuitum autem & egenorum mixtio Reſpub. nominatur: omnium verò trium temperatura, ſtatus optimatum dicitur.

2 De nominata Repub. *Quæ cunctis communi vocabulo Reſpub. dicitur.*

3 Si verum quærimus. *Re vera itaque non ſine cauſa de Repub & duabus ſtatus optimatum ſpeciebus diſputatur, cum de generibus erratu diſſeritur.*

4 A rectiſsima Reipub ratione. *A regno & ſtatu optimatum potiſſimo, quia vtrunque in optima Repub. continetur: nam de his diſputare, vt ſuprà dixit cap. ij. nihil eſt aliud, quàm de optimo ſtatu Reipub. diſſerere.*

5 Connumerantur cum his *Cum aberrationibus.*

6 Hæ ſunt ipſarum digreſſiones. *Hæ, id eſt cæteræ omnes ſunt ab ipſis regno ſcilicet, & optimatum rectiſſima Rep. digreſſiones & aberrationes.*

7 Minimè omnium Reipub. rationem attingit. *Quoniam minimè omnium ordinem ſeruat, in quo ratio Reipub. conſiſtit, minimè legibus paret: quæ vbi non ſeruantur, nulla eſt Reſpub. vt ſuprà dixit cap. iiij.*

8 Vt ſimpliciter loquar. *Summatim, nec accuratiſſimam rationem explicando.*

9 Propterea quod diſciplina & generis nobilitas magis ſunt locupletiorum comites. *Diſciplina & nobilitas in locupletibus magis quàm in pauperibus reperiuntur, quod græce eſt παιδεία, latinè autem diſciplina, quam ſæpe Ariſtoteles in mentione ciuilium facultatum nominat, dupliciter intelligitur. vno enim modo peritiam quandam & conſuetudinem legibus ab ineunte ætate parendi ſignificat, quod pertinet ad rectam educationem, & virtutis vſum: homines enim quædam aſſueſcendo, quædam audiendo diſcunt vt ipſe ait libro ſeptimo, cap. xiij. altero modo doctrinarū cognitionem, quæ homines nobilitat, idoneoſq; ad remp gerendam reddit, aut ciues probis moribus ac præceptis inſtituendos, quæ & ipſa facultas magna ex parte diuitias ſequitur, pauperibus otio ad ſtudium literarum non ſuppetente.*

10 Res quarum cauſa ſolent, &c. *Solent homines ad iniuriam inferendam impelli, modò vt pecunias aſſequantur, & alia commoda: modò vt fruantur voluptatibus, & ſimilibus rebus quæ diuitibus adſunt.*

11 Eſt igitur cauſa. *Cur ſcilicet tales Reſpub. cum ad paucorum potentiam inclinant, dicantur ſtatus optimatum.*

12 Impoſitis legibus parere. *Siue bonæ, ſiue malæ ſint.*

horum poteſtas & regnum quodammodo alterum pro altero ſumitur: quoniam vtrunque imperium legitimum eſt. Sunt enim barbaræ quædam nationes, quæ 5 monarchas cum ſumma poteſtate deligunt, & antiquitus inter Græcos veteres quidam ad húc modum monarchæ fiebant, quos Aeſymnetas ab imperando nominabant. Habent autem hæc imperia differentias inter ſe: 6 erantq́; regia, tùm quia legitima, tum quia vnus in volentes imperium tenebat: tyrannica verò, quoniam herile imperium exercebant arbitratu ſuo. Tertium genus eſt tyrannidis, quæ maximè tyrannis eſſe videtur, quæq́ue regno eſt oppoſita: quam tyrannidem monarchiam eſſe neceſſe eſt, quæ 7 ſine prouocatione 8 in ſimiles atque meliores omnes imperium tenet, ipſumq́ue in ſuam, non in eorum quibus pręeſt vtilitatem refert, ac proinde inuitis imperat: 9 Nemo enim ingenuus tale imperium ſua voluntate ferat. Hæc igitur & tot numero ſunt tyrannidis genera, & propter cauſas memoratas.

5. 6. 7. 8. 9.

Scholia in Caput X.

1 SVPEREST vt dè tyrannidè diſſeramus. *Tyrannis quanquam rationem Reipub. vt ſuprà dictum eſt, non habet, cum leges in ea vim non habeant, ſed omnia vnius libidine adminiſtrantur: tamen inter deprauatas Reipub formas annumerari ſolet. Tyrannis autem non vna eſt, ſed multiplex. Nam regna Barbarorum & Græcorum Aeſymnetiæ licet volentibus legéque imperent, & hac parte regnum imitentur; tamen quoniam herile imperium in bonos etiam & meliores exercent; idcircò tyrannides eſſe dicuntur. Propriè tamen tyrannis intelligitur; quæ in liberos inuitos herile imperium exercet*

2 Rerump: partem. *Rèip. ſpeciem quandam deprauatam.*

3 De regno, quod maximè dicitur. *De regno pleno, vbi vnus ſummam rerum omnium poteſtatem & vicem totius Reipub. tenet.*

4 Quia horum poteſtas, & regnum quodammodo alterum pro altero ſumitur. *Regum Barbarorum & Aeſymnetarum qui ad hunc modum ſunt tyranni poteſtas regnum, & ipſi Reges nominantur; quia lege & volentibus imperant: viciſſimq́; Reges tyranni quandoque dicuntur, propter horum ſimilitudinem. Vnde antiquitus tyranni nomen non erat inuidioſum, quin & Ariſtotelis memoria, quidam, vt Iſocrates, ſæpe tyrannum pro rege dicebant, quod poetæ tum Græci, tum etiam Latini factitarunt.*

5 Monarchias cum ſumma poteſtate. *Monarcha dicitur qui ſolus habet*

 imperi-

imperium: ſed quia hic eſſe poteſt cum certa & definita poteſtate, vt Reges Laconici, idcirco adiecit cum ſumma poteſtate.

6 Erantque regia. *Ea parte regna erant, quod lege deferebantur, & volentibus imperabant: quo intelligitur tyrannum propriè non dici, niſi qui per vim ſeu factionem, denique præter leges ciuitatis aut gentis imperium occupauit.*

7 Sine prouocatione imperium tenet. *A quo non licet prouocare, nec ad populum, nec ad Senatum, aut alios magiſtratus: hoc autem commune eſt tyranno cum rege, qui propriè dicitur.*

8 In ſimiles ac meliores omnes. *In ſimiles habere imperium perpetuum iniuſtum eſt: quanto igitur iniuſtius in meliores omnes vt neminem vel parem habeat, vel ſuperiorem imperio?*

9 Nemo enim ingenuus. *Natura liber: nam qui ſunt natura ſerui, facilè imperium herile ferunt, quippe quòd ipſorum naturæ conuenit.*

CAPVT XI.

c. 2. 1 QVAE verò ſit optima Respublica, 2 quæ optima vita pleriſ-
3. que ciuitatibus, & pleriſque hominibus 3 qui non egregia virtute, nec doctrina, quæ res naturam adiumentaque fortunæ deſiderant, Reipublicæ viuendique rationem metiuntur, nec dirigunt ad normam eius quæ optari poſſet Reipublicæ, ſed vitam quærunt quæ hominum maiori parti poſſit eſſe communis, & Rempublicam qua ciuitatum magna pars vti poſſet: nam qui ſtatus optimatum vocantur, de quibus modo diſſeruimus, partim non cadunt in pleraſque ciuitates, partim propè ad Rempublicam vocatam accedunt: vt de vtriſque ſit, tanquam de vna diſputandum. Harum igitur quæſtionum omnium, iudicium ex eiſdem principijs eſt faciendum. Nam ſi rectè in libris de moribus dictum eſt, vitam beatam effici virtute non impedita, & virtutem eſſe mediocritatem, neceſſe eſt vt ea ſit optima vita, quæ media eſt, ea mediocritate quæ poteſt ſingulis contingere. Ac eodem modo de virtute & vitio ciuitatis & Reipub. ſtatuere neceſſe eſt. Reſpub. enim vita quædam ciuitatis eſt. Ciuitates verò cunctæ ternis partibus conſiſtunt, ditiſſimis, pauperrimis, & tertio loco ijs qui medij ſunt inter eos interiecti. Cum igitur id optimum eſſe conſtet, quod mediocritatem mediumque tenet, ſatis intelligitur fortunarum etiam mediocrem poſſeſſionem omnium eſſe optimam, quippe

quæ

quæ facillimè rationi paret: nam qui pulchritudine aut viribus, aut generis nobilitate, vel diuitijs magnopere præſtant, quique his contrarij ſunt, nimium vel paupertate vel imbecillitate depreſſi, hi vt rationem ſequantur, difficile eſt. 4 Alteri enim palam contumelias magis inferunt, & in magnis rebus improbi ſunt. † Alteri aſtuti ad nocendum fiunt, & valde in rebus paruis delinquunt. Iniuriæ verò quædam per apertam contumeliam, quædam per aſtutiam inferuntur. 5 Adhæc illi minimè ſtudent imperijs, & ſunt imperandi percupidi, quod vtrunque ciuitatibus nocet. Præterea qui proſperis rebus, potentia, opibus, clientelis, cæteriſque id genus excellunt, hic nec volunt, nec ſciunt imperia pati: quo malo domeſtico iam tunc ab ipſa ineunte ætate inficiuntur. Nam propter delitias, ac indulgentiam, ne in ludo quidem literario parere conſueuerunt. Illi verò propter nimiam harum rerum inopiam nimis ſunt animo deiecti: igitur alteri imperare neſciunt, ſed imperio ſeruili ſubeſſe: alteri nulli imperio parere ſciunt: imperare autem, vt domini ſeruis. Itaque 6 ciuitas ex ſeruis, dominiſq; conſtituitur, non ex liberis: eorumque alteri inuident, alteri contemnunt: quæ res longiſſimè ab amicitia & ſocietate ciuili abſunt: ſocietas enim à beneuolentia proficiſcitur. Nam inimicos ne itineris quidem ſocios habere volumus. Ciuitas autem ex paribus, & quam maximè ſimilibus conſtare vult, quod medijs omnium maximè ineſt, vt ſit neceſſe hanc ciuitatem optima ratione gubernari, quæ ex his conſtat, ex quibus ciuitatis conſtitutio naturalis eſſe dicitur: & quidem hoc ciuium genus maximè in ciuitatibus conſeruatur. Non enim aliena concupiſcunt, vt pauperes: nec quæ horum ſunt alteri, vt pauperes expetunt locupletum bona: & quoniam inter ſe non inſidiantur, ſine periculo degunt. 7 Quocirca Phocylides rectè multa optima mediocribus precabatur, cum ipſe mediocris eſſe vellet in ciuitate. Non eſt igitur dubium quin ea ſit optima ſocietas ciuilis, quæ ex mediocribus conſiſtit: & ciuitates eæ poſſint rectè gubernari, in quibus pars mediocris magna eſt, & 8 quàm vtraque aliarum potentior, quod eſt maximè optandum, aut certè quàm vtrauis: adiuncta enim ciuitatem inclinat, ad ſeque trahit, & oppoſitos exceſſus exiſtere prohibet. Itaque maximum eſt fortunæ beneficium, vt qui Rempub. adminiſtrant, ij mediocres opes, & quæ ſatis ſint, habeant. Nam vbi alteri nimis magna patrimonia, alteri nullam rem familiarem poſſident, ibi 9.

9. 10. ibi 9 aut populus extremus,aut 10 impotens paucorum dominatus,
vel tyrannis,propter ambos exceſſus efficitur:quoniam tum ex va-
lidiſſimo ſtatu populari, tum ex paucorum nimia potentia tyran-
nis exiſtit: ex mediocribus autem & quorum eſt diſcrimen exigu-
um,multominus, cuius cauſam poſtea cum de Rerumpublicarum
mutationibus agetur, explicabimus.Eſſe tamen optimam quæ me-
diocris eſt, non poteſt dubitari:ſola enim à ſeditionibus abhorret.
nam vbi magna pars eſt interiecta,nec ſeditiones fiunt, nec diſtra-
ctiones Rerumpublicarum:& magnæ ciuitates idcirco à ſeditioni-
bus abhorrent, quia magna eſt pars quæ mediocritatem tenet. In
exiguis autem ciuitatibus facilè factu eſt, vt omnes ſic in duas par-
tes diſtrahantur,vt nihil in medio relinquatur, & omnes ferè ſunt
vel egeni,vel locupletes. Status quoque populares vt tutiores ſint&
magis diuturni quàm paucorum potentię,in cauſa ſunt mediocres,
qui & plures ſunt,& magis honoribus participant.In ſtatibus popu-
11. laribus quàm in paucorum potentijs, quoniam quum 11 abſque his
egeni in magnam multitudinem excreuere, miſera fit ciuitatis cō-
ditio,celeriterque labefactatur. Illud etiam eſt argumento, quòd
optimi quique legumlatores ex mediocrium ciuium numero fue-
runt. Huius enim ordinis fuit Solon, vt ex carminibus eius appa-
ret,& Lycurgus (nec enim rex erat) & item Charondas, & cæteri
ferè omnes. Ex his cauſam licet perſpicere cur Reipublicæ magnæ
ex parte vel populares ſunt,vel paucorum potentiæ. Nam cum ſæ-
pe in eis exigua ſit pars quæ medium tenet, vtri ex locupletibus &
popularibus medium tranſgreſſi ſuperiores euaſerint, hi Rempu-
blicam ad ſe trahunt.Itaq; populus efficitur, aut paucorum poten-
tia.Præterea cum ſeditiones & pugnæ inter populum & diuites ori-
antur,vtris victoria de aduerſarijs cōtigerit, hi Rempub.nec com-
munem nec æquabilem conſtituunt: ſed in Republica excellere
præmium victorię faciunt,& alteri in ſtatum popularem redigunt,
12. alteri in paucorum potentiam.Pręterea 12 qui rerum in Gręcia po-
13. titi ſunt, cum vtrique ad ſuam Rempublicam ſpectarent, 13 alteri
populares ſtatus, alteri paucorum potentias in ciuitatibus conſti-
tuebant,non ciuitatum, ſed ſuorum commodorum rationem du-
centes. Ob has igitur cauſas Reſpublica media, aut nunquam, aut
14. raro,& apud paucos efficitur. 14 Vnus duntaxat vir ex principibus
ſuperioribus extitit, qui hanc Reipublicæ rationem inſtituere ani-
mum induceret:ſed iam hæc conſuetudo in ciuitatibus inualuit,vt
homi-

homines ęqualitatē odio habeāt,& malit aut imperio potiri,aut ſi vi-
cti fuerint,imperio ſubeſſe.Quę ſit igitur optima Reſpublica,& quā
ob cauſam,declarauimus. Ex cæteris autem Reipub. formis,quoni-
am ſtatus popularis, & item paucorum potentiæ complura genera
facimus,quæ prima ſtatuenda ſit,quæ ſecūda, quæ deinceps, eodem
modo,propterea quòd alia potior ſit,alia deterior, optima conſti-
tuta,non erit intellectu difficile. Nam quæ proximè accedit ad opti-
mam,hæc neceſſariò potior eſt. Deterior verò quæ longius à me-
dio receſſerit, niſi fortè 15 iudicium ſit pro fine propoſito facien- 15.
dum. Pro fine propoſito dico,quoniam cum ſæpe ſit alia Reipubli-
cæ forma magis expetenda, fieri poteſt vt alia ſit nonnullis accom-
modatior.

Scholia in Caput XI.

1 QVAE verò ſit optima Reſpub. quæ optima vita pleriſque ciuitatibus, *Optima Reſpub. eſt quæ ex ciuibus mediocres diuitias habentib. conſiſtit. Nam neq; ditiſſimi nec pauperrimi ſunt ad ſocietatem ciuilem idonei. Alteri enim nimis ſuperbi, alteri nimis deiecti fiunt: alteri contemnunt, alteri inuident: alteri imperant vt domini, alteri parent vt ſerui: ciuitas autem ex paribus & ſimilibus conſtare debet, quod mediocribus accidit. Itaque plurimum ciuitas ex mediocribus conſiſtens conſeruatur, eaq; optima eſt, & à ſeditionibus abhorret. Nam vbi omnes aut plurimi ſunt diuitijs vel paupertate extremi, facilè aut tyrannis exiſtit inualeſcentibus locupletibus, aut extremus populus, ſi vincat pauperum multitudo.*

2 Quæ optima vita pleriſque ciuitatibus. *Hæc oratio pendet vſque ad illa verba,* Harum igitur quæſtionum. *Dupliciter autem dicitur optima Reſpub. vel quia ſimpliciter eſt optima, ſi talis cōtingeret qualis optari poſſet: vel quia optima eſt earum quæ non difficillimè poſſunt hominibus contingere, & pleriſque ciuitatibus conuenire poteſt. qualis autem hæc poſterior ſit, & quomodo conſtitui & conſeruari queat, ex ijs principijs conſiderari poteſt, quæ tradita ſunt in libris de moribus ad Nicomachum, in quorum primo & decimo declaratum eſt vitam beatam ſeu felicitatem in vſu virtutis non impedita conſiſtere. virtus autem egeſtate & aduerſa valetudine, & ſimilibus malis impeditur. Nam egenus non poteſt nec liberalitate vti, nec magnificentia, præterquam voluntate: nec qui aduerſa valetudine laborat, is rectè poteſt fortitudinem exercere: in libro verò ſecundo Ethicorum, virtutem in mediocritate quadam conſiſtere declaratum eſt.*

 3 Qui

3 Qui non egregia virtute. *Qui non optimam ciuitatem quærunt, & quæ optimis & prudentiſſimis ciuibus conſiſtat, ad quas res optima ciuium natura vt ſint ad virtutem maximè proni & adiumentis naturalibus inſtructi, & fortuna deſideratur vt adſint, ſuppetantq́; omnia neceſſaria ad vitam cum virtute non impedita degendam: quæ res optari magis quàm hominibus & ciuitatibus contingere ſolent:*

4 Alteri palam. *Ditiſſ. mi homines palam inferunt iniuriam, & in magnis rebus peccant: quidam enim aliena modo priuata, modo etiam publica inuadunt: alij homines interficiunt, & ſimilia:*

† alteri aſtuti fiunt ad nocendum *egeni ſcilicet, qui per fraudem & machinationes & occulta furta res quæ ſunt ad vitam neceſſaria conquirunt.*

5 Adhæc iſti minimè ſtudent imperijs, & ſunt imperandi percupidi *Prior pars ad egenos referri debet, qui ob egeſtatem abhorrent ab imperijs, quæ otium requirunt, quod ipſis neceſſaria ad vitam quærentibus non ſuppetit. Poſterior ad diuites, quos otium & ambitio facit imperandi cupidiſſimos.*

6 Ciuitas ex ſeruis dominiſq́ue conſtituitur. *Cum ex omnibus ditiſſimis aut pauperrimis conſtituitur, & nullis aut pauciſſimis mediocribus. Nam ditiſſimi imperant vt domini, pauperrimi obtemperant vt ſerui.*

7 Quocirca Phocylides *Mileſius hic fuit philoſophus, qui carmina & elegias & præcepta ſiue ſententias, vt refert Suidas, conſcripſit.*

8 Quam vtraque aliarum. *Vt mediocres ſint plures & potentiores, quàm diuites & pauperes ſimul, aut certè quàm diuites per ſe, & quàm pauperes ſeparatim.*

9 Aut populus extremus. *Peſſ. ma forma Reipub. popularis, quam mox validiſſimum ſtatū popularē appellat, quia populus in eo plurimum inualuit.*

10 Impotens paucorum dominatus *Extrema paucorum potentia, quæ dynaſtia dicitur, de quibus Rerumpub formis libro quinto diſſeritur.*

11 Egeni abſque his. *Sine mediocribus.*

12 Qui rerum in Græcia potiti ſunt. *Qui imperium in Græcia tenuerunt, Athenienſes & Lacedæmonij.*

13 Alteri populares. *Athenienſes quia Rempub. ad popularem inclinantem habebant, quaſcunque ciuitates ſubegiſſent, in popularem formam redigebant: Lacedæmonij in paucorum potentiam, quoniam ipſorum Reſp. huc magis inclinabat. Itaque vtrique eam formam in ciuitatibus à ſe deuictis conſtituebant, quæ ſimilis eſſet, ac proinde magis faueret ſtatui præſenti, quo ipſi victores vtebantur.*

14 Vnus duntaxat vir. *Theopompū deſignat regem Lacedæmoniorum. hic*

enim

enim ſuorum commodorum & ambitionis oblitus, vt ciuitati conſuleret, cum eſſet rex Lacedæmoniorum Ephoros creauit, ad quos eſſet à regibus prouocatio: minuitq́; regiam poteſtatem & auctoritatem, vt popularem augeret, & regnum in formam Reipub. redegit, de quo Theopompi facto ipſe memorat libro quinto.

15 Iudicium ſit pro fine faciendum. *Conuenienter propoſito ciuitati ſiui, & pro ratione rerum ſuppetentium ſit de Republica bonitate iudicandũ.*

CAPVT XII.

1 PROXIMVM eſt vt quæ quibus, & qualis qualibus Reſp. conueniat, diſſeramus. Sed primum omnium quod idem in omnes Reſpub. vniuerſaliter conuenit, proponendum eſt. Oportet enim vt quæ pars ciuitatis Rempublicam eſſe ſaluam cupit, ea potentior ſit quàm quæ non eſt præſenti ſtatu contenta. Conſtat autem ciuitas omnis ex quali & quanto: quale dico 2 libertatem, opes, doctrinam, & generis nobilitatem: quantum verò multitudinis magnitudinem Fieri autem poteſt vt ex partibus quibus ciuitas conſiſtit, alteri quale adſit, alteri quantum: verbi gratia, vt plures numero ſint ignobiles quàm nobiles, vel egeni quàm locupletes, ſed ita vt non tam quanto excellant, quàm ſuperantur quali. hæc igitur inter ſe conferri debent. Vbi ergo multitudo egenorum 3 qua proportione diximus excellit, hic ſtatus popularis exiſtere aptus eſt: genus autem quodque ſtatus popularis pro exceſſus cuiuſque populi ratione, ad hunc modum, ſi agricolarum multitudo vincat, 4 prima ſpecies ſtatus popularis efficitur: ſin opificum & mercenariorum, vltima, ac eodem modo cæteræ quæ ſunt inter has duas interiectæ. Vbi verò locupletes atque nobiles magis quali præſtant, quàm ſuperentur quanto, hic paucorum potentia exiſtere apta eſt, eiuſque genus quodque eodem modo pro ratione exceſſus multitudinis ad paucorum potentiam pertinentis. Debet autem ſemper legumlator in Repub 5 medios adciſcere. Nam ſiue leges paucorum potentiæ conuenientes ſtatuat, 6 ad medios ſpectare debet, ſiue ſtatui populari aptas, hos quoque legibus conciliare. 7 Vbi verò medij, vel vtrunque ſimul, vel certè vtrumuis extremorum excedit, hic poteſt firma, ſtabiliſque Reſpublica conſiſtere. Nec enim verendum eſt, 8 ne quando in hos diuites cum pauperib. conſpirent, quia nunquam 9 alteri alteris ſeruire anim.ũ

 indu-

10. inducent. 10 Communiorem autem, cum ab hac diſceſſerint, nullam reperient: imperandi verò viciſſitudinem idcirco non probabunt, quoniam alteris alteri ſuſpecti ſunt Cæterum arbiter vbique fidiſſimus habetur: medius autem arbiter eſt. ſed Reſpublica ſtabilitatem hoc maiorem habebit, quo melius fuerit temperata. Errãt autem plerique eorum quibus eſt optimatum Reſpublica conſti-
11. tuere propoſitum, non eo ſolum quòd 11 locupletibus maiorem partem attribuunt, ſed etiam quod populares excludunt. Ex iȷ̃s enim quę falſam bonorum ſpeciem præferunt, neceſſe eſt vt tempore aliquando verum malum eueniat, ſi enim alterutri ſuperiores ſint, diuites potius quàm pauperes Rempublicam euertant.

Sibolia in Caput XII.

1 PROXIMVM eſt vt quæ quibus, & qualis qualibus. *Antequam Reſpub. quæ quibus hominibus conueniat explicetur, illud ſtatui debet, quod eſt omni Reipub. commune oportere ad Reipub. conſeruationem, vt quæ pars ciuitatis Rempub. eſſe ſaluam cupit, hæc potentior ſit, quàm quæ non eſt præſenti ſtatu contenta. Sunt autem duo in partibus ciuitatis conſideranda: Qualitas, quæ libertate, opibus, doctrina, virtutéque & generis nobilitate conſtat: Quantitas, quæ ciuium numerum qui ſunt in partibus, intelligimus: quibus rebus inter ſe collatis varia genera Rerumpub exiſtunt. Nam vbi egeni plus numero vincunt, quàm ſuperètur qualitate, ibi Reſpub. popularis exſtit. Cõtra verò paucorum potentia, vbi diuites magis excellunt qualitate quàm ſuperentur numero. Itaque legumlator plurimam rationem mediorum habere debet, ſiue paucorum potentiæ, ſiue poplari Reipub. leges ferat, ne in extremum malum delabantur. Vbi verò medij potentiores ſunt quàm diuites & egeni ſimul, aut certè quàm diuites per ſe, & quàm pauperes, ſeparatim hic magna eſt occaſio Reipub. ſtatuendæ, tum ad firmitudinem, tum ad diuturnitatem: plus autem diuitibus tribuere in Repub. quàm pauperibus periculoſius eſt, quàm oppoſitum.*

2 Libertatem, opes, doctrinam, & generis nobilitatem. *Iiler opponitur ſeruo: ſed quia ſeruus dicitur non ſolum mancipium quod propriè intelligitur, ſed etiam qui ſordidam artem exercet, qui eſt quaſi ſeruus publicus, idcirco libertas, quæ vtrique ſeruituti opponitur, honeſta quædam ciuium conditio eſt. in qua ſunt mediocres facultates habentes, quam hic deſignare videtur Doctrinam verò ſiue diſciplinam quæ græcè eſt παιδεία ſolet Ariſtoteles in hoc opere, tum doctrinarum cognitionem, tum rectã & libera-*

lem e-

lem educationem vocare, vt in ea virtus quoque intelligatur.

3 Qua proportione diximus. *Vt plus excedat numero quàm ſuperetur qualitate.*

4 Prima ſpecies. *Minimè malâ, vt vltima intelligitur peſſima.*

5 Medios adſciſcere. *Mediorum beneuolentiam captare, leges ipſis accommodando, quod alijs verbis paulò pòſt dixit, medios legibus conciliare, quod eſt amicos Reipub. facere.*

6 Ad medios ſpectare debet. *Ad mediocriter diuites, vt in populari ad mediocriter pauperes.*

7 Vbi verò medij. *Inter diuites & pauperes.*

8 Nequando in hos. *In medios.*

9 Alteris alteri. *Pauperibus diuites, & contrà.*

10 Communiorem autem. *Quæ magis ſit diuitibus ſimul & pauperibus apta, quàm Reſpub. communi vocabulo nuncupata.*

11 Locupletibus maiorē partem tribuunt. *Non eſt contra iuſtitiam, nec rationem Reipub plus in Repub. tribuere diuiti quàm pauperi, ſed toti diuitum ordini plus tribuere quàm toti pauperum multitudini periculoſum eſt. Nam diuites ad publicam iniuriam inferendam, quàm pauperes procliuiores ſunt.*

CAPVT XIII.

1 RES autem quibus ſpecie quadam commoditatis prætenta po- 1.
pulum circumuenire moliuntur, quinque numero ſunt, concio,
magiſtrat⁹, tribunalia, arma, & exercitationes. 2 In cōcione, vt huic 2.
omnibus intereſſe liceat, ſed diuitibus ſit pœna, niſi interſint con-
ſtituta, 3 vel ſolis vel multo maior. In magiſtratibus, vt qui cenſum 3.
habent, ijs 4 eiurare magiſtratum non liceat, pauperibus liceat. In 4.
tribunalibus, vt diuites niſi iudicia obierint, mulctentur, pauperes
impune ferant: aut illis magna, his parua mulcta ſit conſtituta, vt eſt
5 in Charondæ legibus. In quibuſdam verò ciuitatibus, cunctis li- 5.
cet 6 datis nominibus, publicis conſultationibus intereſſe, & exer- 6.
cere iudicia: ſi tamen cum deſcripti fuerint non interſint, aut iudicia non obeant, magnis mulctis afficiuntur, vt timore mulctæ profiteri recuſent, & quoniam deſcripti non ſunt, nec iudicia nec publicas deliberationes obeant. Eodemque modo de armis & exercitationibus ſancitur, vt egenis arma non habere liceat, diuites ſi non habeant, mulctentur: & ſi ſe non exerceant, alteris impune ſit, diuitibus pœna conſtituta: vt hi 7 propter mulctam exercitationes 7.

obeant, illi nihil tale metuentes non obeant. Hæ ſunt igitur legum latorum captiones, paucorum potentiæ accommodatæ. In ſtatibus vero popularibus, contra hæc captiones adhibent oppoſitas: nam pauperibus ſi concionibus interſint, exerceantve iudicia, merces eſt propoſita, diuitibus nulla pœna conſtituta. Quo intelligitur, ſi
8. quis iuſtam facere temperaturam velit, huic eſſe 8 vtrorunque inſtituta conflanda, vt alijs merces tribuatur, alijs conſtituatur mulcta: ſic enim fiet, vt omnibus Reip communicetur, quæ illo modo in alterius duntaxat partis poteſtatem concedit. Oportet autem vt Reſpublica ex ijs duntaxat qui arma tenent, conſiſtat. Cenſus verò quantus ſuppetere debeat, certa magnitudine definiri ſimpliciter
9. non poteſt: ſed habita ratione 9 quàm latè ad ſummum patere debeat, vt ij quibus Reſpublica communicatur, plures numero ſint, quàm quibus interdicitur, tantus definiri debet. Pauperes enim non inuiti quieſcunt, & ſi non fungantur honoribus, modo ne quis ipſis aut contumeliam, aut rei familiaris detrimentum inferat: quod non facilè contingit. nec enim ſemper vſu venit, vt viri probi ſint, qui publicis muneribus præſunt: & pauperes cum bellū extiterit, niſi de publico alantur, militiam detrectare ſolent:
10. qui 10 ſi commeatus ſuppeditentur, bellum gerunt non inuiti. Quidam Rempublicam non modo ex ijs qui arma ferunt, ſed ex ijs
11. etiam qui arma tulerint, conſtitutam habent. 11 Malienſibus quidem ex his Reſpublica conſtabat, ſed qui magiſtratus gererent ex bellum gerentibus deligebantur. Et prima Reſpublica inter Græcos poſt regna ex militantibus conſtituta fuit, initio quidem ex equitib quia robu r exercitus, dum bella gererent, in equitatu conſi-
12. ſtebat, propterea quòd peditatus ſine ordine inutilis eſt. 12 Hoc autem genus hominum antiquitus nec vſum rei militaris habebat, nec ordinem: itaque robur in equitatu erat. Poſtquam verò creuere ciuitates, & milites inualuerunt, pluribus eſt communicata Reſpublica. quamobrem quas nunc Reſpublicas nominamus, hæ populares adminiſtrationes à prioribus dicebantur. Veteres autem Reſpublicæ non ſine cauſa paucorum & regio imperio gubernabantur, quia partem mediam non magnam habebant propter hominum paucitatem: ita cum pauci numero eſſent, atque ordine deficerent, imperium magis patiebantur. Cur igitur Rerumpublicarum complures formæ ſint, & cur aliæ præter eas quæ eſſe dicūtur (nec enim vnus eſt numero ſtatus popularis. & cæteræ ſpecies

eodem

eodem modo)& quibus diſcriminibus diſtent, & quam ob cauſam accidat: præterea quæ ſit 13 magna ex parte omnium optima Reſpublica, & 14 ex alijs Rebuſpublicis qualis qualib. conueniat, declarauimus. 13 14

Scholia in Caput. XIII.

1 RES autem quibus ſpecie quadam commoditatis prætenta. *Doli quibus diuites egenos, & hi viciſſim locupletes eludere conantur, ad Rempub ſibi vendicandam expoſitis, quod pro vtriſque eſt, id ſumendum eſſe tradit legumlatori ad Rempub quæ iuſta ſit, & vtriſq; communis inſtituendam. cuius præcepti ſumma eſt, vt merces pauperibus gerentibus Rempub. propoſita ſit, diuitibus autem pœna, ſi munus publicum recuſauerint, conſtituta. Debet autem Reſpub ijs tantum qui arma tenent communicari, cenſus verò ea magnitudine conſtitui, vt plures numero ſint, quibus per cenſum Reſpub. pateat, quàm qui per eundem excluduntur.*

2 In concione. *In populari deliberatione.*

3 vel ſolis vel multo maior. *Vt pauperibus nulla pœna ſit conſtituta, ſed ſolis diuitibus aut multo maior diuitibus quàm pauperibus.*

4 Eiurare magiſtratum. *Magiſtratum iureiurando recuſare, iurantem ſcilicet ſe magiſtratum gerere non poſſe.*

5 In Charondæ legibus. *Charondas leges condidit Catanenſibus in Sicilia de quo libro ſecundo memoratum eſt.*

6 Datis nominibus. *Dare nomina dicuntur, qui velle ſe munus obire profitentur, & ſe id profeßis adſcribi poſtulant, vt milites qui nomina in delectibus militaribus dabant.*

7 Propter mulctam exercitationes obeant. *Metu pœnæ exerceantur.*

8 Vtrorunque inſtituta conflanda. *Miſcendas leges populares cum ijs quæ paucorum potentiæ accommodantur.*

9 Quam latè patere debeat ad ſummum. *Quo progredi poßit maximus cenſus qui ea ratione conſtituatur, vt pauciores excludantur à Repub gerenda, quàm quibus per cenſum Rempub. capeſſere licet.*

10 Si commeatus ſuppeditentur. *Si conferantur cibaria.*

11 Malienſibus quidem. *Malienſes ſunt incolæ Maliaci ſinus in ora Locrorum.*

12 Hoc autem genus hominum. *Pedites in bello.*

13 Magna ex parte. *Pleriſque ciuitatibus.*

14 Ex alijs Rebuſpublicis. *Extra optimam.*

CAPVT

CAPVT XIIII.

1. I SED rurſus tum de omnibus communiter, tum de quaque ſeparatim præcipiamus, ſumpto eorum quæ deinceps differenda ſunt, conueniente principio. Omnium igitur Rerumpublicarum tres omnino partes ſunt, de quibus quid cuique Reipub. conueniat, munus eſt probi legumlatoris conſiderare quibus partibus rectè ſeſe habentibus, vt Reſpublica rectè habeat, neceſſe eſt, vtque Reſpublica pro harum partium diſcrimine, ipſæ differant inter ſe. Harum trium partium vna eſt, quæ de rebus communibus conſultat: altera quæ magiſtratus attingit, id eſt, quos eſſe magiſtratus oporteat, & quarum rerum habere poteſtatem, & quomodo creari debeant. Tertia pars in iudicibus conſiſtit. Eſt autem penes conſultores, bel-
2. li, paciſque arbitrium, & item 2 bellicam ſocietatem, fœderaque in
3. ineundi poteſtas, & horum iudicio ac voluntate leges & 3 res capita-
4. les atque exilium bonorumque publicationes, & 4 magiſtratuum correctiones temperantur. Neceſſe eſt autem vt vel ciuibus omni-
5. bus hæc omnia iudicia committantur, aut 5 quibuſdam omnia, hoc
6. eſt vni cuipiam magiſtratui, 6 aut pluribus: vel alijs alia, vel quædam omnibus, quædam quibuſdam. vt igitur omnes & de omnibus iudicent, populare eſt: talem enim æqualitatem populus quærit. Multis autem modis complures omnes deliberare poſſunt: Vno vt
7. per vices, non cuncti ſimul deliberent. (7 vt in Teleclis Mileſij Republica: in alijs autem Rebuſpublicis qui ſimul gerunt magiſtratus, in vnum coacti conſultant: ſed magiſtratibus omnes viciſſim ex
8 tribubus, aut 8 ex partibus prorſus minimis præficiuntur, donec ad
9. omnes viciſſitudo perueniat.) Conueniunt autem 9 ſciſcendarum
10. legum cauſa, 10 aut de Republica velut audiant, quæ à magiſtrati-
11. bus edicuntur. Alter modus eſt, vt 11 omnes ſimul iudicent con-
12. ueniant tamen 12 comitiorum duntaxat, & ferendarum legũ cauſa: & cum eſt de bello paceque deliberandum, aut magiſtratus corrigendi ſunt: cætera conſilio magiſtratuum, qui cuique negotio ſunt præfecti, committantur: qui magiſtratus ex omnibus vel ſuffragio vel ſortito creentur. Alius modus eſt, vt ad creandos & corrigendos magiſtratus, ciues conueniant: & item cum eſt de bello aut belli ſocietate ineunda, deliberandum. Cætera verò gerant qui magiſtra-
13. tibus præſunt 13 ſuffragio, quot licet mandandis, cuiuſmodi ſunt, qui neceſſariò debent à ſcientibus adminiſtrari. Quartus eſt modus

Vt coeant omnes, deque rebus omnibus conſultent: magiſtratuum iudicio nihil relinquatur, 14 niſi vt ad populum referāt,qua ratione nunc 15 extrema popularis Reſpublica adminiſtratur, quam 16 æmulam eſſe diximus paucorum potentiæ, quæ dynaſtia nominatur,& monarchiæ tyrannicæ. Omnes igitur hi modi populares ſūt. Vt autem quidam de rebus omnib. conſultent,conueniens eſt paucorum potentiæ, quod ipſum complures habet differentias. Nam cum 17 à cenſibus mediocribus deliguntur, & maiore numero ſunt propter cenſus mediocritatem, abſtinentque ab ijs quæ lege vetantur,& quo lex duxerit ſequuntur, & quicunque cenſum nactus ſit,ei patet aditus ad Rempublicam: eſt quidem adminiſtratio talis paucorum potentia, ciuilis tamen ac Reipublicæ conueniens, propter eius mediocritatem. Cum verò non omnes ad deliberandum admittuntur, ſed qui delecti fuerint, ex lege tamen publico munere funguntur, vt prius, hæc paucorum eſt adminiſtratio: ſed 18 cum ſeipſi cooptant, ij penes quos eſt arbitrium deliberandi, & cum filius patri ſuccedit, legeſque arbitratu ſuo moderantur, hæc inſtitutio neceſſario pertinet ad paucorum potentiam. Cum verò partita ſunt munera, vt exempli gratia, de bello paceque deliberatio & correctio magiſtratuum ſit omnibus permiſſa,cætera gerantur ab ijs qui magiſtratibus præſunt,& hi ſuffragio vel ſortito mandentur,hæc eſt optimatum gubernatio, vel Reſpublica. Sin autem magiſtratus ad res quaſdam gerēdas ſuffragio,ad alias ſortito mandentur:ſortito autem vel ſimpliciter vel ex ijs qui prius fuerint ſuffragio delecti,vel cōmuniter ſuffragio ſortibusq; mandentur, hæc partim ad optimatum gubernationem, partim ad ipſam Rempublicam pertinent. Conſultores igitur pro ratione Rerumpublicarum ad hunc modum diuiduntur: & Reſpublica quæque, vt eſt à nobis definitum, adminiſtratur. Quod verò pertinet ad rationem conſultandi, intereſt Reipublicæ quæ nunc maximè videtur eſſe popularis: hanc dico,in qua ſumma poteſtas etiam legum penes populum eſt, vt 19 cum id commodius faciant, quod de tribunalibus ſolet in paucorum potentijs: nam quos volunt exercere iudicia, his pœnam conſtituunt, vt hac ratione cogantur iudicandi munus obire: populares autem egenis mercedem ſtatuunt, 20 tum hoc de concionibus conſtituant.Commodius enim conſultabunt, ſi communiter id fiat ab omnibus, & plebs cum nobilibus conſilia conferat,ac viciſſim nobilitas cum multitudine deliberet Proderit etiam vt

14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

21. am vt conſultores vel ſeſtragio, vel ſortito, 21 æquè tamen ex par-
22. tibus deligantur. Confert autem 22 ſi ciuiles numero à popularibus magnopere vincantur, aut non omnibus mercedem tribuere, ſed
23. 23 quot mediocres numero ſint nobilium numero comparati, vel certè plures ſortibus excludere. In paucorum verò potentijs commodum fuerit, vel aliquos ex multitudine deligere, vel magiſtratum conſtituere, qualis in quibuſdam Rebuſpublicis habetur, cui qui præſunt, præconſultores, cuſtodeſque legum nominantur, & de ijs rebus conſultare de quibus illi prius deliberauerint. Sic enim populus particeps conſultationum erit, nec quicquam diſſoluere ex ijs quę pertinet ad Reipublicæ rationem poterit. Præterea vt populus aut eadem ſciſcat, aut certè nihil poſſit oppoſitum ijs quę fuerint ad ipſum relata decernere, vel omnibus conſilia communicentur, ſed ita vt magiſtratus conſultent, fiatque contrà quàm in Rebuſpublicis efficitur, vt in abſoluendo rata ſit populi ſententia, in condemnando non item, ſed rurſus ad magiſtratus reijciatur. Nam in Rebuſpublicis contrarium fit: paucorum enim liberatio rata eſt: ijdem ſi condemnauerint, cauſa rurſus ad pleroſque ſemper reijcitur. Ac de conſultoribus quidem & ijs quorum arbitrio Reſpublica gubernatur, diſſeruimus.

Scholia in Caput XIIII.

1 SED rurſus tum de omnibus communiter, tum de quaque ſeparatim præcipiamus. *Tres ſunt potiſſimæ partes Reip. conſultores, magiſtratus, & iudices: in quarum partium diſcrimine, Rerumpub. diſcrimina conſiſtunt: ſolet autem conſultari de pace, de bello, de ſocietate, & de fœderibus. Item de deferendis & abrogandis legibus, de rebus capitalibus, de exilio, de bonorum publicatione & correctione magiſtratuum, quarum rerum deliberationes omnes omnibus committi poſſunt, vel omnes quibuſdam, vel alia alijs, vel quadam omnibus. Vt omnes conſultent, populare eſt: quod fieri multis modis poteſt. Vt autem quidam de rebus omnibus ad paucorum potentiam pertinet. Partita verò deliberationes & iudicia ad optimatum adminiſtrationem, & Rempub. pertinent*

2 Bellicam ſocietatem, fœderaque ineundi. *Quod gracè eſt διάλυσις interpres fœdera conuertit, quia in hunc intellectum Ariſtoteles vti hoc vocabulo ſolet, quod propriè diſſolutionem ſignat. Sed quia fœderibus diſſoluũtur, ac dirimuntur controuerſia, idcirco auctores idem ad fœdera tranſtulerunt.*

runt, vt alioquoque in loco admonimus.

3 Res capitales *Capitalia crimina.*

4 Magiſtratuũ correctiones. *Magiſtratus corrigũtur cũ ab eis ratio geſti muneris repoſcitur, & cũ ſententia ab eiſdẽ lata ex prouocatione corrigitur.*

5 Quibuſdam omnia. *Hoc eſt vni cuipiam magiſtratui, vt Senatoribus qui omnes vnum magiſtratum gerunt.*

6 Aut pluribus. *Magiſtratibus.*

7 In Teleclis Mileſij Republica. *Quam Telecles Mileſius inſtituit, ſcripto, ſcilicet, vel legibus ferendis.*

8 Ex partibus prorſus minimis. *Vt ex ſingulis vicis, aut vijs, aut ſi qua ſint minores partes, in quas huius rei cauſa ciuitatem diuidi placeat.*

9 Sciſcendarum legum. *Sanciendi leges cauſa.*

10 Aut de Repub. *Conuenire de Repub. dicuntur, qui conueniunt ad deliberandum de re ad vniuerſam Rempub. pertinente.*

11 Omnes ſimul. *Vniuerſus populus.*

12 Comitiorum cauſa. *Magiſtratus creandi cauſa.*

13 Suffragio quot licet mandandis. *Ratio Reipub. popularis poſcit, vt magiſtratus non ſuffragio mandentur, ſed ſortibus: permittit tamen vt ſuffragio mandentur qui debent à doctis, aut peritis adminiſtrari neceſsitatis cauſa, vt iudicia qua ab imperitis legum rectè exerceri nequeunt, & ductus militaris qui non rectè niſi rei militaris peritis committitur.*

14 Niſi vt ad populum referant. *In concione deliberanda proponant, & ſententias exquirant, hoc eſt enim græcè προανακρίνειν. Nam qui negotium refert ad conſultores, is ſæpe ſolet in vtranque partem diſſerere, & quandoque ſuam ſententiam exponere.*

15 Extrema popularis Reſpub. *Peſsima forma Reipub. popularis.*

16 Aemulam eſſe diximus. *Similem. Nam qualis hæc eſt in populari genere, talis dynaſtia in paucorum potentia, & tyrannis in monarchia: nam in ſuo quaque genere peſsima eſt.*

17 A cenſibus mediocribus. *Cum aditus ad Rempub. gerendam licet egenis ſit negatus, patet tamen ijs qui mediocres habent facultates, qui magno numero ſint, & Rempub. ex legum decretis adminiſtrent.*

18 Cũ ſeipſi cooptant. *Cũ deficiẽtes magiſtratus ab ipſis qui Rempub gerunt, ſufficiuntur.*

19 Cum id commodius faciant. *Id quod pertinet ad iudicia, vt pauperibus obeuntibus iudicia, merces, diuitibus mulcta niſi obeant, conſtituta ſit.*

20 Tum de concionibus. *Vt idem ſcilicet de concionibus, & de liberandi munere in pauperes & diuites ſtatuatur: ſic enim Reſpub popularis cõmodè*

 iudicijs

iudicijs & deliberationibus adminiſtrabitur.

21 Aequè tamen ex partibus. *Ex diuitibus pariter & pauperibus.*

22 Si ciuiles. *Viri probi & facultate ciuili ad Rempub. gerendam inſtructi, quales nobiles & diuites eſſe ſolent.*

23 Quod mediocres numero ſint *Tot popularibus ſeu pauperibus merces eſt tribuenda, vt ipſorum multitudo non valde nobilium numerum excedat.*

CAPVT XV.

1. 1 PROXIMVM eſt vt de magiſtratibus diſputemus: nam hæc
quoque Reipublicæ pars complures habet differentias. Videndum
eſt enim quot ſint magiſtratus conſtituendi, & quarum rerum po-
teſtatem habere debeant, & de tempore quamdiu quiſque Rempu-
blicam gerere: (nam quidam ſemeſtres, alij breuioris temporis,
nonnulli annuos: ſunt qui longiores temporis magiſtratus faciant.)
item perpetuos eſſe oporteat magiſtratus, an diuturnos, an neutrũ:
ſed vt ſæpe ijdem magiſtratibus fungantur. an ſatius ſit eundem
non bis, ſed ſemel duntaxat magiſtratum gerere. Præterea de ratio-
ne conſtituendi magiſtratus, diſpiciendum eſt ex quibus, & à qui-
bus, & quomodo creari debeant: hæc enim cuncta quot modis fieri
poſſint, diſcernendi, tum qui quibus Rebuſpublicis conueniant,
2. conſtituendi & aptandi 2 facultas adeſſe debet. Sed nec illud in prõ-
3. ptu eſt conſtituere, quos oporteat 3 magiſtratus ſeu imperia nomi-
nare: multis enim 4 præfectis ſocietas ciuilis indiget Itaque non o-
mnes ſiue ſuffragio ſiue ſortito præficiantur, magiſtratus ſiue impe-
ria eſſe ſtatuere oportet. Vt primum omnium ſacerdotes: hoc enim
munus diuerſum eſſe à ciuilibus imperijs cenſeri debet. Præterea
5. chororũ præfecti & 5 præcones legati quoque deliguntur. Ex præ-
fecturis autem quædam ſunt ciuiles vel omnium ciuium ad ali-
quam actionem, vt imperator militantium: vel partis, vt gynæco-
6. nomus & pædonomus, hoc eſt 6 mulierum & puerorum præfe-
7. ctus. 7 quædam œconomicæ, (nam ſæpe fit vt aliqui metiendo fru-
8. mento præficiantur.) aliæ 8 miniſtratrices, quæ ſi copia ſit, ſeruis
mandantur. Ceterùm, vt ſimpliciter loquar, magiſtratus ſiue impe-
ria nuncupari hi potiſſimum debent, quibuſcunque poteſtas de
quibuſdam deliberandi & iudicandi atque imperandi adeſt: ſed hoc
maximè iubere: nanque magis imperium attingit. veruntamen
quo no-

quo nomine vocentur, 9 ad vſus nihil ferè intereſt. nunquam enim 9.
de nomine lis agitata eſt in iudicio, ſed differendi rationem ad in-
telligentiam pertinentem habet. Cæterùm qui & quot magiſtratus
neceſſarij ſint vt ciuitas conſiſtat, & qui ſint 10 non quidem neceſ- 10.
ſarij, vtiles tamen ad probam Rempublicam, in controuerſiam
magis venire poteſt, cum ad omnem Rempublicam, tum ad paruas
ciuitates. In magnis enim vnus magiſtratus ad munus vnum obe-
undum conſtitui & poteſt & debet, quia multi magiſtratibus præ-
fici propter ciuium multitudinem poſſunt. Itaque quoſdam magi-
ſtratus in longum tempus 11 intermittere licet, quoſdā ſemel dun- 11.
taxat gerere. Et profectò munus quodque melius, ſi quis vni tan-
tum procurationi vacet, obitur, quàm ſi multis negotijs diſtineatur.
In paruis autem ciuitatibus neceſſitas multos magiſtratus in pau-
cos homines conferre cogit. nam paucitas hominum facit ne multi
poſſint magiſtratus gerere. vbi enim ſunt qui rurſus his poſſint in
magiſtratus ſuccedere? Sed interdum paruæ ciuitates eiſdem & ma-
giſtratibus & legibus indigent quibus magnæ, niſi quòd 12 alteræ 12.
ſæpe indigent eiſdem, alteris longo poſt tempore hoc vſu venit.
Itaque res patitur 13 vt idem pluribus ſimul magiſtratibus præficia- 13.
tur, cum magiſtratuum alter alteri non ſit impedimento, & pauci-
tas hominum 14 magiſtratus facere cogat, tanquam veru lucernas. 14.
Si ergo explicare valeamus quot magiſtrat⁹ omni ciuitati adeſſe ſit
neceſſarium, & quot non quidem neceſſarium, ſed tamen conueni-
ens, facilè fuerit his cognitis, qui magiſtratus congruenter in vnum
magiſtratum conferantur, colligere. Illud quoque cognitum eſſe
oportet, quibus magiſtratibus per loca ſit multarum rerum cura
mandanda, & quas res vbique vnius magiſtratus arbitrio geri con-
ueniat: exempli gratia modeſtè viuendi rationem, vtrum in foro
huius rei cura ad ædilem pertinere debeat, & alio in loco ad alium,
an vbique ad vnum: & vtrum pro rerum an pro ratione hominum
partitio ſit facienda: vt vnus, exempli gratia, curam modeſtiæ ge-
rat, an ea cura alteri in pueros, alteri in mulieres mandari debeat:
ac item per Reſpub. vtrum magiſtratuum genus per ſingulas diffe-
rat, an ſecus: hoc eſt, vtrum in ſtatu populari & paucorum potentia
& optimatum gubernatione & vnius imperio ijdem magiſtratus
ſummi, non tamen ex paribus nec ex ſimilibus ſint, ſed alij in alijs,
hoc eſt, in ſtatu optimatum 15 ex doctis ac rectè inſtitutis: in pauco- 15.
rum potentijs, ex locupletibus: in ſtatibus popularibus, ex liberis, an

ſint quidam pro magiſtratuum diſcriminibus, ſed alicubi ijdem magiſtratus ſimiles ſint, alicubi differant: hic enim magnos eſſe conuenit, illic paruos. Sin tamen quidam proprij, qualis eſt præconſultorum: hic enim magiſtratus non eſt popularis, conſilium
16. tamen populare eſt: 16 aliquos enim tales eſſe oportet, quibus ante populum conſultare curæ ſit, ne populus ab operibus auocetur: qui ſi pauci numero fuerint, hoc ad paucorum potentiam pertinebit: præconſultores autem paucos eſſe neceſſe eſt: hic igitur magiſtratus paucorum potentiam attingit. Vbi verò eſt vterque magiſtratus, præconſultores contra conſultores conſtituuntur. Nam conſultor ad popularem, præconſultor ad paucorum ſtatum per-
17. tinet. 17 conſilij verò poteſtas in his popularibus adminiſtrationibus perit, in quibus populus ipſe conueniens cuncta negotia tractat: quod vſu venire ſolet, ſi opes abundè ſuppetant, aut ſi merces propoſita ijs, qui publicè conſultandi gratia conueniant: nam otio ſuppetente frequenter conueniunt, ac ipſi omnia decernunt. Porrò qui puerorum, quique mulierum modeſtæ ac temperatæ vitæ, cultuſque curam gerit, & ſi quis alius magiſtratus eſt tali negotio præfectus, hic ad ſtatum optimatum, non ad popularem perti-
18. net: 18 quomodo enim pauperum vxores ne domo exeant prohibeantur, ſed neque paucorum potentiæ conueniens eſt hic magiſtratus. Nam paucorum dominantium vxores delitioſè viuunt: ſed de his rebus hoc in loco hactenus. De ratione verò conſtituendi magiſtratus, conandum nobis eſt vt denuò diſſeramus. Differentiæ autem tribus terminis continentur, quibus compoſitis, vt modi omnes exiſtant neceſſe eſt. Horum autem trium primum eſt, à quibus creandi magiſtratus ſint: ſecundum, ex quibus: tertium, quomodo. Eorundem trium cuiuſque tres differentiæ ſunt. Nam vel ab omnibus ciuibus magiſtratus creantur, vel à quibuſdam.
19. Item aut ex omnibus aut ex certis quibuſdam & definitis, vt ex 19
20. cenſu, genere, vel virtute, aut tali quopiam alio, 20 vt Megaris, ex ijs qui conſpirarunt, ſimulque bellum aduerſus populum geſſerunt: Et hæc ſuffragio vel ſortito rurſus eadem copulantur in hunc modum, vt quidam à quibuſdam, alij ab omnibus, & alij ex omnibus, alij ex quibuſdam, partim ſuffragio, partim ſortibus. Harum autem differentiarum cuiuſque quatuor erunt modi. Nam vel omnes conſtituuntur ex omnibus ſuffragio, vel omnes ex omnib. ſortito: item vel ex omnibus vniuerſis, vel ex omnibus per partes,

 vt tri-

vt tributim,aut per cœtus hominum,vel ſodalitates, donec ſit ad omnes ciues peruentum, aut ſemper ex omnibus, & hi modo vno, illi alio Rurſus ſi à quibuſdam creentur,vel ex omnibus ſuffragio, vel ex omnibus ſortito,vel ex quibuſdam ſuffragio, ex quibuſdam ſortibus, vel partim vno modo,partim altero, id eſt quidam ex omnibus ſuffragio,quidam ſorte. Itaque præter duas copulas modi duodecim exiſtunt. Harum autem conſtitutionum duæ ſunt populares,vt ab omnibus ex omnibus omnes magiſtratus ſuffragio vel ſorte creentur:aut vtroque modo,partim ſorte, partim ſuffragio. vt autem non ab omnibus ſimul, ex omnibus tamen conſtituantur, vel ex quibuſdam ſorte vel ſuffragio vel vtroque modo, aut quidam ex omnibus, quidam ex certis (vtroque modo, id eſt partim ſorte,partim ſuffragio) ad Rempublicam pertinet ad paucorum autem potentiam, vt à quibuſdam ex omnibus hi ſuffragio deligantur,illi ſorte:vel vtroque modo, partim ſorte, partim ſuffragio. ſed illud eſt magis paucorum dominatus, vt ex vtriſque,. vt autem quidam ex omnibus conſtituantur, quidam ex certis, ad Rempublicam optimatum pertinet:vel partim ſuffragio, partim ſorte. vt autem à quibuſdam ex quibuſdam,ad paucorum : & item vt à quibuſdam,ex quibuſdam, quod tamen non ſimiliter fiat, vt à quibuſdam ex quibuſdam vtroque modo. ſed vt à quibuſdam, ex omnibus:ex quibuſdam verò à cunctis ſuffragio, conueniens eſt optimatum Reipublicæ. Modi ergo magiſtratus conſtituendi tot numero ſunt, & ad hunc modum per Reſpublicas diuiduntur. Cæterùm quæ quibus conueniat, & quomodo magiſtratus cum poteſtatibus mandari debeant, & qui ſint, facilè intelligetur. Poteſtatem magiſtratus dico, exempli gratia, vt vectigalia eius arbitrio adminiſtrentur, & item cuſtodia. Eſt enim aliud poteſtatis genus, vt imperandi in bello ſumma poteſtas : diuerſa genere eſt à poteſtate 21 de forenſibus commercij ſtatuendi & iudicandi. 21.

Scholia in Caput XV.

1 PROXIMVM eſt vt de magiſtratibus diſputemus. *De magiſtratibus pro ratione Reipub. conſtituendis conſiderare oportet, quot eſſe conueniat, & ad quæ munera obeūda, & in quod tempus. Item ex quibus creandi ſint, &c.*

ſint,& à quibus,& quomodo. Magiſtratus autem ſiue imperia propriè intelliguntur, quibus deliberandi, vel iudicandi, vel imperandi poteſtas adeſt, ſed potiſſimum quibus imperandi. Magiſtratus autem quidam ſunt in quaq; ciuitate neceſſarij, quidam non neceſſarij, vtiles tamen, quibus magna & opulentæ ciuitates vtuntur. Nam paruæ propter hominum idoneorum paucitatem pluribus neceſſarijs magiſtratibus, interdum hominem vnum præficiunt. Videndum eſt etiam, vtrum in omni genere Reipub. ijdem magiſtratus ſint inſtituendi, quamuis ex diuerſis hominum generibus: an diuerſi pro diuerſitate Reipub. & qui cuique Reipub. conueniant. Conſtituendi verò magiſtratus rationes variæ ſunt pro diuerſitate compoſitionum trium terminorum. Sunt autem termini, qui, ex quibus, & quomodo deligere debeant, vt omnes, aut quidam ex omnibus, aut ex quibuſdam, ſuffragio vel ſortibus deligant.

2 Facultas eſſe debet. *Homini ciuili, qui ſit de Repub. præcepta ſeu leges daturus.*

3 Magiſtratus ſeu imperia nominare. *ἀρχὴ græcè, quo vocabulo vtitur Ariſtoteles: modo magiſtratus, modo imperium latinè dicitur, idcirco interpres vnum vocabulum duobus declarauit.*

4 Præfectis indiget. *Præfectus latiſſimè patet, qui græcè eſt ὁ ἐπιστάτης. Nã cui munus aliquod mandatur, is eius muneris præfectus eſſe dicitur: vt ſacerdotes, qui procurandis ſacris præficiuntur, ſacrorum præfecti nominantur: & præfectus chori, qui chorum ducit, aut impenſas ad chorum ſeu ludum ſuppeditat, quia eius voluntate cuncta fiunt. ſed ἀρχὴ hoc eſt magiſtratus ſiue imperium, eſt conſultandi, ſeu iudicandi, ſiue imperandi publicè poteſtas.*

5 Præcones & legati. *Præcones olim more Græcorum, vt docet Homerus, non ſolum edicta & decreta principum pronunciabant, ſed etiam paruis legationibus fungebantur, vt nunc in bello tubicines.*

6 Mulierum & puerorum præfectus. *Præfectus mulierũ græcè γυναικονόμος erat, qui publicè curam gerebat, vt mulieres domi ſe continerent, honeſteq; viuerent ac eodem modo quidam pueris, vt modeſte agerent, præfectus erat, qui græcè παιδονόμος dicebatur,*

7 Quædam œconomicæ. *Procurationes œconomicæ dicuntur, quæ domeſticam patrufamilias rerum neceſſariarum curam imitantur.*

8 Miniſtratrices. *Quæ ad exequendum duntaxat munus aliquod publicum pertinebant.*

9 Ad vſus nihil ferè intereſt. *Ad Rempub. inſtituendam vel adminiſtrandam parum aut nihil refert, quo nomine præfectura quæque nominentur, quamuis ad cognitionem nonnihil faciat, hos ducit, quoniam vt alio in loco adnota-*

adnotauimus,& ſæpe ipſe admonet, in doctrina ciuili, licet pleraque omnia ad actionem pertineant, vt in cæteris doctrinis practicis ſiue actiuis, tamen quædam cognitionis duntaxat gratia traduntur.

10 Non quidem neceſſarij, vtiles tamen. *Omnis procuratio publica neceſſaria vtilis eſt, ſed non reciprocatur: nam fieri poteſt vt ſit vtilis, non tamen neceſſaria, vt mulierum aut puerorum præfectura.*

11 Licet intermittere *Vt idem magiſtratus non ab eodem homine geratur, niſi longo poſt tempore.*

12 Alteræ ſæpe indigent *Magnæ ciuitates.*

13 Vt idem pluribus ſimul. *Vt idem homo plures magiſtratus gerat, quia rarus eſt eius vſus in paruis ciuitatibus.*

14 Magiſtratus facere cogit verulucernas. *ὀβελισκολύχνεν græcè, quod interpres ad verbum conuertit verulucernam: eſt ferreum inſtrumentum quod altera parte figendis & aſſandis carnibus accõmodatur, ex altera vaſculum eſt in lucernæ modum formatum, quo pauperes ad vtrunque vtũtur. Nam cum terræ infigitur parte acuta, oleum in vaſculum ſuperius infunditur, & pro lucerna eſt. huius inſtrumenti Ariſtoteles etiam in libro quarto de partibus animalium, capite ſexto meminit in eandem ferè ſententiam, vt vnum opus vno inſtrumento melius fieri declaret, quàm ſi vnum inſtrumentum duobus operibus accommodetur. Simile huic inſtrumento eſt illud alterum quod gladius delphicus appellatur, de quo meminit libro huius operis primo in eandem ſententiam. Magiſtratus igitur verulucernæ fiunt, cum vni homini plures ſimul mandantur, quia vnus homo pluribus muneribus publicis fungitur, quod fit propter hominum paucitatem. vt verulucerna, & gladius delphicus ob ferri penuriam ita fiunt, vt poſſint pluribus vſibus accommodari.*

15 Ex doctis rectéque inſtitutis. *Ex ſapientibus & probis viris: hoc enim Ariſtoteles ſolet πεπαιδευμένους appellare.*

16 Aliquos enim tales eſſe oportet. *Aliquos ex alterutro genere qui pro tota ciuitate conſulteut, ne populares omnes diu conſultando ab operibus neceſſarijs, rebuſq; ſuis auocentur: qui conſultores, ſi pauci ſint, qui primum agenda deliberent, deinde ad populum deliberata de rebus grauioribus referant, Præconſultores dicuntur. Sin autèm multi, quorum conſilio & arbitrio Reſpub. adminiſtretur, Conſilium dicitur ſiue Senatus, quorum Præconſultores cum neceſſario pauci ſint, ad paucorum potentiam, Senatores ad ſtatum popularem pertinent, præſertim ſi illi ex certis generibus, hi ex omni populo deligantur.*

17 Conſilij poteſtas. *Senatus poteſtas. nam vbi populus vniuerſus inconcions*

ſione de rebus ſingulis conſultat, non relinquitur locus Sen atorijs conſultatio nibus.

18 Quomodo enim pauperum vxores. *Hic locus declarat mulieres domo exire prohibitas fuiſſe lege, cuius adminiſtri erant mulierum præfecti.*

19 Cenſu, genere, & virtute. *Diuitijs, genere, & peritia ſeu doctrina cum virtute. Nam eandem rem modo παιδείαν, vt paulò antè, id eſt peritiam ſiue diſciplinam, modò ἀρετὴν, id eſt virtutem vocat Ariſtoteles, quoniam hæ ſolent eſſe altera alterius comites.*

20 Vt Megaris ex ijs qui conſpirarunt. *Megara vrbs eſt in Peloponneſi & Attica regionis, atque Bœotia confinio ad Iſthmum ſita, in qua cum exorta inter nobilitatem & populum de Reipub. diſſenſione, victoria penes nobiles fuiſſet, facta eſt paucorum potentia, & conſtitutum, vt magiſtratus ex ijs qui populum deuicerant deligerentur.*

21 De forenſibus commercijs. *De emptionibus, & venditionibus, & contractibus.*

CAPVT XVI.

1. 2. 1 SEQVITVR vt 2 ex tribus partibus ad iudicia pertinentem
3. explicemus. Qua in re modi quoque 3 inſtituta ratione ſumendi
ſunt. Tribunalium autem diſcrimen in tribus terminis conſiſtit, ex
quibus, de quibus, & quomodo. ex quibus dico, vtrum ex omni-
4. bus, an ex quibuſdam: de quibus verò, 4 quot eſſe debeant tribuna-
lium genera: quomodo autem, ſuffragio, an ſortito deligendi ſint
iudices. Tribunalium igitur, vt de his primum diſſeramus, octo
genera ſunt. Vnum ad corrigendos magiſtratus. Alterum ſi quis
5. 6. 5 in re quapiam communi deliquit. Tertio de ijs 6 quæ Rempubli-
cam attingunt. Quartum de cauſis quæ inter magiſtratus, & priua-
tos homines de irrogatis mulctis agitantur. Quintum de priuatis
7. rerum magnarum commercijs: præterea 7 de rebus capitalibus &
de peregrinis. Sed tribunal rerum capitalium has habet ſpecies, ſi
cauſa iudices ipſos attingat, ſi inter alios agatur, item ſi quid capita-
le ex induſtria & ſi quid ab inuito fuerit admiſſum, item ſi de re ca-
pitali conſtet, ſed iure, an iniuria patrata fuerit diſceptetur. Quarta
8. ſpecies eſt reorum capitis, quorum cauſa 8 ad ſubterraneum carce-
rem referatur, quale Athenis eſt tribunal, quod puteale nomina-
tur: cuius generis flagitia pauca omni tempore & in magnis vrbi-
bus patrantur. Peregrinorum verò tribunalis, vna ſpecies eſt pere-

grinorum inter ipſos, altera peregrinorum cum ciuibus. Eſt aliud tribunalis genus præter hæc omnia de re pecuniaria ab vna vſque ad quinque drachmas, vel paulò amplius, nam de his quoque iudicium fieri oportet, quod tamen in iudicum multitudinem non cadit. Sed harum rerum, & capitalibus peregrinorumque iudicijs omiſſis, de ciuilium rerum tribunalibus diſputemus, de quibus reb. niſi rectè fuerit iudicatum, ſeditiones & Rerumpublicarum mutationes exiſtunt. Neceſſe eſt autem, 9 vel omnes de cunctis contro 9.
uerſijs ſuffragio, vel ſorte conſtitutos iudicare, vel omnes de omnibus, partim ſorte, partim ſuffragio delectos, 10 vel omnes de qui- 10.
buſdam eiuſdem generis controuerſijs, partim ſorte, partim ſuffragio. hi ergo modi quatuor numero ſunt, totidemque 11 alij per par- 11.
tes. nam rurſus ex quibuſdam ſuffragio deliguntur qui iudicent de omnib. vel ex quibuſdam ſorte, qui item de omnibus iudicent, aut partim ſorte, partim ſuffragio, aut quædam tribunalia ſunt, de eiſdem rebus ex iudicibus ſorte, ſuffragioque conſtitutis. Igitur hi modi ijdem ſunt, qui ſuperiores de quibus diximus, atque eadem erunt tribunalia, ſi copulentur in hunc modum, partim ex omnibus, partim ex quibuſdam, partim ex vtriſque, id eſt ſi eiuſdem tribunalis iudices quidam ex omnibus, quidem ex quibuſdam conſtituantur, item ſorte vel ſuffragio. vel vtroque modo. Quot igitur modis tribunalia conſiſtere queant declarauimus: quorum prima Reipublicæ populari conueniunt, quæcunque ſunt ex omnibus, vel de omnibus. ſecunda verò paucorum dominatui, quæcunque ex quibuſdam de omnibus. tertia pertinent ad ſtatum optimatum, & Rempublicam, quæcunque partim ex omnibus, partim ex quibuſdam deliguntur.

Scholia in Caput. XVI.

1 SEQVITVR vt ex tribus partibus ad iudicia pertinentem explicemus. *Tribunalium ſiue iudiciorum differentia in tribus terminis cernuntur: ex quibus ciuibus deligendi ſint iudices, & quibus de rebus ſint iudicaturi, & quomodo ſint deligendi. Numerat autem octo genera tribunalium pro diuerſitate cauſarum, deinde modos deligendi perſequitur, per ſuffragia, & ſortes, & ex quibus, ex cunctis, vel ex quibuſdam.*

2 Ex tribus partibus. *Suprà capite quartodecimo tres partes eſſe dixit Reipub. potiſſimas, de quibus legumlatores conſiderare debeant, conſultores,*

magiſtratus, & iudices. Explicatis igitur duabus partibus, ad tertiam progreditur.

3 Inſtituta ratione. *Quemadmodum conſtituimus per copulationem terminorum.*

4 Quot eſſe debent tribunalium genera. *Quot genera iudiciorum.*

5 In re communi deliquit. *Vt ſi Rempub. compilauit.*

6 Quæ Rempub attingunt. *Quæ pertinent ad ſtatum Reipub. vt crimina læſæ maieſtatis.*

7 De rebus capitalibus. *Res ſiue cauſa capitalis eſt, in qua de capite, hoc eſt de vita reus periclitatur, ſiue de exilio, quæ mors ciuilis appellatur. ad ſummam in qua de crimine agitur, non de contractu ciuili*

8 Ad ſubterraneum carcerem. *Solent qui magnum aliquod flagitium commiſerunt, in loca carceris ſubterranea & obſcura triſtiaq; detrudi, ad quos audiendos & iudicandos tribunalia ſubterranea ſunt apud quoſdam conſtituta, vt Athenis tribunal, quod puteale dicebatur.*

9 Vel omnes de cunctis controuerſijs. *Neceſſe eſt vt vel iudices ex omni populo delecti cauſas omnes ciuiles dijudicent, idq; bipartito, vt omnes ſuffragio deligantur, vel omnes ſortibus, qui ſunt duo modi: vel ex omni populo partim ſuffragio, partim ſorte delecti de omnibus cauſis ſtatuant, qui tertius: vel ex omni populo, partim ſuffragio. partim ſorte delecti de quibuſdam cauſis decernant, qui quartus modus eſt. Nam omnes dixit pro ex omnibus delecti, vt ipſe declaras in fine huius capitis illis verbis,* prima, inquit, tribunalia Reipub. populari conueniunt, *quæcunque ſunt ex omnibus, propterea ſcilicet, quia cum ex omnibus delecti iudicant, omnes iudicare videntur. Nam omnes iudices de omnibus cauſis iudicare, ſi non ex omni populo, ſed ex certis quibuſdam fuerint delecti, haud dubiè non ad ſtatum popularem, ſed ad paucorum potentiam pertinet.*

10 Vel omnes de quibuſdam eiuſdem generis controuerſijs. *Vel ex omni populo delectos, de quibuſdam ciuilibus controuerſijs iudicare.*

11 Alij per partes. *Vt non ex omnibus, ſed ex ordine aliquo deligantur. Ex ijs ergo tribus generibus omnes primi generis modi conueniunt populari Reipublica, quia in eis omnibus iudices deliguntur ex omni populo: ſecundi ad paucorum potentiam, quia omnes ex quibuſdam, vt ex diuitibus ſeu nobilibus: tertij verò ad ſtatum optimatum, quia partim ex omni populo, partim ex certis ordinibus deliguntur.*

FINIS LIBRI QVARTI.

ARISTO-

ARISTOTELIS DE REPVBLICA LIBER QVINTVS,

Interprete & enarratore

IOANNE GENESIO SEPVLVEDA CORDVBENSI.

CAPVT I.

QVIBVS de rebus diſſerere ſtatueramus, 1.
eas cæteras ferè omnes explicuimus. Dein-
ceps ex quibus,quot,& qualibus Reſpublicæ
mutentur, & quæ res cuique Reipub. interi-
tum afferant, & ex qualibus potiſſimum in
quales tranſeant, & quæ ſint Rebuſpublicis
ſalutaria,tum communiter,tum cuique ſepa-
ratim, diſſerendum nobis eſt. Item per quas
res potiſſimum Reſpublica quæque conſeruetur,vt inſtituimus de-
clarandum:hinc,vt oportet,initio ſumpto. Multa Reipublicæ ge-
nera facta ſunt, cunctis iuſtum, & 2 quod proportione ſit æquum 2.
tenendum eſſe confitentibus,ab hoc tamen, quemadmodum ſuprà
diximus,aberrantibus. Status enim popularis exiſtit, dum qui ſunt
vtcunque pares,hi ſimpliciter ſe pares eſſe putant. Paucorum do-
minatus,dum qui quadam ex parte ſuperiores ſunt,hi ſe prorſus eſ-
ſe ſuperiores arbitrantur. Nam 3 qui ſunt opib. ſuperiores,hi pror 3.
ſus ſe ſuperiores eſſe putant:tum alteri quaſi pares ſint,paria cuncta
ſibi tribui putant oportere:alteri velut ſuperiores ſint, maiorem
partem vendicare ſibi moliuntur. nam 4 quod plus eſt,maius eſt. 4.
Omnes igitur Reſpublicæ 5 iure quodam nituntur, ſimpliciter ta- 5.
men aberrant. Ita fit vt cum vtriſque pro ſua opinione Reſpublica
non communicatur,ſeditiones oriantur, quas iuſtiſſimè omnium
excitarent qui minimè id faciunt virtute præſtantes, quippe 6 qui 6.
ſoli ſuperiores ſimpliciter haberi maxima ratione debent.Sed qui-
dam genere præſtantes 7 ipſis non putant paria deberi, propter hác 7.
inæqualitatem ſeu præſtantiam. nam genere nobiles eſſe videntur,
quibus maiorum virtus diuitiæque adſunt Hæc igitur ſunt initia &
fontes, v nde ſeditiones oriuntur. Itaque merito fiunt mutationes.

Iam enim mutatio fit in Rempublicam, vt ex vno ſtatu fiat alter: exempli gratia, paucorum potentia ex adminiſtratione populari, aut popularis ex paucorum gubernatione, vel ex his Reſpub. & ſtatus optimatum, aut hæc ex illis. Iam verò non in aliud Reipublicæ genus mutatio fit, ſed Rempublicam in eodem ſtatu, per ſe tamen adminiſtrari volunt: exempli gratia, paucorum potentia, aut monarchia retenta. Fit præterea mutatio in pluris minoriſque ratione, vt ſi paucorum potentia ad pauciores vel aliquanto plures redigatur, aut ſi popularis adminiſtratio magis aut minus popularis fiat, ac eodem modo in cæteris Reipublicæ formis, vt intendantur, aut viciſſim remittantur. Fit etiam mutatio ad partem aliquam Reipublicæ variandam, vt ad magiſtratum aliquem conſtituendum, aut
8. viciſſim antiquandum: vt Lacedæmone 8 Lyſander regnum, Pau-
9. ſanias rex, Ephoriam tollere tentaſſe à quibuſdam traditur. 9 Epidamni quoque Reſpublica ex parte mutata eſt: nam pro tribuum
10. præfectis Senatus eſt conſtitutus 10 Ad Heliæam autem magiſtratus cum ſuffragio creantur, ex his etiam nunc creari neceſſe eſt, qui Rempublicam adminiſtrant. Pertinet etiam ad paucorum potentiam princeps vnus, qui imperium in hac Republica tenebat. Omnes enim propter inæqualitatem diſſident, cum imparibus non tri-
11. buitur, quod proportione debetur. 11 Nam regnum perpetuum inæquale eſt, ſi habeatur in pares, quoniam omnino æquum peten-
12. tibus, ſeditiones excitantur. 12 Aequum autem eſt duplex, numero, & dignitate. æquum numero dico, quod eſt idem & par multitudine, aut mole: dignitate verò quod ratione, verbi gratia, tria pari numero ſuperant duo, & hæc vnum: pari verò ratione quatuor duo, & hæc vnum, quoniam duo pars ęqualis eſt quatuor, & vnum duorum, nam vtrunque dimidium eſt. Et quum omnes confiteantur ſimpliciter iuſtum eſſe, quod ratione eſt aut proportione æquale, diſſentiunt: tamen, quemadmodum ſuprà diximus, quidam quoniam cum aliquo pares ſint, prorſus ſe pares eſſe cenſent, alij cum ſint aliqua re impares, ac ſuperiores, cunctis in rebus plus ſibi deberi putant. Quo fit vt duo potiſſimum exiſtant genera Reipublicæ, populare, & paucorum, quoniam generis nobilitas & virtus in
13. paucis reperitur, 13 hæc autem in pluribus. nobiles enim & probi
14. nuſquam centum ſunt, 14 pauperes paſſim multi. vt autem ſimpliciter omnino forma Reipublicæ inſtituatur ex alterutra æqualitate, vitioſum eſt: quod euentus ipſe rerum declarat, nulla enim harũ

Rerum-

Rerumpublicarum ſtabilis eſt, cum fieri non poſſit, vt ſi in primo atque principio peccatum fuerit, non ad extremum malum aliquod euadat. Itaque oportet partim numeri, partim rationis æqualitate vti. Cæterum ſtatus popularis tutior eſt minuſque ſeditionibus patet, quàm paucorum dominatus. hic enim duplex eſt ſeditio: nam 15 tum inter ſe diſſentiunt, tum cum populo. in ſtatu vero po- 15.
pulari, cum paucorum duntaxat potentia diſſidetur: populus autem inter ſe aut nihil, aut perparum diſſentit. Præterea 16 medio- 16.
crium Reſpublica 17 quæ talium omnium eſt tutiſſima, propius 17.
ad ſtatum popularem, quàm ad paucorum potentiam accedit.

Scholia in Caput I.

1 QVIBVS de rebus diſſerere ſtatueramus, eas cæteras ferè omnes explicuimus. *In quatuor libris ſuperioribus de ciuitate & eius partibus, deque omni Reipub. genere, tum communiter, tum ſingulatim diſputauit: multáque de legumlatorum officio, & quorūdam erroribus commemorauit. Deinceps de Rerumpub. mutationibus, & mutandi cauſis ediſſerit: & quibus rebus vnumquodque Reipub. genus conſeruetur, & quibus viciſſim labefactetur declarat. Caput autem omnis ferè ſeditionis eſſe tradit, quod cum omnes æquum proportione dignitatis eſſe cuique tribuendum confiteantur, tamen quidam cum pares ſint in vna re duntaxat, omnium rerum paritatem ſibi poſtulant. alij cum vna ſint ſuperiores rerum omnium, maiorem partem ſibi vendicare conantur: quæ cum ſimul fieri non poſſint, ex hac opinionum contrarietate & contentione ſeditiones exiſtunt. Dupliciter autem fit in Repub. mutatio nam vel Reſpub. tranſit in genus diuerſum, vt cum fit popularis ex paucorum potentia: vel retenta eadem Reipub. forma mutantur rectores, aut magiſtratus aliquis nouus inſtituitur, aut vetus antiquatur: vel ratio Reipub. intenditur vel remittitur vt fiat, exempli gratia, magis aut minus popularis, vel tyrannica.*

2 Quod proportione fit æquum. *Vt ſeruetur proportionis æqualitas, vt ſi par ſit dignitas, paria tribuantur præmia: ſin impar, eadem ſit proportio præmiorum quæ dignitatum. Itaque tota controuerſia eſt de dignitatis ſeu meritorum paritate, vel inæqualitate.*

3 Qui ſunt opibus ſuperiores. *Locupletes, quia diuitijs ſuperant, quæ eſt pars vna dignitatis, putant ſe ſimpliciter eſſe ſuperiores, non animaduertentes fortaſſis, quòd quos opibus ſuperant, ab ijs virtute & doctrina ſuperantur, quæ multo maior dignitas eſt.*

4 Quod plus eſt, maius eſt. *Vt plus bonorũ maius præmium eſt. Nam licet inæquale dicatur, tum quòd minus eſt, tum quòd maius, tamen hoc in loco & quæſtione, inæquales & inæqualia ſolet Ariſtoteles ſuperiores & maiora vocare, more Græcorum, qui διαφέρειν quoque, hoc eſt differre, pro præſtare dicunt.*

5 Iure quodam nituntur. *Parte quadam iuris.*

6 Qui ſoli ſuperiores ſimpliciter. *Nam diuites opibus nobiles genere ſuperiores eſſe dicuntur, ſcilicet ſecundum quid: at qui virtute præſtant, ſimpliciter ſuperiores ſunt.*

7 Ipſis non putant paria deberi. *Id eſt virtute præſtantibus, vel ſibiipſis: nam ad vtroſque referri poteſt. eadem eſt tamen ſententiæ ſumma, genere nobiles putare ſe cæteris etiam virtute præſtantibus eſſe ſuperiores: nituntur enim tum virtute, tum etiam opibus: quod iure facerent, ſi ſua etiam non ſolum maiorum aliena virtute niterentur.*

8 Lyſander regnum. *Liſander Lacedæmonius vir fuit rebus geſtis clariſſimus, ex Heraclidarum genere: cuius vitam perſequitur Plutarchus, eumq́ conatum fuiſſe tradit, vt regnum non ſucceſſione perpetua, ac iure hæreditario Euryſtionidis & Agidis duntaxat duabus Heraclidarum familijs traderetur, ſed præmium eſſet virtuti, ac meritis optimi cuiuſq́ Spartani propoſitum. Aut hoc igitur innuit Ariſtoteles, aut Lyſander regnum prorſus tollere conatus eſſe traditur ab alijs auctoribus, vt Pauſanias re Ephororum magiſtratum delere. Erat enim Ephoria magiſtratus penè tyrannicus, & regibus potiſſimum inimicus.*

9 Epidamni. *Dyrrhachij, quod oppidum eſt in Illyria, de quo ſuprà memorauimus.*

10 Ad Heliæam autem. *Heliæa maximum tribunal erat Athenis, vnde Heliaſtæ iudices in eo tribunali iudicantes, qui ex publico alebantur. Ad hunc igitur magiſtratum neminem deligi conſueuiſſe tradit Ariſtoteles, niſi ex ijs qui eſſent in Reipub. adminiſtratione, alióſque magiſtratus gererent, quod durabat etiam nunc ex antiqua paucorum potẽtia, ad quam illud quoque pertinere ait, quòd vnus qui Archon ſeu princeps dicebatur, ſummo magiſtratui præerat, qui primum perpetuus erat, deinde ad decennium, poſtremo annuus, vt refert Euſebius: quæ omnia traduntur ab Ariſtotele, vt doceat Rempub. Athenienſium ex paucorum potentia factam fuiſſe popularem.*

11 Nam regnum perpetuum. *Id eſt ſumma vnius poteſtas ſi perpetua ſit in ciues pares, qualis erat Archontis Athenis, non ſeruatur æqualitas proportionis: nam ſi annua ſit, ſiue ad certum aliud tempus, vt ſit locus viciſſitudini, æquior eſt & ciuilior.*

12 Aequum autē eſt duplex numero, & dignitate. *Duplex eſt æqualitas, quam quidam proportionalitatem nominant, arithmetica & geometrica. Arithmetica, cum idem eſt exceſſus, vt idem eſt exceſſus trium ad duo, quæ duorum ad vnum: nam vtrobique exceditur vno. Geometrica verò, cum eadem eſt vtrobique proportio, vt quatuor ad duo eadem eſt proportio, quæ duorum ad vnum: nam vtrobique eſt dupla proportio, hoc enim eſt quod ait. Vtrunque dimidium eſt.*

13 Hæc autem in pluribus. *Libertas qua pauperes nituntur.*

14 Pauperes paſsim multi. ἄποροι δὲ πολλοὶ πολλαχοῦ. *ſic enim legitur in codicibus emendatis, non εὔποροι, vt habet impreſſa & vulgata editio. Quæ ſcriptura nec conueniens eſt, nec vera.*

15 Tum inter ſe diſſident. *Diuites inter ipſos, tum diuites cum popularibus.*

16 Mediocrium Reſpub. *Quæ conſtat ex ciuibus mediocria patrimonia poſsidentibus.*

17 Quæ talium omnium eſt tutiſsima. *Deprauatarum, ſeu quæ ab optimo ſtatu Reipublicæ deflexerunt.*

CAPVT II.

1 SED quoniam ex quibus rebus ſeditiones exiſtant, & Rerum- 1.
publicarum mutationes fiant, conſideramus: primum omnium v-
niuerſè principia & cauſas eorum intelligere oportet. 2 Sunt autem 2.
ferè tres numero, quas per ſe ſummatim primùm definire oportet.
Intelligendum eſt enim 3 quomodo animati homines in ſeditionē 3.
concitantur: deinde quarum rerum cauſa: tum tertio quæ ſint ciui-
lium perturbationum, & inteſtinarum diſſenſionum origines. Vt
igitur quodammodo ſint animati ad mutationem, id quod ſuprà
diximus, in cauſa eſſe putare conuenit, quod quidam dum æquali-
tatem cupiunt, ſeditionem faciunt, ſi ſe minus habere putent, cum
pares ſint ijs qui plura ſibi vendicant. Alij dum 4 imparitatem & 4.
præſtantiam appetunt, ſi ſibi perſuaſerint nihilo ſe plus habere, ſed
par aut minus, cum ſint præſtantiores Hæc autem poſſunt iuſtè ap-
peti, poſſūt etiam iniuſtè: nam 5 cum ſint inferiores, 6 vt pares ſint 5. 6.
per ſeditionem moliuntur: & cum pares, 7 vt maiores: quomodo i- 7.
gitur affecti ſeditiones faciant, explicuimus. Res autem de quibus
diſſidetur, ſunt 8 quæſtus, & honor, 9 & his oppoſita. Nam tum vt 8. 9.
dedecus, tum vt detrimentum in ſe vel in amicis euitent, ſolent ho-

10. mines ſeditiones inciuitatibus commouere. 10 Cauſę verò & principia motuum, vnde quemadmodum diximus aſſiciuntur, & pro
11. rebus memoratis, ſunt 11 quodammodo ſeptem numero, quodam-
12. modo plura, quorum duo eadem ſunt, & quæ ſuprà diximus, 12 ſed non eodem modo. Nam & compendij & honoris cauſa alij alijs ſuccenſent, non vt ſibi ipſis vendicent, vt ſuprà dictum eſt, ſed quòd alios vident partim iuſtè, partim iniuſtè his rebus magis auctos: item propter contumeliam, propter timorem, propter excellentiam, propter contemptum, & ſi quis pluſquam pro ratione dignitatis augeatur: adhæc alio modo ob verecundiam, ob negligentiam, ob exiguitatem, ob diſſimilitudinem.

Scholia in Caput. II.

1 SED quoniam ex quibus rebus ſeditiones exiſtunt. *Quoniam ſermo de ſeditionibus popularibus inſtituitur, tria conſideranda ſunt. Primum quomodo affecti quáue perſuaſione inducta ciues in Repub ſeditiones moliantur: deinde quibus de rebus contendentes, tum quæ ſint initia & irritamenta ſeditionum. Eſt autem perſuaſio, qua ciues ad diſſidendum inducuntur, quòd quidam ſe pares eſſe putant alijs à quibus ſuperantur, ſeq; illis volunt in Reipub. commodis exæquari. Alij cum pares ſint, ſe ſuperiores eſſe putant, & plus ſibi Reipub. deberi contendunt. Res autem de quibus contenditur, ſunt commoda & honores quibus ſe ciues aut æquari, aut præferri volunt. Principia verò & cauſæ diſſenſionum ſeptem memorantur, de quibus ſuo loco differemus.*

2 Sunt autem ferè tres numero *Ferè dixit, quoniam ſi plures ſint cauſæ ad tres tamen referri poſſunt.*

3 Quomodo animati. *Quæ inducti perſuaſione.*

4 Imparitatem & præſtantiam appetunt. *Plus commodi & honoris in Repub.*

5 Cum ſint inferiores *Dignitate & meritis.*

6 Vt pares ſint. *Commodis vel honore.*

7 Vt maiores. *Vt plus commodi vel honoris accipiant.*

8 Quæſtus & honor. *Vt commodis vel honoribus afficiantur.*

9 Et his oppoſita *Vt detrimentum vitent, aut dedecus.*

10 Cauſę verò et principia *Irritamenta & ſeditionum origines. His enim rebus laceſſiti & irati homines initio ad ſeditionem impelluntur.*

11 Quodammodo ſeptem numero. *Nā ſeptem ſunt quæ magis per ſe irā & ſedi-*

& ſeditionem mouent: alia verò, vt negligentia & verecundia, magis ex accidenti: quæ omnia quomodo cauſæ & origines ſeditionum fiant, ipſe deinceps ſigillatim declarabit.

12 Sed non eodem modo. *Nam ſuprà compendium & honores conſiderantur, vt ſunt res, de quibus contenditur in ciuilibus diſſenſionibus, dum ea ſibi quiſque petit. Nunc autem alia ratione, vt homines iniquo animo, alios his bonis præter meritum auctos eſſe ferunt, & interdum etiam ſi iuſtè augeantur, per inuidentiam ſcilicet indignantur.*

CAPVT III.

1 EX his contumelia & compendium quam vim habeant, & 1.
quomodo cauſæ ſint, pene in promptu eſt intelligere. Nam ſi magi-
ſtratus contumelioſe & auarè imperent, non ſolum ciues inter ſe
diſſident, ſed etiam à Rebuſpublicis quæ licentiam præbent, ani-
mos auertunt. Auaritia verò nunc in priuatis rebus, nunc in com-
munibus verſatur. Honor quoque quantum valeat, & quomodo
ſit cauſa ſeditionis, manifeſtum eſt. Nam homines tum quòd ipſi
inhonorati fiunt, mouent ſeditiones, tum quòd alios videant in
honore eſſe. Hæc autem fiunt iniuſtè, cum aliqui præter meritum
vel honorantur, vel ſunt inhonorati: iuſtè verò, cum pro cuiuſque
dignitate fit. Ob excellentiam ſeditio exiſtit, cum aliquis maiorem
habet potentiam, ſiue ſit vnus, ſiue plures, 2 quàm pro ratione ci- 2.
uitatis & virium Reipub. ex talibus enim monarchiæ vel dynaſtiæ
ſolent exiſtere. Quamobrem in quibuſdam ciuitatibus tales homi-
nes 3 in exilium ad tempus mittere conſueuerunt, vt Argis & Athe 3.
nis. Atqui ſatius erat ab initio ne qui tantopere eminerent proui-
dere, quàm poſtquam fuerit permiſſum, mederi. Propter timo-
rem ſeditiones mouent quidam, metuentes ne illatarum iniuria-
rum pœnas luere cogantur. Alij prouidentes ne iniurijs quas me-
tuunt afficiantur, 4 vt in Rhodo, nobiles in plebem conſpirarunt, 4.
iudicia & impetum popularem metuentes. Propter contemptum
etiam ſeditiones conſpirationeſque fiunt, vt in paucorum quidem
dominatibus, cum plures ij ſint quibus Reſpublica non commu-
nicatur: 5 putant enim ſe potentiores eſſe. In ſtatibus verò popu- 5.
laribus diuites ſeditionem mouent, dum rerum perturbationem,
quæ citra ordinem & imperium adminiſtrantur, contemnunt, vt
6 Thebis poſt prælium ad vineta, cum prauè adminiſtretur Reſpu- 6.

blica,ſtatus popularis eſt deletus:& item Megaris, quòd nec ordine
7. nec imperio adminiſtraretur Reſpublica popularibus deuictis:&7
Syracuſis ante Gelonis tyrannidem:in Rhodoque inſula ſtatus po-
8. pularis 8 ante defectionem eſt diſſipatus. Cum autem quidam fue-
rint præter proportionem aucti, idcirco fiunt Rerumpublicarum
mutationes. Quoniam vt corpus ex partibus conſiſtit, proportio-
9. neque augeſcat oportet vt 9 commenſus ſeruetur, alioquin perit ſi
10. pes 10 quatuor cubitorum fiat,reliquum autem corpus duabus pal-
11. mis pateat:interdumque in aliam tranſit animalis formam,ſi 11 nō
ſolum quanto, ſed quali etiam augeſcat, non ſeruata proportione:
ſic ciuitas ex partibus conſtat,quarum ſæpe aliqua latenter augeſcit,
vt in popularibus & Rebuſpublicis egeneorum multitudo : quod
12. accidit nonnunquam forte fortuna,12 vt Tarenti, victa pleraq; no-
13. bilitate, & à Iapigibus deleta 13 paulò poſt Medorum bellum, ex
Republica factus eſt ſtatus popularis. Et in Argo poſt eorum cædē
14. 14 qui fuerunt ad hebdomam à Cleomene Lacedæmonio conciſi,
15. 15 quoſdam Periœcorum in ciuitatem adciſcere coacti ſunt. Et A-
thenis cum terreſtri prælio infeliciter fuiſſet dimicatum, nobilitas
ad paucitatem redacta eſt,propterea quòd ex delectu milites ad bel-
lum Laconicum mittebantur. Hoc quoque rarius quidem accidit,
tamen in ſtatibus popularibus. Nam cum locupletum numerus fa-
ctus eſt amplior,aut patrimonia creuerunt,populares in paucorum
dominatus tranſeunt,vel dynaſtias. Mutantur etiam Reſpublicæ
16. citra ſeditionem propter pudorem, 16 vt accidit in Heræa.Hæc e-
nim cauſa fuit, vt magiſtratus mandandi ratio ex ſuffragio trans-
ferretur ad ſortes, propterea quòd pudendi homines ſuffragio ad-
ciſcebantur. Adhæc ob negligentiam, cum ad ſummos magiſtratus
17. eos peruenire permittunt,quibus diſplicet ratio Reipublicę,17 vt in
vrbe Oreo paucorum potentia diſſipata eſt, cum ad Heracleodo-
rum magiſtratus eſſet delatus, qui ex paucorum dominatu Rem-
publicam & ſtatum popularem conſtituit. item quia paulatim effi-
citur.dico autem paulatim, quoniam ſæpe magna legum atq; mo-
rum mutatio latenter obrepit,cum negligitur exiguum,vt in Am-
bracia cenſus erat exiguus. poſtremo nullius cenſus homines ma-
giſtratus gerebant : quaſi vix, aut ne vix quidem paruum à nihilo
differret. Generis etiam diuerſitas,ſeditionis eſt cauſa, donec animi
conſentiant. Nam quemadmodum ciuitas non ex quauis multitu-
dine fit, ſic non efficitur in quolibet tempore. Quare qui inquili-
nos &

nos & aduenas antehac in ciuitatem receperunt, hi magna ex parte ſeditionibus iactati ſunt, vt 18 Achęi Sybarim oppidum, cum Trœzenijs incoluerunt, deinde cum Achæi in maiorem numerum excreuiſſent, Trœcenios expulerunt, quæ Sybaritis fuit malorum origo. Quibus in Thurijs idem accidit cum inquilinis Nam cum agri tanquam ſui maiorem ſibi partem vendicarent, exorta ſeditione, ſuperati pulſique ſunt. Et 19 Bizantini aduenarum in ſe inſidijs deprehenſis eos commiſſo prælio vrbe depulerunt. 20 Antiſſæi quoque Chiorum exules, quos in ciuitatem receperant, armis itidem eiecerunt. 21 Zanclæi cum Samios recepiſſent, ab eis ſuperati & eiecti ſunt. Et 22 Apolloniatę qui ſunt ad pontum Euxinum cum aduenas recepiſſent, ſeditionibus laborarunt. Et Syracuſani 23 poſt tyrannica tempora, cum peregrinos & mercenarios ciuitate donaſſent, ſeditionibus agitati ſunt, ad certamenque deuenerunt. Et 24 Amphipolitæ receptis Calcidenſibus colonis, ab ijs fuerunt plerique eorum eiecti. In paucorum dominatibus populares mouent ſeditionem; velut iniuriam accipiant, quòd eis Reſpublica cum pares ſint, non pariter communicetur, quemadmodum ſuprà diximus. In ſtatibus verò popularibus nobiles diſſident, quòd cum ſint ſuperiores, pariter tamen Republica participant. Ciuitates autem interdum propter loca etiam tumultuantur, cum natura regionis parum eſt ad vrbem vnam conſtituendam idonea: 25 vt Clazomenis qui Chytron habitant, alienos gerunt animos ab incolentibus inſulam: & 26 Colophonijs Notienſibus & Athenis non vnus eſt cũctorum animus, ſed 27 qui Pyræum habitant, hi magis ſtatui populari ſtudent, quàm qui vrbem ipſam incolunt. Nam vt in bellis 28 interiectæ foſſæ, quanquam exiguæ, diſtinent tamen phalanges, ſic omnis differentia diſſenſionem parere videtur. Sed forſitan omnium maxima diſſenſio eſt virtutis cum vitio, proxima diuitiarum cum egeſtate, & ſic diſcrimen aliud alio magis diſſenſionem parit, 29 quorum vnum eſt, quod memorauimus.

(Margin: 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29.)

Scholia in Caput III.

1 Ex his contumelia & compendium: *Declarat quomodo rerum memoratarum quæque ſit cauſa & origo ſeditionis. Contumelia, inquit, quæ opponitur honori, & compendium ſiue quæſtus ſeditionem mouent, ſi magiſtratus per libidinem aut contemptum iniuriam & contumeliam inferant, aut*

habeant quæſtui Rempub. aut bona priuatorum inuadunt. Quæ res non ſolum in magiſtratus importunos mouet odium, ſed etiam in ipſam Rempub. qua magiſtratibus eam licentiam tribuit. Honor verò, ſi vel ipſi ſine honore ſint, vel alios in honore eſſe indignentur. Excellentia, quum aliquis ſic inter ciues excellit, vt periculum ſit, ne totam ad ſe trahat Rempub. vel ſi plures ſint trahant. Timor dupliciter, vel ne pœnas luant admiſſi criminis, vel ne iniuria afficiantur. Contemptus, cum ij quibus honores non communicantur, ſperni ſe putant. Pudor, cum pudendis hominibus mandantur magiſtratus. Negligentia, cum ciuium incuria ſummo magiſtratui præficitur is, cui odio eſt præſens Reipub. ſtatus. Exiguitas, cum paruum diſcrimen ad nullum redigitur, vt in cenſibus paruis. Generis diuerſitas, cum aduenis aut inquilinis Reſpub. communicatur.

2 Quàm pro ratione ciuitatis & virium Reipub. *Vt ſi quis vnus aut pauci potentia & opibus cæteram omnem ciuitatem & Rempub. exuperent: hinc enim fit vt vel vnus tyrannidem occupet, vel pauci dynaſtiam, qui peſſimus ſtatus eſt paucorum potentiæ.*

3 In exilium ad tempus mitti conſueuerunt. *In decennium per oſtracismum ex vrbe pelli.*

4 Vt in Rhodo nobiles in plebem conſpirarunt. *Metuentes ne commiſſorum criminum aut male geſtæ Reipub pœnas dare cogerentur.*

5 Putant enim ſe potentiores. *Paucis diuitibus, ac ideo contempta ipſorum paucitate Rempub. inuadunt.*

6 Thebis poſt prælium ad vineta. *Prælium innuere videtur, quo Megalopolitæ & Achæi victi ſunt à Lacedæmonijs duce Cleomene rege, ad locum, vt ait Plutarchus, vitibus conſitum, & foſſis & parietibus impeditum. Nam licet Thebani huic prælio non interfuerint, hac tamen victoria à Lacedæmonijs parta magna fuit in omni Peloponneſo animorum facta commotio. Thebæ autem vrbs eſt celeberrima Bœotiæ, licet multæ aliæ huius nominis in alijs regionibus memorentur, vt Megara multa nominantur, ſed celeberrima, de qua hic loquitur Ariſtoteles, ad iſthmum eſt in confinio Peloponneſi, & Atticæ atque Bœotiæ, cuius alumni Theognis & Euclides fuerunt.*

7 Syracuſis ante Gelonis tyrannidem. *Syracuſæ vrbs eſt Siciliæ, nutrix tyrannorum: huius enim tyrannidem tenuere Gelon, Hieron, & duo Dionyſij, quorum Gelo tyrannidem obtinuit Olympiade trigeſima ſeptima.*

8 Ante defectionem. *Antequam ab Athenienſib. deficeret, auctore fortaſſis Alcibiade, qui cum exul bellum aduerſus patriam pro Lacedæmonijs gereret, acceptis quinq; nauib. vt refert Trogus Pompeius, in Aſiã contẽdit, & tributarias Athenienſium ciuitates auctoritate ſui nominis ad defectionem*

com-

compulit.

9 Commenſus ſeruetur. *Symmetria & proportio partis ad totum, & partium inter ipſas ſeruetur.*

10 Quatuor cubitorum. *Cubitus menſura eſt qua ſex palmis patet: palmus autem quarta pars pedis, patetq́; digitis tranſuerſis quatuor: digitus enim ſexta decima pars pedis eſt.*

11 Non ſolum quanto, ſed etiam quali. *Non ſolum quantitate creſcat, ſed etiam qualitate: alteratio enim qua via eſt ad generationem formæ ſubſtantialis, per qualitatem fit.*

12 Vt Tarenti, *Tarentum oppidum eſt in Italia, cuius vicini ſunt Iapyges.*

13 Paulò poſt Medorum bellum. *Poſt bellum à Xerxe Medorum Perſarumq́; rege Græcis illatum.*

14 Qui ad hebdomam. *Hebdoma græcè ſeptimam ſignificat, vt ſeptimam diem, aut ſeptimam pugnam ſignare videri poſſit: ſed probabilius eſt locum hebdomam appellari, ad quem Argiui victi ſunt, & conciſi à Cleomene rege Lacedæmoniorum: quocirca interpres græcum vocabulum reliquit quaſi proprium.*

15 Quoſdam Pericecorum. *Subiectorum ruſticorum ſeu Caſtellanorum.*

16 Vt accidit in Heræa. *Heræa opidum eſt Arcadiæ, cuius Reſpublica cum populariter adminiſtraretur, & abiectiſſimi homines à ſui ſimilibus ſuffragio deligerentur, ſuffragium mutatum eſt in ſortes.*

17 Vt in vrbe Oreo. *Quod oppidum eſt in Euboea inſula Græciæ celeberrima, vt Ambracia vrbs eſt Epiri.*

18 Achæi Sybarim oppidum cum Trœzenijs incoluerunt. *Achæi populi ſunt in Peloponneſo quemadmodum & Træzenij, qui ſimul Sybarim Italiæ vrbem in Thurino agro inhabitârunt.*

19 Byzantini *Conſtantinopolitani in Thracia.*

20 Antiſſæi quoque Chiorum exules. *Antiſſa vrbs eſt in Lesbo inſula: Chios quoque inſula eſt Ionum cum vrbe cognomine.*

21 Zanclæi cum Samios recepiſſent. *Zancla vrbs eſt in Sicilia. Samos inſula quæ Cariæ adiacet, à quibus Zanclæi & Samij.*

22 Apolloniatæ, qui ſunt ad pontum Euxinum. *Viginti quinque Apollonias numerat Stephanus quamobrem Ariſtoteles, vt declararet, cuius Apolloniæ ciues diceret, adiecit ad pontum Euxinum, ſcilicet in Myſia regione.*

23 Poſt tyrannica tempora. *Exacto Dionyſio inferiore Corinthiorum auxilio.*

24 Amphipolitæ receptis Chalcidenſib. colonis. *Amphipolis vrbs eſt in Macedonia. Chalcis verò cuius colonos hic memorat, vrbs eſt ad Athon montem*

tem Thraciæ, quanuis ſint aliæ eodem nomine vocatæ vrbes.

25 vt Clazomenis qui Chytron habitant. *Clazomenæ vrbs eſt ad oram maris Ionij, in loco quem Chytron ſiue Chytrion appellant, vt docet Strabo, habetq́ ante ſe octo paruas inſulas. Itaq́ vrbs ipſa tum partem continentis quæ Chytron dicitur, tum aliquam ex his inſulis occupat breuiſſimo interuallo direptam, eoq́ ponte ſeu pontibus fortaſſe commiſſo.*

26 Colophonij à Notienſibus. *Colophon & Notium in Ionia Haleſo flumine interfluente, qui pontibus erat commiſſus dirimebantur, vt poſſent duo oppida videri, cum tamen eſſet vrbs vna, quæ communes habebat magiſtratus, vt Hiſpalis & Tranſamnia, quæ corrupto vocabulo Triana vocatur, interfluente Bæte: Et Roma, & tranſtyberina regio interfluente Tyberi. Cæterum propter fluminis diuiſionem Colophonij cum Notienſibus non admodum conſentiebant.*

27 Qui Pyræum habitant. *Pyræus portus eſt Athenarum, quo nomine tota vrbis pars portui coniuncta ſignificatur, cætera verò Aſty, hoc eſt vrbs appellatur.*

28 Interiectæ foſſæ diſtinent phalanges. *Solent in bello caſtra vallo foſſisq́ muniri, quæ foſſæ licet anguſtæ ſint, hoſtes tamen compeſcunt, ne poſſint oppugnare caſtra. eodem modo phalanges, id eſt militum acies confligere, foſſa intercedente quanuis exigua nequeunt: quo exemplo omne diſcrimen cauſam eſſe diſſenſionis declaratur.*

29 Quorum vnum eſt quod memorauimus *Diſcrimen loci vnius vrbis cum locus non eſt ad vnam vrbem condendam idoneus.*

CAPVT IIII.

1.1 SEDITIONES igitur non de paruis rebus fiunt, ſed ex par
uis orta ſeditione, de reb. magnis diſſidetur. Cæterum tunc potiſſi-
2.3 mũ 2 paruæ ſeditiones inualeſcunt, cum 3 inter Reipublicæ princi-
pes agitantur, vt olim Syracuſis accidit. Nam ex duorum adoleſcen
tium qui magiſtratibus prẹerant, diſſenſione ex amatoria cauſa ſta-
tus Reipublicæ mutatus eſt: nam cum alter peregrè profectus eſſet,
quidam eius ſodalis amicam ipſius ad ſeſe pellexit: rurſus ille huic
iratus, vxori eiꝰ vt ad ſe veniret perſuaſit, vnde reliquos reipublicæ
præfectos adciſcentes, omnes in ſeditionem concitarunt. Itaque ta
libus malis initio occurrere, & principium potentiumq́ue diſcordi
4. as dirimere oportet, 4 quoniam peccatum eſt in principio: princi-
pium autem dimidium totius eſſe dicitur. Itaque paruus error in
ipſo

ipſo,5 proportione reſpondet in alijs partibus. Ad ſummam, nobi 5.
lium diſſenſiones ſecum vniuerſam ciuitatem trahunt, 6 vt acci 6.
dit in Heſtiæa poſt tempora Reipublicæ popularis in duorum fratrum diſſenſione, quibus erat de paternorum bonorum diuiſione controuerſia Nam qui pauperior erat, dolens quòd alterum bona & theſaurum quod pater inueniſſet occultare putabat, 7 populares 7.
adſciuit: alter qui ditiſſimus erat locupletes. 8 Delphis orta ex affi- 8.
nitate ſeditio, cunctarum quæ pòſt extiterunt ſeditionum origo fuit. Quidam enim cum ei auguranti infortunium quoddam portenderetur, 9 ad ſponſam reuerſus, accipere recuſans diſceſſit. Alte- 9.
ri verò quod ſibi contumeliam accepiſſe viderentur, 10 inſimulan- 10.
tes eum res ſacras inter ſacrificandum ſurripuiſſe, ipſum tanquam ſacrilegum occiderunt, & 11 ad Mytilenem expuellis orbis hæredi- 11.
tate auctis orta eſt ſeditio, quæ multorum malorum fuit initium, origoque belli cum Athenienſibus geſti, quo Paches vrbem ipſorum cepit. Nam cum Timophanes homo locuples duas filias reliquiſſet, Doxandrus qui eas ſuis filijs accipere conabatur, repulſam paſſus ſeditionis fecit initium, & Athenienſes cuius ciuitatis erat hoſpes, concitauit. Et apud Phocenſes propter puellam etiam orbam orta ſeditio eſt inter Mnaſeam Mneſonis patrem, & Euthicratem patrem Onomarchi, quæ ſeditio 12 Phocenſibus principium 12.
belli ſacri fuit. In vrbe Epidamno ex nuptiali cauſa ſtatus Reipublicæ mutatus eſt: nam cum filiam quidam deſpondiſſet, & ab ſpōſi patre magiſtratum gerente ei fuiſſet irrogata mulcta, quaſi per calumniam fuiſſet mulctatus, 13 cum ijs qui erant extra Rempubli- 13.
cam conſpirauit. Fit etiam in paucorum potentiam, & in popularem ſtatum, atque Rempublicam mutatio, ex eo quòd magiſtratus aut pars ciuitatis opinionem virtutis adepta ſit, aut viribus aucta, 14 14.
vt Areopagi conſilium cum Medicis temporibus ore omnium celebraretur, ſeueriorem facere rationem Reipublicæ viſum eſt: viciſſimque claſſica turba cum cauſa fuiſſet partæ ad Salaminem victoriæ 15 propter hunc principatum & maritimam potentiam, vi 15.
res addidit ſtatui populari: & in Argo nobiles ea gloria ſublati, quòd Lacedæmonios 16 prælio ad Mantineam ſuperaſſent, ſtatum 16.
popularem diſſoluere tentarunt. Syracuſis autem plebs, quia cauſa fuerat victoriæ 17 in eo bello quod cum Athenienſibus geſſerunt, 17.
Rempublicam in ſtatum popularem conuertit. Et in Chalcide plebs Phoxo tyranno cum nobilitate ſublato, protinus Rempublicam

occupa-

occupauit: ruſuſque eodem modo in Ambracia Lyſandro tyranno cum conſpirantibus exacto, plebs in ſe Rempublicam conuertit. Ad ſummam intelligendum eſt, quicunque cauſa fuere potentiæ, tum homines priuati, tum magiſtratus, & tribus, pars denique, aut qualiſcunque multitudo ab ijs moueri ſeditionem. Nam vel ab ijs qui horum inuident honoribus, initium ſeditionis exoritur, aut iſti propter præſtantiam amplius vti conditione pari nolunt. Mutantur etiam Reſpublicæ, cum partes ciuitatis quæ videntur eſſe

18 contrariæ, vt 18 diuites & populares, adæquantur inter ſe: pars au-

19. tem media vel exigua eſt, vel nulla omnino. 19 Nam ſi alterutra pars multum excedat, altera non vult aduerſus eos qui ſunt haud dubiè potentiores rem in diſcrimen adducere, quæ cauſa eſt vt ferè nunquam virtute præſtantes ſeditionem moueant, quoniam pauci ſunt ſi cum vulgo conferantur. Vniuerſaliter igitur niſi genere Reipublicæ principia tum ſeditionum, tum mutationum ad hunc modum ſeſe habent. Mutantur autem Reſpublicæ tum vi, tum dolo: vi autem aut ab initio cogendæ, aut poſtea. Nam & dolus duplex eſt, quoniam interdum per fraudem initio ad Reipublicæ mutationem inducunt, & poſtea per vim continent inui-

20 tos, 20 tempore quadringentorum populum deceperunt, fore confirmantes vt rex pecuniam ad bellum quod cum Lacedæmonijs erat, ſuppeditaret, & per hoc mendacium Rempublicam occupare conati ſunt Quandoque ab initio perſuadent, & rurſus poſtea perſuaſis & volentibus imperant. EX cauſis igitur memoratis vniuerſaliter omnes Reſpublicæ mutari ſolent.

Scholia in Caput IIII.

1 SEDITIONES igitur non de paruis rebus fiunt, ſed ex paruis. *Cum ex paruis initijs ſeditiones oriantur, res tamen de quibus diſſidetur magna ſunt. Sæpe namque res exiguæ occaſiones magnarum diſſenſionum præbent, vt multarum ciuitatum exemplis docet. Sed orta ſeditione de magnis rebus contenditur, interdumque de ſumma Reipub. diſſidetur, vnde Rerumpublicarum mutationes exiſtunt, quod dupliciter fit, vi & dolo coniunctim & ſeparatim, variaque ratione.*

2 Paruæ ſeditiones inualeſcunt. *Fiunt magnæ, & vires acquirunt.*

3 Inter principes Reipub. *Inter eos qui ſummis magiſtratibus præſunt, vel inter eos qui multum valent in ciuitate, vt nobiles & diuites.*

4 Quo-

4 Quoniam peccatum eſt in principio. *Principium appellat principes Reipub. quia ſunt quaſi fundamentum Reipub. Nam licet quilibet ciues ſint ciuitatis principium, tamẽ multomagis principes, & qui præſunt magiſtratib. Peccatum autem ſiue erratum in principio cuiuſque rei, magna errata & incommoda in cæteris partibus, ipſaq́ tota Repub. parit. Vt ſi erratum fuerit in domus fundamento, magna incommoda in parietibus & tecto ſequuntur, ac interdum ruit tota domus. quare initio ſcilicet temporis naſcenti in principio rei malo occurrendum eſt: tunc enim paruum eſt id malum, & facilè tolli poteſt, antequam vlterius ſerpat ſin autem inualuerit in alias partes diffuſum, difficulter curatur.*

5 Proportione reſpondet. *Minimum erratum in principio mediocre malum parit in cæteris partibus, ſed paulò maius erratum proportione maius malum parit. Exempligratia ſi peccatum vt vnam in principio parit incommodum, vt quatuor, peccatum vt tria parit, vt duodecim, vt ſit vtrobique tripla proportio. Quorumcunque igitur ciuium diſſenſio magnum malum parit in ciuitate. Sed diſſenſio magiſtratuum, aut nobilium, ſeu diuitũ, quia maius peccatum eſt in principio, idcircò tanto maius malum parit, proportione ſcilicet peccatorum in principio.*

6 Vt accidit in Heſtiæa. *Vrbe in Eubœa inſula.*

7 Populares adſciuit. *Pauperes in ſui auxilium conuocauit.*

8 Delphis orta ex affinitate ſeditio *Ex ſponſalibus. Delphi autem vrbs eſt in monte Parnaſſo, clara Apollinis oraculo ad Phocidem regionem.*

9 Ad ſponſam reuerſus. *Accepto enim augurio ad ſponſam rediuit, & cauſam expoſuit, cur eam ducere non poſſet, prohibitus ſcilicet religione.*

10 Inſimulantes eum. *falſis ſcilicet teſtimonijs.*

11 Ad Mytilenẽ ex puellis orbis. *Ex puellis quæ græcè dicuntur ὀνθικλῆροι, quo nomine puella orba vocatur, cum ad eam paternum patrimonium peruenit ſine fratribus, licet ſint duæ.*

12 Phocenſibus principium belli ſacri fuit. *Phocenſes accolæ ſunt Parnaſſi montis, qui rebus deſperatis cum agris, liberis, coniugibuſque à Thebanis priuarentur, templum Apollinis Delphici occuparunt, vt Iuſtinus refert, & inde auro & pecunia diuites conducto milite bellum Thebanis intulerunt. Victi autem Thebani Philippum regem Macedoniæ ducem elegerunt, atque id bellum propterea quòd in Phocenſes ſacrilegos gerebatur, ſacrum eſt appellatum, quo Phocenſes neceſſitate victi, pacta ſalute deditionem fecerunt, fide tamen non ſeruata paſſim cæſi ſunt, & ſupplicio affecti. Illa igitur mutua Phocenſium ſeditio cauſam aliquam dedit, ſiue occaſionem, vt Phocenſes tẽ-*

occupauit: rurſuſque eodem modo in Ambracia Lyſandro tyranno cum conſpirantibus exacto, plebs in ſe Rempublicam conuertit. Ad ſummam intelligendum eſt, quicunque cauſa fuere potentiæ, tum homines priuati, tum magiſtratus, & tribus, pars denique, aut qualiſcunque multitudo ab ijs moueri ſeditionem. Nam vel ab ijs qui horum inuident honoribus, initium ſeditionis exoritur, aut illi propter præſtantiam amplius vti conditione pari nolunt. Mutantur etiam Reſpublicæ, cum partes ciuitatis quæ videntur eſſe

18 contrariæ, vt 18 diuites & populares, adæquantur inter ſe: pars au-

19. tem media vel exigua eſt, vel nulla omnino. 19 Nam ſi alterutra pars multum excedat, altera non vult aduerſus eos qui ſunt haud dubiè potentiores rem in diſcrimen adducere, quæ cauſa eſt vt ferè nunquam virtute præſtantes ſeditionem moueant, quoniam pauci ſunt ſi cum vulgo conferantur. Vniuerſaliter igitur niſi genere Reipublicæ principia tum ſeditionum, tum mutationum ad hunc modum ſeſe habent. Mutantur autem Reſpublicæ tum vi, tum dolo: vi autem aut ab initio cogendæ, aut poſtea. Nam & dolus duplex eſt, quoniam interdum per fraudem initio ad Reipublicæ mutationem inducunt, & poſtea per vim continent inui-

20 tos, 20 tempore quadringentorum populum deceperunt, fore confirmantes vt rex pecuniam ad bellum quod cum Lacedæmonijs erat, ſuppeditaret, & per hoc mendacium Rempublicam occupare conati ſunt. Quandoque ab initio perſuadent, & rurſus poſtea perſuaſis & volentibus imperant. EX cauſis igitur memoratis vniuerſaliter omnes Reſpublicæ mutari ſolent.

Scholia in Caput IIII.

1 SEDITIONES igitur non de paruis rebus fiunt, ſed ex paruis. *Cum ex paruis initijs ſeditiones oriantur, res tamen de quibus diſſidetur magnæ ſunt. Sæpe namque res exiguæ occaſiones magnarum diſſenſionum præbent, vt multarum ciuitatum exemplu docet. Sed orta ſeditione de magnis rebus contenditur, interdumque de ſumma Reipub. diſsidetur, vnde Rerumpublicarum mutationes exiſtunt, quod dupliciter fit, vi & dolo coniunctim & ſeparatim, variaque ratione.*

2 Paruæ ſeditiones inualeſcunt. *Fiunt magnæ, & vires acquirunt.*

3 Inter principes Reipub. *Inter eos qui ſummis magiſtratibus præſunt, vel inter eos qui multum valent in ciuitate, vt nobiles & diuites.*

4 Quo-

4 Quoniam peccatum eſt in principio. *Principium appellat principes Reipub. quia ſunt quaſi fundamentum Reipub. Nam licet quilibet ciues ſint ciuitatis principium, tamẽ multomagis principes, & qui præſunt magiſtratib. Peccatum autem ſiue erratum in principio cuiuſque rei, magna errata & incommoda in cæteris partibus, ipſaq; tota Repub. parit. Vt ſi erratum fuerit in domus fundamento, magna incommoda in parietibus & tecto ſequuntur, ac interdum ruit tota domus, quare initio ſcilicet temporis naſcenti in principio rei malo occurrendum eſt: tunc enim paruum eſt id malum, & facilè tolli poteſt, antequam vlterius ſerpat: ſin autem inualuerit in alias partes diffuſum, difficulter curatur.*

5 Proportione reſpondet. *Minimum erratum in principio mediocre malum parit in cæteris partibus, ſed paulò maius erratum proportione maius malum parit. Exempli gratia ſi peccatum vt vnam in principio parit incommodum, vt quatuor, peccatum vt tria parit, vt duodecim, vt ſit vtrobique tripla proportio. Quorumcunque igitur ciuium diſſenſio magnum malum parit in ciuitate. Sed diſſenſio magiſtratuum, aut nobilium, ſeu diuitũ, quia maius peccatum eſt in principio, idcircò tanto maius malum parit, proportione ſcilicet peccatorum in principio.*

6 Vt accidit in Heſtiæa. *Vrbe in Eubœa inſula.*

7 Populares adſciuit. *Pauperes in ſui auxilium conuocauit.*

8 Delphis orta ex affinitate ſeditio *Ex ſponſalibus. Delphi autem vrbs eſt in monte Parnaſſo, clara Apollinis oraculo ad Phocidem regionem.*

9 Ad ſponſam reuerſus. *Accepto enim augurio ad ſponſam rediuit, & cauſam expoſuit, cur eam ducere non poſſet, prohibitus ſcilicet religione.*

10 Inſimulantes eum. *falſis ſcilicet teſtimonijs.*

11 Ad Mytilenẽ ex puellis orbis. *Ex puellis quæ græcè dicuntur ἐπίκληροι, quo nomine puella orba vocatur, cum ad eam paternum patrimonium peruenit ſine fratribus, licet ſint duæ.*

12 Phocenſibus principium belli ſacri fuit. *Phocenſes accolæ ſunt Parnaſſi montis, qui rebus deſperatis cum agris, liberis, coniugibuſque à Thebanis priuarentur, templum Apollinis Delphicum occuparunt, vt Iuſtinus refert, & inde auro & pecunia diuites conducto milite bellum Thebanis intulerunt. Victi autem Thebani Philippum regem Macedoniæ ducem elegerunt, atque id bellum propterea quòd in Phocenſes ſacrilegos gerebatur, ſacrum eſt appellatum, quo Phocenſes neceſſitate victi, pacta ſalute deditionem fecerunt, fide tamen non ſeruata paſſim cæſi ſunt, & ſupplicio affecti. Illa igitur mutua Phocenſium ſeditio cauſam aliquam dedit ſiue occaſionem, vt Phocenſes tẽ-*

occupauit: ruſſuſque eodem modo in Ambracia Lyſandro tyranno cum conſpirantibus exacto, plebs in ſe Rempublicam conuertit. Ad ſummam intelligendum eſt, quicunque cauſa fuere potentiæ, tum homines priuati, tum magiſtratus, & tribus, pars denique, aut qualiſcunque multitudo ab ijs moueri ſeditionem. Nam vel ab ijs qui horum inuident honoribus, initium ſeditionis exoritur, aut illi propter præſtantiam amplius vti conditione pari nolunt. Mutantur etiam Reſpublicæ, cum partes ciuitatis quæ videntur eſſe
18 contrariæ, vt 18 diuites & populares, adæquantur inter ſe: pars au-
19. tem media vel exigua eſt, vel nulla omnino. 19 Nam ſi alterutra
pars multum excedat, altera non vult aduerſus eos qui ſunt haud dubiè potentiores rem in diſcrimen adducere, quæ cauſa eſt vt ferè nunquam virtute præſtantes ſeditionem moueant, quoniam pauci ſunt ſi cum vulgo conferantur. Vniuerſaliter igitur niſi genere Reipublicæ principia tum ſeditionum, tum mutationum ad hunc modum ſeſe habent. Mutantur autem Reſpublicæ tum vi, tum dolo: vi autem aut ab initio cogendæ, aut poſtea. Nam & dolus duplex eſt, quoniam interdum per fraudem initio ad Reipublicæ mutationem inducunt, & poſtea per vim continent inui-
20 tos, 20 tempore quadringentorum populum deceperunt, fore con-
firmantes vt rex pecuniam ad bellum quod cum Lacedæmonijs erat, ſuppeditaret, & per hoc mendacium Rempublicam occupare conati ſunt Quandoque ab initio perſuadent, & rurſus poſtea perſuaſis & volentibus imperant. EX cauſis igitur memoratis vniuerſaliter omnes Reſpublicæ mutari ſolent.

Scholia in Caput IIII.

1 SEDITIONES igitur non de paruis rebus fiunt, ſed ex paruis. *Cum ex paruis initijs ſeditiones oriantur, res tamen de quibus diſsidetur magnæ ſunt. Sæpe namque res exiguæ occaſiones magnarum diſſenſionum præbent, vt multarum ciuitatum exemplu docet. Sed orta ſeditione de magnis rebus contenditur, interdumque de ſumma Reipub. diſsidetur, vnde Rerumpublicarum mutationes exiſtunt, quod dupliciter fit, vi & dolo coniunctim & ſeparatim, variaque ratione.*

2 Paruæ ſeditiones inualeſcunt. *Fiunt magnæ, & vires acquirunt.*

3 Inter principes Reipub. *Inter eos qui ſummis magiſtratibus præſunt, vel inter eos qui multum valent in ciuitate, vt nobiles & diuites.*

4 Quo-

4 Quoniam peccatum eſt in principio. *Principium appellat principes Reipub. quia ſunt quaſi fundamentum Reipub. Nam licet quilibet ciues ſint ciuitatis principium, tamē multo magis principes, & qui præſunt magiſtratib. Peccatum autem ſiue erratum in principio cuiuſque rei, magna errata & incommoda in cæteris partibus, ipſaq́; tota Repub. parit. Vt ſi erratum fuerit in domus fundamento, magna incommoda in parietibus & tecto ſequuntur, ac interdum ruit tota domus, quare initio ſcilicet temporis naſcenti in principio rei malo occurrendum eſt: tunc enim paruum eſt id malum, & facilè tolli poteſt, antequam vlterius ſerpat: ſin autem inualuerit in alias partes diffuſum, difficulter curatur.*

5 Proportione reſpondet. *Minimum erratum in principio mediocre malum parit in cæteris partibus, ſed paulò maius erratum proportione maius malum parit. Exempli gratia ſi peccatum vt vnam in principio parit incommodum, vt quatuor, peccatum vt tria parit, vt duodecim, vt ſit vtrobique tripla proportio. Quorumcunque igitur ciuium diſſenſio magnum malum parit in ciuitate. Sed diſſenſio magiſtratuum, aut nobilium, ſeu diuitū, quia maius peccatum eſt in principio, idcircò tanto maius malum parit, proportione ſcilicet peccatorum in principio.*

6 Vt accidit in Heſtiæa. *Vrbe in Eubœa inſula.*

7 Populares adſciuit. *Pauperes in ſui auxilium conuocauit.*

8 Delphis orta ex affinitate ſeditio *Ex ſponſalibus. Delphi autem vrbs eſt in monte Parnaſſo, clara Apollinis oraculo ad Phocidem regionem.*

9 Ad ſponſam reuerſus. *Accepto enim augurio ad ſponſam rediuit, & cauſam expoſuit, cur eam ducere non poſſet, prohibitus ſcilicet religione.*

10 Inſimulantes eum. *falſis ſcilicet teſtimonijs.*

11 Ad Mytilenē ex puellis orbis. *Ex puellis quæ gracè dicuntur ὀυθικλήροι, quo nomine puella orba vocatur, cum ad eam paternum patrimonium peruenit ſine fratribus, licet ſint duæ.*

12 Phocenſibus principium belli ſacri fuit. *Phocenſes accolæ ſunt Parnaſſi montis, qui rebus deſperatis cum agris, liberis, coniugibuſque à Thebanis priuarentur, templum Apollinis Delphici occuparunt, vt Iuſtinus refert, & inde auro & pecunia diuites conducto milite bellum Thebanis intulerunt. Victi autem Thebani Philippum regem Macedoniæ ducem elegerunt, atque id bellum propterea quòd in Phocenſes ſacrilegos gerebatur, ſacrum eſt appellatum, quo Phocenſes neceſſitate victi, pacta ſalute deditionem fecerunt, fide tamen non ſeruata paſſim cæſi ſunt, & ſupplicio affecti. Illa igitur mutua Phocenſium ſeditio cauſam aliquam dedit, ſiue occaſionem, vt Phocenſes tē-*

occupauit: rurſuſque eodem modo in Ambracia Lyſandro tyranno cum conſpirantibus exacto, plebs in ſe Rempublicam conuertit. Ad ſummam intelligendum eſt, quicunque cauſa fuere potentiæ, tum homines priuati, tum magiſtratus, & tribus, pars denique, aut qualiſcunque multitudo ab ijs moueri ſeditionem. Nam vel ab ijs qui horum inuident honoribus, initium ſeditionis exoritur, aut illi propter præſtantiam amplius vti conditione pari nolunt. Mutantur etiam Reſpublicæ, cum partes ciuitatis quæ videntur eſſe
18 contrariæ, vt 18 diuites & populares, adæquantur inter ſe: pars au-
19. tem media vel exigua eſt, vel nulla omnino. 19 Nam ſi alterutra pars multum excedat, altera non vult aduerſus eos qui ſunt haud dubiè potentiores rem in diſcrimen adducere, quæ cauſa eſt vt ferè nunquam virtute præſtantes ſeditionem moueant, quoniam pauci ſunt ſi cum vulgo conferantur. Vniuerſaliter igitur niſi genere Reipublicæ principia tum ſeditionum, tum mutationum ad hunc modum ſeſe habent. Mutantur autem Reſpublicæ tum vi, tum dolo: vi autem aut ab initio cogendæ, aut poſtea. Nam & dolus duplex eſt, quoniam interdum per fraudem initio ad Reipublicæ mutationem inducunt, & poſtea per vim continent inui-
20 tos, 20 tempore quadringentorum populum deceperunt, fore confirmantes vt rex pecuniam ad bellum quod cum Lacedæmonijs erat, ſuppeditaret, & per hoc mendacium Rempublicam occupare conati ſunt Quandoque ab initio perſuadent, & rurſus poſtea perſuaſis & volentibus imperant. EX cauſis igitur memoratis vniuerſaliter omnes Reſpublicæ mutari ſolent.

Scholia in Caput IIII.

1 SEDITIONES igitur non de paruis rebus fiunt, ſed ex paruis. *Cum ex paruis initijs ſeditiones oriantur, res tamen de quibus diſsidetur magnæ ſunt. Sæpe namq; res exiguæ occaſiones magnarum diſſenſionum præbent, vt multarum ciuitatum exemplu docet. Sed orta ſeditione de magnis rebus contenditur, interdumq; de ſumma Reipub. diſsidetur, vnde Rerumpublicarum mutationes exiſtunt, quod dupliciter fit, vi & dolo coniunctim & ſeparatim, variaq; ratione.*

2 Paruæ ſeditiones inualeſcunt. *Fiunt magnæ, & vires acquirunt.*

3 Inter principes Reipub. *Inter eos qui ſummis magiſtratibus præſunt, vel inter eos qui multum valent in ciuitate, vt nobiles & diuites.*

4 Quo-

4 Quoniam peccatum eſt in principio. *Principium appellat principes Reipub. quia ſunt quaſi fundamentum Reipub. Nam licet quilibet ciues ſint ciuitatis principium, tamẽ multo magis principes, & qui præſunt magiſtratib. Peccatum autem ſiue erratum in principio cuiuſque rei, magna errata & incommoda in cæteris partibus, ipſaq́; tota Repub. parit. Vt ſi erratum fuerit in domus fundamento, magna incommoda in parietibus & tecto ſequuntur, ac interdum ruit tota domus, quare initio ſcilicet temporis naſcenti in principio rei malo occurrendum eſt: tunc enim paruum eſt id malum, & facilè tolli poteſt, antequam vlterius ſerpat. ſin autem inualuerit in alias partes diffuſum, difficulter curatur.*

5 Proportione reſpondet. *Minimum erratum in principio mediocre malum parit in cæteris partibus, ſed paulò maius erratum proportione maius malum parit. Exempli gratia ſi peccatum vt vnum in principio parit incommodum, vt quatuor, peccatum vt tria parit, vt duodecim, vt ſit vtrobique tripla proportio. Quorumcunque igitur ciuium diſſenſio magnum malum parit in ciuitate. Sed diſſenſio magiſtratuum, aut nobilium, ſeu diuitũ, quia maius peccatum eſt in principio, idcircò tanto maius malum parit, proportione ſcilicet peccatorum in principio.*

6 Vt accidit in Heſtiæa. *Vrbe in Eubœa inſula.*

7 Populares adſciuit. *Pauperes in ſui auxilium conuocauit.*

8 Delphis orta ex affinitate ſeditio *Ex ſponſalibus. Delphi autem vrbs eſt in monte Parnaſſo, clara Apollinis oraculo ad Phocidem regionem.*

9 Ad ſponſam reuerſus. *Accepto enim augurio ad ſponſam rediuit, & cauſam expoſuit, cur eam ducere non poſſet, prohibitus ſcilicet religione.*

10 Inſimulantes eum. *falſis ſcilicet teſtimonijs.*

11 Ad Mytilenẽ ex puellis orbis. *Ex puellis quæ græcè dicuntur ἐπίκληροι, quo nomine puella orba vocatur, cum ad eam paternum patrimonium peruenit ſine fratribus, licet ſint duæ.*

12 Phocenſibus principium belli ſacri fuit. *Phocenſes accolæ ſunt Parnaſſi montis, qui rebus deſperatis cum agris, liberis, coniugibuſque à Thebanis priuarentur, templum Apollinis Delphici occuparunt, vt Iuſtinus refert, & inde auro & pecunia diuites conducto milite bellum Thebanis intulerunt. Victi autem Thebani Philippum regem Macedoniæ ducem elegerunt, atque id bellum propterea quòd in Phocenſes ſacrilegos gerebatur, ſacrum eſt appellatum, quo Phocenſes neceſſitate victi, pacta ſalute deditionem fecerunt, fide tamen non ſeruata paſſim cæſi ſunt, & ſupplicio affecti. Illa igitur mutua Phocenſium ſeditio cauſam aliquam dedit, ſiue occaſionem, vt Phocenſes tē-*

tem Thraciæ, quamuis ſint aliæ eodem nomine vocatæ vrbes.

25 vt Clazomenis qui Chytron habitant. *Clazomenæ vrbs eſt ad oram maris Ionij, in loco quem Chytron ſiue Chytrion appellant, vt docet Strabo, habetq́ ante ſe octo paruas inſulas. Itaq́ vrbs ipſa tum partem continentis quæ Chytron dicitur, tum aliquam ex his inſulis occupat breuiſſimo interuallo direptam, eoq́ ponte ſeu pontibus fortaſſe commiſſo.*

26 Colophonij à Notienſibus. *Colophon & Notium in Ionia Haleſo flumine interfluente, qui pontibus erat commiſſus dirimebantur, vt poſſent duo oppida videri, cum tamen eſſet vrbs vna, quæ communes habebat magiſtratus, vt Hiſpalis & Tranſamnia, quæ corrupto vocabulo Triana vocatur, interfluente Bete: Et Roma, & tranſtyberina regio interfluente Tyberi. Cæterum propter fluminis diuiſionem Colophonij cum Notienſibus non admodum conſentiebant.*

27 Qui Pyræum habitant. *Pyræus portus eſt Athenarum, quo nomine tota vrbis pars portui coniuncta ſignificatur, cætera verò Aſty, hoc eſt vrbs appellatur.*

28 Interiectæ foſſæ diſtinent phalanges. *Solent in bello caſtra vallo foſſisq́ muniri, quæ foſſa licet anguſtæ ſint, hoſtes tamen compeſcunt, ne poſſint oppugnare caſtra. eodem modo phalanges, id eſt militum acies confligere, foſſa intercedente quamuis exigua nequeunt: quo exemplo omne diſcrimen cauſam eſſe diſſenſionis declaratur.*

29 Quorum vnum eſt quod memorauimus *Diſcrimen loci vnius vrbis cum locus non eſt ad vnam vrbem condendam idoneus.*

CAPVT IIII.

1.1 SEDITIONES igitur non de paruis rebus fiunt, ſed ex par uis orta ſeditione, de reb. magnis diſſidetur. Cæterum tunc potiſſi-
2.3 mũ 2 paruæ ſeditiones inualeſcunt, cum 3 inter Reipublicæ principes agitantur, vt olim Syracuſis accidit. Nam ex duorum adoleſcentium qui magiſtratibus prærerant, diſſenſione ex amatoria cauſa ſtatus Reipublicæ mutatus eſt: nam cum alter peregrè profectus eſſet, quidam eius ſodalis amicam ipſius ad ſeſe pellexit: rurſus ille huic iratus, vxori ei⁹ vt ad ſe veniret perſuaſit, vnde reliquos reipublicæ præfectos adciſcentes, omnes in ſeditionem concitarunt. Itaque talibus malis initio occurrere, & principium potentiumq́ue diſcordi-
4. as dirimere oportet, 4 quoniam peccatum eſt in principio: principium autem dimidium totius eſſe dicitur. Itaque paruus error in ipſo

Ipſo, ſ proportione reſpondet in alijs partibus. Ad ſummam, nobi 5.
lium diſſenſiones ſecum vniuerſam ciuitatem trahunt, 6 vt acci 6.
dit in Heſtiæa poſt tempora Reipublicæ popularis in duorum fra-
trum diſſenſione, quibus erat de paternorum bonorum diuiſione
controuerſia Nam qui pauperior erat, dolens quòd alterum bona
& theſaurum quod pater inueniſſet occultare putabat, 7 populares 7.
ad ſciuit: alter qui ditiſſimus erat locupletes. 8 Delphis orta ex affi- 8.
nitate ſeditio, cunctarum quæ pôſt extiterunt ſeditionum origo
fuit. Quidam enim cum ei auguranti infortunium quoddam por-
tenderetur, 9 ad ſponſam reuerſus, accipere recuſans diſceſſit. Alte- 9.
ri verò quod ſibi contumeliam accepiſſe viderentur, 10 inſimulan- 10.
tes eum res ſacras inter ſacrificandum ſurripuiſſe, ipſum tanquam
ſacrilegum occiderunt, & 11 ad Mytilenem expulſis orbis hæredi- 11.
tate auctis orta eſt ſeditio, quæ multorum malorum fuit initium,
origoque belli cum Athenienſibus geſti, quo Paches vrbem ipſo-
rum cepit. Nam cum Timophanes homo locuples duas filias reli-
quiſſet, Doxandrus qui eas ſuis filijs accipere conabatur, repulſam
paſſus ſeditionis fecit initium, & Athenienſes cuius ciuitatis erat
hoſpes, concitauit. Et apud Phocenſes propter puellam etiam or-
bam orta ſeditio eſt inter Mnaſeam Mneſonis patrem, & Euthicra-
tem patrem Onomarchi, quæ ſeditio 12 Phocenſibus principium 12.
belli ſacri fuit. In vrbe Epidamno ex nuptiali cauſa ſtatus Reipu-
blicæ mutatus eſt: nam cum filiam quidam deſpondiſſet, & ab ſpõ-
ſi patre magiſtratum gerente ei fuiſſet irrogata mulcta, quaſi per
calumniam fuiſſet mulctatus, 13 cum ijs qui erant extra Rempubli- 13.
cam conſpirauit. Fit etiam in paucorum potentiam, & in popula-
rem ſtatum, atque Rempublicam mutatio, ex eo quòd magiſtratus
aut pars ciuitatis opinionem virtutis adepta ſit, aut viribus aucta, 14 14.
vt Areopagi conſilium cum Medicis temporibus ore omnium ce-
lebraretur, ſeueriorem facere rationem Reipublicæ viſum eſt: vi-
ciſſim que claſſica turba cum cauſa fuiſſet partæ ad Salaminem vi-
ctoriæ 15 propter hunc principatum & maritimam potentiam, vi 15.
res addidit ſtatui populari: & in Argo nobiles ea gloria ſublati,
quòd Lacedæmonios 16 prælio ad Mantineam ſuperaſſent, ſtatum 16.
popularem diſſoluere tentarunt. Syracuſis autem plebs, quia cauſa
fuerat victoriæ 17 in eo bello quod cum Athenienſibus geſſerunt, 17.
Rempublicam in ſtatum popularem conuertit. Et in Chalcide plebs
Phoxo tyranno cum nobilitate ſublato, protinus Rempublicam

occupa-

4 Quoniam peccatum eſt in principio. *Principium appellat principes Reipub. quia ſunt quaſi fundamentum Reipub. Nam licet quilibet ciues ſint ciuitatis principium, tamē multomagis principes, & qui præſunt magiſtratib. Peccatum autem ſiue erratum in principio cuiuſque rei, magna errata & incommoda in cæteris partibus, ipſaq́ tota Repub. parit. Vt ſi erratum fuerit in domus fundamento, magna incommoda in parietibus & tecto ſequuntur, ac interdum ruit tota domus, quare initio ſcilicet temporis naſcenti in principio rei malo occurrendum eſt: tunc enim paruum eſt id malum, & facilè tolli poteſt, antequam vlterius ſerpat: ſin autem inualuerit in alias partes diffuſum, difficulter curatur.*

5 Proportione reſpondet. *Minimum erratum in principio mediocre malum parit in cæteris partibus, ſed paulò maius erratum proportione maius malum parit. Exempli gratia ſi peccatum vt vnum in principio parit incommodum, vt quatuor, peccatum vt tria parit, vt duodecim, vt ſit vtrobique tripla proportio. Quorumcunque igitur ciuium diſſenſio magnum malum parit in ciuitate. Sed diſſenſio magiſtratuum, aut nobilium, ſeu diuitū, quia maius peccatum eſt in principio, idcircò tanto maius malum parit, proportione ſcilicet peccatorum in principio.*

6 Vt accidit in Heſtiæa. *Vrbe in Eubœa inſula.*

7 Populares adſciuit. *Pauperes in ſui auxilium conuocauit.*

8 Delphis orta ex affinitate ſeditio *Ex ſponſalibus. Delphi autem vrbs eſt in monte Parnaſſo, clara Apollinis oraculo ad Phocidem regionem.*

9 Ad ſponſam reuerſus. *Accepto enim augurio ad ſponſam rediuit, & cauſam expoſuit, cur eam ducere non poſſet, prohibitus ſcilicet religione.*

10 Inſimulantes eum. *falſis ſcilicet teſtimonijs.*

11 Ad Mytilenē ex puellis orbis. *Ex puellis quæ græcè dicuntur ὀυϑικλήροι, quo nomine puella orba vocatur, cum ad eam paternum patrimonium peruenit ſine fratribus, licet ſint duæ.*

12 Phocenſibus principium belli ſacri fuit. *Phocenſes accolæ ſunt Parnaſſi montis, qui rebus deſperatis cum agris, liberis, coniugibuſque à Thebanis priuarentur, templum Apollinis Delphis occuparunt, vt Iuſtinus refert, & inde auro & pecunia diuites conducto milite bellum Thebanis intulerunt. Victi autem Thebani Philippum regem Macedoniæ ducem elegerunt, atque id bellum propterea quòd in Phocenſes ſacrilegos gerebatur, ſacrum eſt appellatum, quo Phocenſes neceſſitate victi, pacta ſalute deditionem fecerunt, fide tamen non ſeruata paſſim cæſi ſunt, & ſupplicio affecti. Illa igitur mutua Phocenſium ſeditio cauſam aliquam dedit ſiue occaſionem, vt Phocenſes tē-*

plum Apollinis ſpoliarent, vnde natum eſt ſacrum bellum.
13 Cum ijs qui erant extra Rempub. *Cum ijs qui Rempub. non admini-ſtrabant, vel quibus Reſpub. non communicabatur.*
14 Vt Areopagi conſilium cum Medicis temporibus celebraretur. *Areopagita, hoc eſt Senatores Athenienſes: quo tempore Xerxes Medorum Perſarumq́; rex Graciam maximo exercitu vaſtabat, deficiente pecunia publica de ſuo ſinguli militibus Athenienſibus octonas drachmas prabuerunt, quo factum eſt vt frequentiores milites triremes conſcenderent, cũ auctore Themiſtocle vrbe relicta naues conſcenderent, qua cauſa fuit victoria Gracorum ex Barbaris, parte commiſſo pralio nauali ad Salaminem inſulam, quemadmodum refert Plutarchus, citatq́; Ariſtotelem auctorem. Quod Areopagitarum factum cum laude omnium efferretur, ſpiritus eis adiecit, quibus illi ſublati ſeuerius imperiũ exercebant: ſed contra populares, cum ipſorum potiſsimum virtute fuiſſet victoria de Medis ad Salaminem parta, ipſi quoque arrogantiam ſumentes, ſublatiq́; ſtatum popularem confirmabant.*
15 Propter hunc principatum. *Propter principatum maritimum. Nam licet toti officio maritimo claſsiq́; dux vnus praficeretur, ea tamen munera à claſsicis militibus popularibuſq́; hominibus obibantur.*
16 Prælio ad Mantineam. *Mantinea vrbs eſt Arcadia, multis ad ipſam factis pralijs clara.*
17 In eo bello quod cum Athenienſibus geſſerunt. *Nicia ſcilicet ac Demoſthene ducentibus Athenienſes qui amiſſo exercitu, ipſi quoque capti interfectiq́; ſunt.*
18 Diuites & populares. *Locupletes & pauperes.*
19 Nam ſi alterutra pars. *Diuitum aut pauperum.*
20 Vt tempore quadringentorum. *Cum bellum inter Athenienſes & Lacedamonios gereretur, Alcibiades exul cum metuens Lacedamoniorum inſidias ad Tiſaphernem Darij regis profectum confugiſſet, multumq́; apud eum gratia valeret, legatis Athenienſium qui ad ſe venerant, regis amicitiam pollicetur, ſi Reſpub. à populo fuiſſet ad optimates tranſlata. Itaque permittente populo imperium ad quadringentos viros tranſlatum eſt: qui cum crudeliter in plebem conſulerent, Alcibiades, vt callidè moliebatur, à populo reuocatur, & dux claſsi praficitur, qui ſtatim Athenas mittit, breui ſe cum exercitu venturum, recepturumq́; à quadringentis iura populi, niſi ipſi redderent. qua denunciatione optimates territi, primo vrbem Lacedamonijs prodere tentarunt. deinde cum conatus non proceſsiſſent, in exilium profecti ſunt, vt Trogus tradit. Hi ſunt igitur quadringenti qui ad Rempub inua-*

dendam populum deceperunt, pollicentes auctore Alcibiade Darium regem Perſarum pecuniam Athenienſibus ad bellum in Lacedamonios miſſurum.

CAPVT V.

1 PER ſingulas verò Reipublicæ, ſpecies ex his 2 facta partitio- 1. 2.
ne, accidentia conſiderare oportet Popularis igitur ſtatus magna ex
parte propter 3 aſſentatorũ popularium improbitatẽ mutantur, qui 3.
modo 4 priuatim locupletes calumniando eos vires conferre, ac 4.
inter ſe conſpirare cogunt. Nam timor communis etiam inimiciſ-
ſimos conciliat, modo publicè plebem in eoſdem conciãdo, qua-
rum rerum exempla multis in ciuitatibus contueri licet. Nam 5 in 5.
Co popularium ducum nequitia popularem ſtatum mutauit, nobi-
litate conſpirante Et item in Rhodo vbi duces populares 6 merce- 6.
dem tribuerunt, & quę triremium præfectis debebantur reddi vet-
runt: 7 hi verò iudiciorum metu coacti ſunt facta conſpiratione 7.
populum diſſoluere: 8 Heracleæ quoque ſtatus popularis ſtatim 8.
poſt deductam coloniam, propter aſſentatores populares eſt diſ-
ſolutus. Nobiles enim cum ab ipſis per iniuriam ſuperati & pulſi fu-
iſſent, agmine facto, illatoque bello ſtatum popularem euerterunt.
Ac ſimili modo Megarenſium ſtatus popularis deletus eſt, quoni-
am populares duces multos nobiles vt ipſorum bona publicarent,
in exilium miſere, donec 9 exules aucti multitudine bellum infe- 9.
rentes, ac populo pugna ſuperato paucorum dominatum conſti-
tuerunt. Quod 10 perinde Cumis in Rempublicam popularem ac- 10.
cidit, quam Thraſymachus euertit Ac cæterarum ferè omnium
mutationes in hunc modum factas eſſe licet animaduertere, dum
iſti nunc vt populo gratificentur, diuites iniuria illata vel 11 indu- 11.
cta bonorum æquatione, vel ex vectigalibus mercedem magiſtra-
tibus inſtituentes, nunc eoſdem calumnijs impetentes, dum cauſam
locupletum bona publicandi quærunt, ad conſpirandum impellũt.
Cæterum antiquitus, cum idem eſſet aſſentator populi, idem exer-
citum duceret, in tyrannidem mutabantur. Nam maxima ex parte
veteres tyranni ex popularibus aſſentatoribus fiebant. 12 Cur au- 12.
tem tunc tyranni fierent, nunc non item in cauſa eſt, quod antiqui-
tus ductores populares erant ex ijs qui exercitum ducebant, non-
dum hominibus dicendi facultatem adeptis. Nunc autem cum cre-

uerit dicendi facultas, diſerti homines populares aſſentatores fiunt: qui cum ſint rei militaris imperiti, efficitur vt Rempubli-
13. cam non inuadant, 13 niſi forte parum aliquid huiuſmodi mali in aliqua ciuitate accidit. Exiſtebant autem olim tyrannides magis quàm nunc, propterea quod quidam magnis magiſtratibus præ-
14. ficiebantur, vt 14 Myleti ex prytania: cui magiſtratui qui præerat, huius arbitrio multæ res atque magnæ gerebantur. Præterea cum vrbes non eſſent magnæ, ſed populus ſparſim agros inhabitaret, & ei parum otij ab operibus neceſſarijs ſupereſſet, qui populo præerant, vſum rei militaris nacti, tyrannides occupabant, quod omnes, dum eis à populo fides haberetur, faciebant. Fides autem erat
15. odium & ſimultas quam cum diuitibus gerebant. 15 quod Athenis Piſiſtrato ſimultatem gerenti cũ Pediacis accidit: & Megaris Thea-
16. geni qui pecora diuitum cum 16 ad flumen paſcentes deprehendiſſet, concidit: & Dionyſius cum Daphnæum accuſaret, ac diuites inſectaretur, dignus eſt habitus qui tyrannus efficeretur, habita fide, quòd popularis eſſet propter inimicitias. Mutatur etiam ſtatus
17. popularis 17 ex vetere & maioribus conſuetá forma in nouiſſimam. Nam cum ſuffragio magiſtratus à populo mandantur, nulla cenſus habita ratione duces populares imperandi cupidi rem in eum ſtatum deducunt, vt leges etiam arbitrio populi ſubijciantur. Quod malum vt ne accidat, vel minus accidat, remedium eſt in eo,
18. vt magiſtratus 18 à tribubus non ab vniuerſo populo creentur. Statuum igitur popularium omnes ferè mutationes propter has cauſas exiſtunt.

Scholia in Caput V.

1 PER ſingulas verò Reipub. ſpecies. *Cauſas deinceps perſequitur, quæ cuique generi Reipub. mutationem afferunt. Primumq́, de populari diſſerit, quam multis modis euerti, mutariq́, docet, aſſentatorum popularium improbitate. Vno modo coactu diuitibus in populum conſpirare, dum vel ipſi priuatim calumniantur diuites, vel populum in locupletes concitant. Harum rerum exempla multa commemorat, qua ratione popularis Reſpub. in paucorum potentiam mutatur, ſed interdum aſſentatores ipſi populares Rempub. inuadunt, fiuntque tyranni, quòd olim magis quàm ſuis temporibus fieri docet, & cauſam exponit.*

2 Facta partitione. *Vt non ſimul de omni Repub. ſed de ſingulis formis ſeparatim diſſeratur.*

3 Aſſen-

3 Aſſentatorum popularium. *Principum virorum, qui ſe duces & aſſentatores populo præbent, captantes auram popularem.*

4 Priuatim. *Dum ipſi per ſe inſectantur, calumnianturq́; diuites vt ſe populo commendent.*

5 In Co. *Cos inſula eſt Cariæ cum vrbe cognomine, vbi conſpirantes nobiles muito populo Rempub. popularem in paucorum potentiam conuerterunt, vt Rhodi.*

6 Mercedem tribuerunt *Conſtituerunt mercedem iudicibus, & ijs qui Rempub. gererent, vt hac ratione firmior eſſet Reſpub. popularis ſuppetente otio pauperibus ad Rempub. gerendam.*

7 Hi verò iudiciorum metu. *Præfecti triremium & nobiles (ex his enim præfici triremibus ſolent) metu iudiciorum, ne pœnas dare obiectorum criminum cogerentur, conſpirantes in plebem ex populari ſtatu paucorum potentiam reddiderunt.*

8 Heracleæ quoque. *Multæ fuerunt Heracleæ, ſed celeberrima quam ſignificare videtur, eſt ad Pontum Euxinum in Thracia, quò deducta eſt Athenienſium Colonia.*

9 Exules aucti multitudine. *Facta magna multitudine diuitum eiectorum.*

10 Perinde accidit Cumis. *Locupletes eiecti Thraſymacho duce, populo bellum intulerunt, eoq; ſuperato ſtatum in paucorum potentiam conuerterunt. Videtur autem Cumas ſignificare quæ ſunt in Aeolide contra Lesbum, vnde Ephorus hiſtoricus, & Heſiodus poeta nam ſunt non pauca alia hoc nomine vocata.*

11 Inducta bonorum æquatione. *Vt patrimonia fiant omnia æqualia, quod fit cum maxima locupletum iniuria.*

12 Cur autem tunc tyranni fierent, nunc non item. *Quamobrem aſſentatores populares olim tyranni fierent, his autem temporibus non fiant.*

13 Niſi forte parum aliquid mali huiuſmodi accidit *Nam interdum oratores populares vel tyranni fiunt, licet raro: vel tantum valent in aliqua ciuitate, vt tyrannidem exercere videantur, cuncta gerentes arbitratu ſuo.*

14 Mileti Prytania. *Prytania erat ampliſſimus magiſtratus in Mileto vrbe Cariæ.*

15 Quod Athenis Piſiſtrato ſimultatem gerenti cum Pediacis accidit. *Populum Athenienſem olim in tres partes diuiſum fuiſſe memorat Plutarchus, Diacrios qui ſtatui populari maximè ſtudebant, Pedieos qui paucorum potentiæ, Paralos qui medium tenebant. Piſiſtratus ig..ur cum eſſet Pedieis nobilitati ſcilicet ac diuitibus infenſus, acceptus erat popularibus, itaque ho-*

quæ horum fauore tyrannidem occupauit. Nam Plutarchus Pedieos vocat, quos Ariſtoteles Pediacos, niſi forte menda eſt in alterutro.

16 Ad flumen paſcentes. *In loco ſcilicet prohibito & publico, quo tanquam ſuo diuites vtebantur, & per contemptum legum huc armenta ſua compellebant.*

17 Ex vetere & maioribus conſueta in nouiſsmam. *Ex mediocriter populari, qualis eſſet ſolebat apud veteres, vbi leges valebant in deprauatiſsimam & nouiſsimè inductam, vbi omnia arbitrio & decretis populi geruntur.*

18 A tribubus creentur. *Vt ex ſingulis tribubus bini, aut terni, alióue paruo numero ſuffragium pro tota tribu magiſtratibus mandandis ferant.*

CAPVT VI.

1. 2. 1 PAVCORVM potentiæ duobus potiſſimum modis 2 ma-
niſeſtiſſimis quidem mutantur: vno, ſi iniuriam inferant in mul-
titudinem: quiuis enim ad ducendum populum eſt idoneus, præ-
3 ſertim ſi quis ex ipſis paucis imperantibus ſeſe ducem præbeat, 3 vt
Lygdamis in Naxo, qui huius inſulæ poſtea tyrannidem occupauit.
4. 4 principium quoque ſeditionis quod ab alijs oritur, differentias
habet, quoniam interdum ab ipſis locupletibus qui non ſunt in im-
perijs ſtatus paucorum diſſoluitur, cum admodum pauci ſunt qui
5. honoribus funguntur, 5 vt in Maſſilia, Iſtro, & Heraclea, & in alijs
ciuitatibus vſu venit. Nam quibus imperia non communicaban-
tur, hi tandiu ſeditionem agitauerunt, donec ſtatum Reipublicæ
6 7. mutarent: primum 6 fratres maiores natu, 7 deinde rurſus mino-
res. quoniam in quibuſdam ciuitatibus, pater, filiuſq; magiſtratum
ſimul gerere non permittuntur: in alijs maior & minor natu fra-
8. tres prohibentur. 8 Atque hic quidem ciuilior facta eſt paucorum
potentia. In Iſtro autem in popularem tranſiuit: at in Heraclea ex
9 paucis ad ſexcentos peruenit. 9 In Cnido paucorum potentia, ipſa
inter ſe nobilitate diſſidente mutata eſt, quia paucis Reſpub. pate-
bat, & quemadmodum diximus, patre gerente Rempublicam, fili-
us non admittebatur: ex fratribus ſi plures erant, nulli niſi natu
maximo magiſtratum gerere licebat. Nam nobilibus inter ſe diſſi-
dentibus ſuperueniens populus, acceptoque duce, ex ipſa nobilita-
te facto impetu, victoria potitus eſt. Quoniam quod inter ſe diſſi-
10. det, infirmum eſt. 10 In Erythris olim cum Baſilidæ pauci imperi-

um ob-

um obtinerent,quanquam qui Rempublicā adminiſtrabant, rectè
ſuum munus obirent,tamen populus ægrè ferens,quòd paucorum
imperio ſubiectus eſſet, ſtatum Reipublicæ mutauit. Mutantur e-
tiam paucorum dominatus,ipſorum paucorum opera per conten-
tionem aſſentatorum popularium. Nam duplex eſt aſſentatio po-
pularis,altera inter ipſos paucos,quoniam 11 etiam inter admodum 11.
paucos aſſentator popularis exiſtit, 12 vt Charicles Athenis inter 12.
triginta potens eſt factus, dum ſeipſis triginta ducem aſſentatorem
præbet. Et Phrynicus inter quadringentos eodem modo. Altera
cum paucorum dominantium aliquis popularem turbam ducit, 13 13.
vt in Lariſſa politophylaces, quoniam ſuffragio plebis deligeban-
tur, ſe turbæ populari aſſentatores ac duces exhibebant: quod fit in
omnibus paucorum dominatibus, vbi magiſtratus non ſunt ex ijs
quorum ſuffragio deliguntur,ſed 14 magiſtratus ex magnis cenſib. 14.
aut ex factionibus creantur. Leguntur autem à militibus, vel à po-
pulo:15 quod accidit in Abydo & 16 vbicunque iudicia exercentur, 15. 16.
ab ijs qui Rempublicam adminiſtrant. Nam duces populares ad iu-
dicia Rempublicam transferunt, vt in Heraclea Ponti factum eſt.
Præterea cum ipſam paucorum potentiam aliqui ad minorē pau-
citatem redegerint. 17 Nam qui paritatem quærunt, populum in 17.
ſui auxilium adhibere coguntur. Mutantur etiam paucorum do-
minatus, cum patrimonia intemperatè viuendo conſumpſerunt:
nam tales homines ſtudium rerum nouarum inceſſere ſolet, & ty-
rannidem vel ipſi occupant,vel vt alter inuadat moliuntur,quem-
admodum Hipparinus Syracuſis Dionyſio viam ad tyrannidem
inuadendam muniuit: 18 & in Amphipoli quidam Cleotimus no- 18.
mine Chalcidenſium colonos induxit,ac inter eos & locupletes ſe-
ditionem concitauit. 19 Et in Aegina qui negotium egit Chareti, 19.
per talem cauſam Rempublicam mutare conatus eſt. itaque modo
20 mouere aliquid nituntur, modo 21 res communes compilant, 20. 21.
vnde ſeditiones concitantur, 22 vel ab his inter ipſos,vel ab eis qui 22.
ſe compilantibus opponunt,quemadmodum in Appollonia Ponti
vſu venit. Cum autem paucorum dominantium conſentiens eſt a-
nimus,non facilè à ſe dominatus ipſorum euertitur. argumento 23 23.
Reipub. Pharſalicæ. illic enim pauci in multos imperium tenent,
propterea quòd ipſi pauci rectè gerunt inter ſe. Diſſoluitur etiam
ſtatus hic, cum in paucorum potentiam alteram paucorum poten-
tiam inducunt: quod efficitur quando cum pauci ſint qui Rempu-

blicam adminiſtrant, non tamen paucis omnbus ſummi magiſtratus communicantur: quod olim in Elide accidit. nam cum pauci Rempublicam gererent, perpauci Senatores fiebant, quoniam per-
24. 25. petui erant numero nonaginta, 24 eratq́; dynaſtica delectio, 25 atq; ei ſimilis qua Senatores Lacedæmone leguntur. Mutantur autem paucorum dominatus, tum in bello, tum in pace. In bello quidem, quoniam cum populum ſuſpectum habeant, vti militum præſidio coguntur, cui qui fuerit præfectus. ſæpe tyrannidem inuadit, vt Ti-
26. mophanes Corinthi: 26 vel ſi plures ſint, dynaſtiam ſibi vendicant. interdum autem harum rerum timore, cum vti populo co-
27 gantur, 27 remp. cum ipſo populo communicant. In pace verò fit mutatio paucorum potentiæ, cum inter ſe alij aliorum fidem ſuſpectam habentes, cuſtodiam committunt militibus, & præfecto, qui medius ſit: nec in alterutram partem inclinet, qui partis vtriuſ-
28. que dominus interdum efficitur, vt accidit Lariſſæ in 28 Aleuada-
29 30. rum Samniorum principatu: & Abydi 29 factionum tempore, 30 quarum vna erat Iphiadæ. Exiſtunt etiam ſeditiones ex mutuis offenſis, quas pauci dominātes alij alijs inferunt inter ſe, & quia matrimonij iudiciorúmve cauſa ſimultates ſuſcipiunt: matrimonij
31. cauſa, vt in exemplis ſuprà memoratis. 31 Eretriæ paucorum potentiam quam equites tenebant, Diagoras diſſoluit, accepta iniuria
32 in negotio matrimonij. 32 Ex iudicio verò tribunalis orta ſeditio eſt in Heraclea, & Thebis propter cauſam adulterij, pœnis ſumptis iuſtè quidem, ſed tamen ſeditioſè. Heracleæ de Euritione, Thebis verò de Archio: in quos tam pertinaciter inimici ſimultatem exercuerunt, vt fuerint ad palum in foro vincti. Multæ autem pauco-
33. rum potentiæ idcirco ſunt euerſæ, quòd 33 nimis heriliter imperarent, idq́ue à nonnullis adminiſtrationis Reipublicæ ſocijs, iniquo animo ferentibus importunum dominatum, vt in Cnido, & in Chio accidit. Caſu quoque mutationes fiunt, tum Reipublicæ vocatæ, tum paucorum potentiæ, in quibus ex cenſu conſultores ac iu-
34. dices leguntur, ac cæteri magiſtratus. 34 Nam ſæpe cum cenſus fuerit pro ratione temporum definitus, vnde pauci in paucorum potentia, in Republica verò mediocres magiſtratus adirent: tamen temporum felicitate propter pacem, aut rebus aliter proſperè cedentibus efficitur, vt eædem poſſeſſiones pretio longè maiore æſtimentur, vt poſſint omnes omnium eſſe participes, modo paulatim ac latenter mutatione facta, modo celerius. Ob has igitur cauſas

pauco-

paucorum potentiæ mutantur,& ſeditiones exiſtunt. Sed omnino ſtatus populares & paucorum potentiæ interdum non in oppoſitas Reipublicæ formas mutantur, ſed in alias quæ genere continentur eodem, vt 35 ex legitimis ſtatibus popularibus,& paucorum poten- 35.
tijs 36 in dominantes,& ex his viciſſim in illas. 36.

Scholia in Caput VI.

1 PAVCORVM potentiæ duobus potiſſimum modis. *Vna ratio mutandi paucorum potentiam eſt.ſi pauci dominantes iniuriam inferant in multitudinem.quæ laceßita conſpirationem facit, deiectiſq; paucis Rempub.occupat. Altera eſt diuitum inter ipſos diſſenſio,quæ multiplex eſt: modo enim à diuitibus priuatis ſeditio naſcitur, indignantibus ſibi non communicari Rempub quam perpauci ſuo arbitratu moderentur, quod exemplis declaratur. Modo ſeditio ex ipſorum paucorum contentione oritur, cum eorum aliquis dux & aſſentator popularis ipſorum quaſi turba fit. Quandoque cum eorundem paucorum quiſpiam ſe turba populari contra ipſos paucos ducem & aſſentatorem præbet Item cum pauci ad pauciores rediguntur: tunc enim excluſi ſeditionem mouent. Præterea cum ex ipſis paucis quidam per luxum patrimonia conſumpſerunt: tales enim rebus nouis ſtudere ſolent, vt vel ipſi tyrannidem inuadant, vel alijs auctores inuadendi fiant. Item cum ſummi magiſtratus non paucis cunctis communicantur, quod eſt vnam paucorum potentiam alteri addere. Quandoque præfectus præſidij tyrannidem inuadit. Item ex mutuis paucorum iniurijs ſeditiones exiſtunt, quæ Rempub. euertunt. Adhæc ex crudelitate & auaritia paucorum imperantium. Præterea caſu tum Reſpub. tum paucorum potentia mutantur: vt ſi manente eodem cenſu, temporum felicitate pretia poſſeßionum augeſcant: ſed mutationes modo in diuerſum genus, modo in aliam formã ſed intra idẽ genus fiunt.*

2 Manifeſtiſsimis quidem. *Nam fortaſſe alij præterea modi ſunt, ſed non perinde manifeſti: quorum modorum alter eſt, ſi plebs à diuitibus diſſentiat: alter ſi diuites ipſi dißideant inter ſe.*

3 Vt Lygdamis in Naxo. *Naxus inſula eſt ex Cycladibus, in qua Lygdamis cum eſſet ex numero paucorum qui Rempub tenebant, & plebem iniuſtè tractabant, concitatæ plebi ſe ducem contra paucos exhibuit, & fauore populari tyrannidem inuaſit.*

4 Principium quoque ſeditionis quod ab alijs oritur. *Secundus modus mutandi paucorum potentiam qui conſiſtit in principio ſeditionis quæ ab alijs quàm à plebe, id eſt ab ipſis diuitibus oritur, eſt multiplex.*

5 Vt in Maſsilia, Iſtro, & Heraclea. *Maßilia vrbs eſt prouincæ Narbo-*

nenſis, celebris etiam nunc, ſed olim celeberrima Phocenſium colonia. Iſtrus multarum vrbium nomen eſt, ſed Cretenſem fortaſſe ſignificat, & Heracleam quæ eſt ad Pontum in Thracia.

6 Fratres maiores natu. *Vbi cum patribus Rempub. gerere non dabatur.*

7 Deinde rurſus minores. *Vbi maximis duntaxat natu Reſpub. communicabatur.*

8 Atque hic quidem. *Maßiliæ paucorum potentia ciuilior facta eſt, vt pluribus communicaretur, & humanius adminiſtraretur: in Iſtro verò in popularem tranſiuit.*

9 In Cnido. *Vrbe Cariæ, vnde Eudoxus Cnidius Platonis diſcipulus, & Agatharchides peripateticus ſcriptor, & Theopompus dictatoris Cæſaris familiaris, vt refert Strabo. hanc Plinius Gnidum vocat cum G. litera, non vt Græci cum C. & inter inſulas numerat, ſcilicet quoniam pars huius ciuitatis continentem, pars inſulam proximam incolit, vt eſſe vrbes duæ videantur, vt refert Strabo.*

10 In Erythris olim cum Baſilidę. *Erythra ſiue Erythria vrbs eſt Ioniæ. Baſilidæ autem vocabantur qui genus ducebant ab Androclo filio legitimo Codri regis Athenienſium Epheſi conditore, qui prius Ioniæ, coloniæ, deinde Aeolum imperauit, & Epheſum vrbem condidit, quare Ionum regia conſtituta eſt Epheſi, vt Strabo memorat lib. xiiij. qui Androcli poſteros non Baſilidas quaſi regios, ſed reges nominari ſolitos ſcribit, & regia inſignia retinere, & quibuſdam in rebus habere prærogatiuam, quemadmodum hodieq; in Italia Comites vocantur, qui genus à Comite, & Marchiones qui à Marchione ducunt, quamuis nihil principatus habeant, niſi fortè βασιλεῖς mendoſe pro βασιλίδαι, in Strabonis codice ſcriptum eſt, quemadmodum in Ariſtotelico corruptè, vt arbitror, ſcriptum eſt, βασιλιδῶν, id eſt reginarum, pro βασιλίδων, id eſt regiorum, diſcrimine accentus duntaxat ſic enim vocantur qui genus à rege ducunt. Poſteri ergo Androcli regis vt videtur, in Erythra, & alijs fortaſſe Ioniæ ciuitatibus paucorum potentiam exercebant, qui vt Heraclidæ ab Hercule, ſic ipſi à rege Androclo Baſilidæ nominabantur.*

11 Etiam inter admodum paucos aſſentator popularis exiſtit. *Nam etiam in ipſis paucis cum ſint quidam qui maiorem habent auctoritatem, præ quibus cæteri ſunt quaſi vulgus ſeu plebs, fit nonnunquam vt aliquis his qui tanquam vulgus inter paucos ſunt, ſe ducem & aſſentatorem præbeat.*

12 Vt Charicles Athenis inter triginta. *Bello Laconico victi Athenienſes à Lacedæmonijs duce Lyſandro coacti ſunt ex ipſis Athenienſibus trigin-*

tarecto

ta rectores ciuitatis accipere, quorum arbitrio Reſpub. gereretur, vt ex Repub. populari paucorum potentia fieret, quod vbique Lacedamonij facere conabantur, qui triginta prorectorib. tyrannos ſeſe præbuerunt. Horum igitur triginta, quaſi vulgo ducem & aſſentatorem ſeſe Charicles præbuit, & inde potentiam eſt adeptus, vt Phrynicus inter quadringentos, de quibus ſuprà diximus cap iiij.

13 Vt in Lariſſa Politophylaces. *Lariſſam Theſſaliæ quæ celeberrima fuit dicere videtur. Nam multæ aliæ Lariſſæ fuerunt. Politophylax nomen magiſtratus eſt, quod ciuium cuſtodem ſignificat.*

14 Magiſtratus ex magnis cenſibus vel factionibus creantur. *Vt ſi nemo imperator, ſiue dux exercitus conſtitui inter Romanos poſſet, qui Senatorium cenſum non haberet, vel non eſſet ex factione Pompeiana: vt ſæpe cum ciuitas ſciſſa eſt in partes ſeu factiones accidit, quarum quæ inualuerit, hæc ex altera magiſtratus deligi non ſinit.*

15 Vt accidit in Abydo. *Abydos vrbs eſt in Aſia ad Helleſpontum contra Seſtum vrbem alteram in Europa. Abydo igitur accidit, vt populus duce quodam ex ipſis paucis Rempub. inuaderet.*

16 Vbicunque iudicia exercentur. *Quod fit dupliciter, vel à iudicibus priuatas etiam controuerſias minuentibus, & cauſas dijudicantibus: vel à ciuibus magiſtratus mandantibus. Nam hoc etiam eſt de candidatorum dignitate, alijs alios præferendo iudicare. Itaque ipſam magiſtratuum delectionem iudicium ſolet Ariſtoteles nominare.*

17 Nam qui paritatem quærunt. *Pauci per reductionem ad minorem numerum excluſi, dum in honoribus & commodis pares eſſe pauciſſimis illis moliuntur, auxilium petunt à populo.*

18 Et Amphipoli. *Quod oppidum eſt in Macedonia.*

19 Et in Aegina. *Inſula vna ex Cycladibus, vbi quidam conſumpto patrimonio Charetem amicum ſuum tyrannum facere conatus eſt, vt ea ratione ipſe quoque opes adipiſceretur.*

20 Mouere aliquid. *Statum Reipub. mutare.*

21 Res communes compilant. *Rempub. furto defraudant.*

22 Vel ab his inter ipſos. *Vel hi pauci diſſident inter ſe, vel ſeditio inter compilatores, & eos qui ſeſe illis opponunt oritur.*

23 Reipub. Pharſalicæ. *Oppidi Theſſaliæ.*

24 Eratque dynaſtica delectio. *Conueniens dynaſtiæ, qui eſt peſſimus ſtatus paucorum potentiæ.*

25 Atque ei ſimilis, qua Senatores Lacedæmone leguntur. *Apud Lacedamonios viginti octo Senatores erant, vel triginta, duobus regibus connumera-*

numeratis:in demortui verò locum ſufficiebatur,qui eſſet optimus virtute iudicatus,annos natus ſupra ſexaginta. De ratione autem eligendi vide Plutarchum in Lycurgo.

26 Vel ſi plures ſint dynaſtiam. *Si vnus eſt præſidij paucorum præfectus, is tyrannidem interdum inuadit,ſi plures vno hi Remp.ad ſe trahunt, & dynaſtiam quæ tyrannidi ſimilis eſt exercent.*

27 Remp.cum ipſo populo communicant. *Et ſic deſinit eſſe paucorum potentia.*

28 Aleuadarum Samiorum principatu. *Aleuadæ, vt refert Suidas,erant nobiliſſimi Lariſſæ vrbis Theſſaliæ, genus ab Aleuo rege ducentes,quos Samios vocat Ariſtoteles, vel quia ex Samo erant oriundi, vel quia Samo imperitabant.*

29 Factionum tempore. *Tempore Lyſandri Lacedæmoniorum ducis,qui Athenienſes debellauit. Hic enim cum Epheſum audaciſſimmum quenq; ex vrbibus euocaſſet,hos hortatus eſt vt factiones in ſuis ciuitatibus inirent, ac res nouas molirentur, imperia & honores pollicitus cum Athenienſes fuiſſent debellati. Itaque auctore Lyſandro factiones per vrbes extiterunt, & paucorum potentia,& decemuiratus euerſis ſtatibus popularibus facti ſunt. Hos igitur decẽuiratus, quos potentes & factioſi homines inuaſerunt,ἑταί-ρίας, hoc eſt factiones Ariſtoteles vocat,vt Plutarchus & cæteri ſcriptores, propterea quòd ex partibus quæ per factionem viciſſent, decemuiri, conſtituebantur,qui Rempub.ſua libidine gerebant.*

30 Quarum vna erat Iphiadæ. *Vnius factionis princeps erat Iphiades.*

31 Erethriæ. *Quod oppidum eſt in Euboea inſula.*

32 Ex iudicio tribunalis. *Non ex iudicio ſuffragiorum.*

33 Nimis heriliter imperarent. *Imperium in plebem,vt importuni domini in ſeruos exercerent.*

34 Nam ſæpe cum cenſus fuerit pro ratione temporum definitus. *Vt ſi in paucorum potentia tempore aliquo cenſus vnde magiſtratum adire liceret,quadringentorum numorum definiretur, qui eſſet tunc temporis magnus, fieri poteſt vt poſſeſſiones quæ eo tempore quinquaginta numis valebant, eadem poſtea quadringentis æſtimentur, qua ratione pleriſque magiſtratus patebunt Itaq; caſu deſinet eſſe paucorum potentia, quemadmodum hac memoria in Hiſpania propter magnam auri & argenti copiam ex orbe nouo importatam,pretia poſſeſſionum in quintuplũ,eoq; amplius creuerunt.*

35 Ex legitimis ſtatibus popularibus. *Qui tolerabiles ſunt, & in quibus leges vim & auctoritatem habent.*

36 In dominantes. *Dominãtes vocat ſtatus populares & paucorũ potentias,vbi*

at, vbi non ex legibus, ſed ex voluntate imperantium Reſpub. adminiſtratur: dominantur enim populus & pauci non leges qui ſunt peßimi ſtatus vtriuſq; Reipublicæ.

CAPVT VII.

1 IN ſtatibus autem optimatum, ſeditiones quædam exiſtunt, 1
quia pauci ſunt qui honoribus funguntur, quare paucorum etiam
potentias mutari diximus. Satus enim optimatum quodammo-
do eſt paucorum potentia. Nam vtrobique pauci ſunt qui tenent
imperium, licet 2 non eadem ratione pauci, 3 idcirco enim ſtatus 2. 3.
optimatum videtur eſſe paucorum potentia. Sed hoc tunc maximè
vſu venire neceſſarium eſt, cum multi ſunt ea opinione ſublati,
quòd virtute ſibi pares eſſe videntur, vt Lacedæmonij Parthenij
nominati: 4 ex ſimilibus enim procreati fuerant, qui depræhenſis 4.
inſidijs quas Reipublicæ tendebant, Tarentum in coloniam dedu-
cti ſunt: vel cum quidam viri magni & nihilo virtute inferiores
indignè & cum dedecore ab aliquibus honoratioribus tractantur,
vt 5 Lyſander à regibus: vel cum aliquis à fortitudine præſtans ad 5.
honores non admittitur, 6 vt Cinadon, qui tempore Ageſilai au- 6
ctor fuit conſpirationis in Spartanos factæ. Præterea cum alij nimia
paupertate ſunt depreſſi, alij magnas opes habent, quod maximè
in bellis efficitur, acciditque Lacedæmone ſub bellum, quod cum
Meſſenijs fuit, vt Tyrtæus poeta in opere quod inſcribitur Euno-
mia teſtatur: quidam enim bello attriti, 7 vt fieret bonorum æqua 7.
tio poſtularunt. Item ſi quis magnus ſit, & facultatem habeat aſ ce-
ſcendi, dum cupit ſolus imperio potiri, quod Lacedæmone Pauſa-
nias 8 qui dux bello Medorum fuerat: molitus fuiſſe videtur, 9 & 8. 9.
Hanno Carthagine. Sed maximè tum Reſpublica, tum ſtatus opti-
matum diſſoluuntur, ſi ius in ipſa Republica violetur. 10 Nam 10.
principium eſt, quod non eſt recte ſtatus popularis cum paucorum
potentia in Republica temperatus, & hæc vtraque cum virtute in
optimatum gubernatione, ſed duo maximè, popularem dico, & pau-
corum potentiam: hæc enim Reſpublica & magna pars earum
quæ ſtatus optimatum dicuntur, miſcere conantur. Nam hoc di-
ſcrimine ſtatus optimatum à vocatis Rebuſpublicis differunt, ac
propter hoc quædam ipſarum minus, aliæ magis ſunt ſtabiles, quo-
niam quæ magis inclinant ad paucorum potentiam, ſtatus opti-

matũ nominātur: Reſpublica verò quæ ad multitudinẽ. Quamob-
11. 12. rem 11 quæ huiuſmodi ſunt, tutiores alijs habentur: 12 nam quod
plus eſt, plus habet roboris: & qui habent æquale, magis ſunt præ-
ſenti ſtatu contenti. Locupletes autem ſi cæteris in Republica præ-
ferantur, contumelias inferre & plus ſibi vendicare conantur: Ad
ſummam, ſi Reſpublica in partem alterutram inclinet, in eam trãſ-
fertur, vtriſque ſuam partem augere conantibus, hoc eſt Reſpubli-
ca mutatur in ſtatum popularem: optimatum gubernatio in pau-
corum potentiam: aut in oppoſita, vt ſtatus optimatum in popula-
rem, quoniam egentiores quaſi iniuriam accipiant, Rempublicam
in oppoſitum trahunt: Reſpublica verò in paucorum dominatum:
hoc enim ſolum confirmat, ſtabilemque facit ſtatum Reipublicæ
13 13 ſi pro dignitate paria tribuantur, & quæ ſua ſunt quiſque retineat.
Quod verò dictum eſt, id in Thurijs vſu venit. Nam cum magi-
ſtratus à maiore cenſu crearentur, in minorem tranſiuit, & plures
magiſtratus. Cum autem nobiliores totius regionis agros ſibi ven-
14 dicaſſent, 14 erant enim potentiores, cum Reſpublica ad paucorum
potentiam inclinaret, populus armis belloque exercitatus, poten-
tior præſidio factus eſt, donec qui plura poſſidebant, agris ceſſerũt.
Præterea quoniam omnes optimatum Reſpublicæ in potentiam
paucorum inclinant, idcirco nobiles plura ſibi vendicant: vt Lace-
dæmone patrimonia in paucorum poſſeſſionem redacta ſunt, ma-
giſque licet nobilibus quicquid voluerint efficere, & cum quo ve-
lint affinitatem contrahere, quæ cauſa fuit interitus Locrorũ Rei-
15. publicæ, 15 propter Dionyſij affinitatem, quod nec in ſtatu popula-
16. ri, nec in optimatum 16 bene temperata Republica vſu veniret. Sed
tum maximè ſtatus optimatum latenter diſſoluitur, cum paulatim
intercidit, vt ſuprà de cunctis Rebuſpublicis vniuerſaliter diximus
exiguitatem mutationum eſſe cauſam. Nam cum ex his aliquam
Reipublicæ partem neglexerint, aliud deinde paulò maius facilius
17. mutant, donec totum ornatum ac ordinem euertant, vt 17 in Thu-
riorum Republica vſu venit. Nam cum eſſet lege cautum ne quis
exercitum duceret, niſi quinquennio intermiſſo: quidam ex iuuẽ-
tute rei militaris vſum opinionemque virtutis 18 apud præſidiari-
18. am multitudinem nacti, dum magiſtratus contemnunt, & ſe facilè
id obtinere poſſe putant, primum hanc legem antiquare conantur,
19. vt eiſdem 19 continenter duces eſſe liceret, cum ſe non dubitarent
populi ſuffragio huic muneri libenter eſſe præficiendos. Magiſtra-
tus ve-

tus verò, conſiliarij nuncupati, quibus fuerat huius rei cura delegata, cum ſe primum illorum conatib. oppoſuiſſent, ceſſere tamen, dum ſibi perſuadent hac lege ſoluta, illos à cætera Repub. temperaturos. Sed poſtea cum aliarum rerum mutationi vellent obſiſtere, nihil profecerunt. ſed totus ordo Reipublicæ 20 in eorum qui reb. 20.
nouis ſtuduerant, dominatum tranſiuit. Cæterum Reſpublicæ omnes modo à ſe, modo extrinſecus diſſoluũtur, cum prope eſt contraria Reſpublica, aut procul quidem, alens tamen exercitum. quod Athenienſium atque item Lacedæmoniorum principatui accidebat. 21 Nam vbique Athenienſes paucorum ſtatus, Lacedæmonij 21.
populares diſſoluebant. Mutationes igitur ferè Rerumpub. ac ſeditiones vnde naſcerentur, explicuimus.

Scholia in Caput VII.

1 IN ſtatibus autem optimatum ſeditiones quædam exiſtunt. *Multis ex cauſis ſeditiones in optimatum Rep. commouentur. Primum ob hoc tantum quòd pauci ſunt, qui Reip. præſunt, vt ſuperiore capite de paucorum potentia, præſertim in exemplo Baſilidarum memoratum eſt. Sed cauſa potiſſima ſunt, quum præter optimates ſunt alij in ciuitate qui ſe illis virtute non inferiores eſſe putant: vel cum viri virtute præſtantes indignè tractantur ab honoratioribus, vel ad honores non admittuntur. Præterea cum alij ditiſſimi ſunt, alij pauperrimi. Item ſi quis magnopere emineat, & habeat tyrannidem occupandi facultatem. Sed tunc maximè Reſp. & ſtatus optimatum euertitur, ſi ius in ipſa Rep. violetur. huius enim mali origo eſt in eo, quòd non rectè Reſp. popularis cum paucorum potentia in Rep. mixta eſt, nec Reſp. popularis & paucorum cum virtute in ſtatu optimatum. Quo fit vt hi ſtatus modo in paucorum potentiam, modo in popularem tranſeant, ſed omne genus Reip. nunc interno & domeſtico malo, vt declaratum eſt, euertitur, nunc ab externis potentioribus qui talem ſtatum ciuitatis non probant, deletur.*

2 Non eadem ratione pauci. *Quoniam in paucorum potentia pauci diuites Reip. præſunt, in ſtatu optimatum pauci virtute præſtantes, quorum vtrique pauci eſſe ſolent.*

3 Idcirco enim. *Quia pauci ſunt optimates qui Rempublicam moderantur.*

4 Ex ſimilibus enim procreati fuerant. *quoniam Lacedæmonij, vt Trogus refert, cum Meſſenijs propter ſtupratas virgines ſuas in ſolenni Meſſeniorum ſacrificio bellum intuliſſent, grauiſſima ſeſe execratione obſtrinxerunt,*

runt, non priuſquam Meſſenam expugnaſſent, reuerſuros. Sed cum bellum eſſet in decennium protractum, vt poſteritati conſulerent, legunt iuuenes ex eo genere militum, qui poſt iuſiurandum in ſupplementum venerant, quibus Spartam remiſſis promiſcuos omnium fœminarum concubitus permiſerunt, maiorem futuram conceptionem rati, ſi eam ſingulæ per plures viros experirentur. ex his nati ob notam materni pudoris Partheniј ſunt vocati. Hi ergo deprehenſis inſidijs, quas patriæ moliebantur, in coloniam Tarentum deducti ſunt, quoniam excedere iuſſi ipſi, vt Trogus ſcribit, aſſumpto Phalanto duce ad ſedes requirendas proficiſcuntur, diuq; & per varios caſus iactati, tandem in Italiam deferuntur, & oppugnata Tarentinorum arce, ac veteribus colonis expugnatis ſedem ſibi conſtituerant.

5 Lyſander à regibus. *Lyſander dux Lacedæmoniorum, à regibus ipſius virtuti & gloriæ inuidentibus male tractabatur: quare & ipſe regnum mutare ratione quadam conatus eſt, de qua ſupra memorauimus.*

6 Vt Cinadon, qui tempore Ageſilai *Cinadon authore Xenophonte, iuuenis erat robuſtus & audaciſſimus, qui primo anno Ageſilai regis cum alijs Spartanis in regem & primos ciuitatis conſpirauit. Quod cum eſſet per indicem delatum, comprehenſus eſt, rogatusq; cur tantum facinus moliretur, nihil aliud reſpondit, quàm ne poſtremus eſſet Lacedæmone. Itaque manibus ad tergum reuinctis per vrbem cum conſcijs circumfertur, cæſiq; primùm verberibus, pœnas cogitati ſceleris dederunt.*

7 Vt fieret bonorum æquatio. *vt agri pariter inter omnes diuiderentur.*

8 Qui dux fuit bello Medorum. *Deuictis, pulſisq; Græcia Perſis (quos Ariſtoteles Medos vocat, quia idem erat Perſarum Medorumq; rex, & vtrique Xerxem ſequuti ſunt) Lacedæmonij vt Perſas vlciſcerentur, vltro eorum fines depopulari conſtituunt. Cuius rei gratia ſuo ſociorumq; exercitui Pauſaniam præficiunt, qui pro ducatu regnum Græciæ affectans, proditionis præmium cum Xerxe, nuptias filiæ eius, paciſcitur: quo enunciato, Pauſanias non multo pòſt accuſatus & damnatus eſt.*

9 Et Hanno Carthagine. *Hanno cum ſuis opibus Carthaginienſis Reip. vires ſuperaret, ſenatum concidere, & regnum occupare conatus eſt. quo enunciato captus eſt, virgisq; cæſus, & effoſſis oculis, & manibus cruribusq; fractis, in conſpectu populi occiſus.*

10 Nam principium eſt. *Principium, vnde iuris violatio, & ſeditiones oriuntur, eſt in eo, quod non recte miſta temperataq; eſt Reſp. popularis cum paucorum potentia quarum proba temperatio probam Remp & firmam facit. Eodemq; modo recta popularis & paucorum potentia cum virtute temperatio, rectam & ſtabilem facit optimatum Remp. Atque è diuerſo non recta de-*

ſta debilem & infirmam: contraria enim contrariorum efficientia ſunt.

11 Quæ huiuſmodi ſunt tutiores alteris habentur. *Reſp. quæ ad popularem formam inclinant, tutiores ſtabilioreſq́; ſunt, quàm optimatũ ſtatus, qui ad paucorum potentiam.*

12 Nam quod plus eſt, id plus habet roboris. *In Rep. quæ ad popularem inclinat, plures ſunt ij quibus Reſp. communicatur, quàm in ſtatibus optimatum, qui ad paucorum potentiam inclinant ac proinde plus roboris ac virium ad ſtabilitatem, & firmitudinem habent, licet ſtatus optimatum perfectior atque expetibilior ſit.*

13 Si pro dignitate paria tribuantur *ſi pro ratione proportioneq́; meritorum & dignitatis honores & commoda cuiq; tribuantur, quæ æqualitas geometrica nominatur.*

14 Erant enim potentiores. ἐβούλοντο πλεονεκτεῖν. *Hoc enim verbum πλεονεκτεῖν, quo frequenter vtitur Ariſtoteles, multas habet intelligentias. nam & auare ſeſe gerere ſignificat, & aliena inuadere, & pluſquam oportet ſibi ſumere, & interdum maiorem facultatem ſeu adiumenta ad rem gerendam habere, vt hoc in loco.*

15 Propter Dionyſij affinitatem. *Dionyſius ſenior vxorem Dorida ex gente Locrorum duxit nobilis, atq; potentis familiæ, cuius affinitatis occaſione Locrorum Remp. inuaſit.*

16 Pene temperata Rep. *Recte ex populari & paucorum potentia mixta.*

17 In Thuriorum Rep. *quæ ciuitas Græca eſt, in Italia.*

18 Apud præſidiariam multitudinem. *Apud multitudinem militum qui erant in præſidio.*

19 Continenter eſſe duces. *Nullo interiecto tempore.*

20 In eorum, qui rebus nouis ſtuduerant dominatum tranſiuit. *In paucorum potentiam mutatus eſt, eamq́; formam quæ dynaſtia ſiue dominatus dicitur, quæ huius generis peſſima eſt, paucis illis turbulentis hominibus Rempub. arbitratu & libidine ſua exagitantibus.*

21 Nam vbique Athenienſes. *Athenienſes quoniam ipſorum Reſp. ad popularem inclinabat, quaſcunq; vrbes in ditionem redegiſſent, earum Reſp. populares faciebant: Lacedæmonij contrà paucorum potentias, quia talis erat ipſorum Reſpublica.*

CAPVT VIII.

1. 1 SEQVITVR, vt de ipſarum conſeruatione, tum communi-
ter, tum ſeparatim de ſingulis diſſeramus. Sed illud primum omni-
um dubitari non poteſt, quin cognitis iis quæ Rebuſpublicis interi-
tum important, ea quoque quæ ſalutem afferunt intelligãtur, cum
contraria contrariorum ſint efficientia. Interitus autem ſaluti cõ-
2 trarius eſt. Igitur 2 in Rebuſpub. bene temperatis prouidendum eſt
in primis, ne quid præter inſtituta moreſque fiat, ſed maximè om-
nium quod exiguum eſt, caueri debet. Detrimentum enim laten-
ter obrepit, quia non totum ſimul contrahitur: ab hic enim rebus
3 decipitur intelligentia, 3 vt ratio illa copioſa eſt, Si vnumquodque
4 paruum eſt, erunt & omnia parua: quod 4 eſt quodammodo ve-
rum, quodammodo ſecus. Nam totum & omnia non ſunt res par-
ua, ſed ex paruis conſtituuntur. Vna igitur cautio in hoc initium eſt
adhibenda, deinde videndum ne fides habeatur commentis calli-
5. de ad populum circunueniendum excogitatis, quippe 5 quæ rebus
ipſis conuincuntur. Quæ autem commenta & dolos Rerumpubli-
carum dicamus, ſuprà declaratum eſt. Licet autem animaduertere
quoſdam non ſolum optimatum, ſed paucorum etiam ſtatus con-
ſeruari, non quòd ſint Reſpublicæ tutæ, ſed quoniam qui magiſtra-
6. tibus præſunt, tum in eos 6 qui extra Rempublicam ſunt, tum in
ſocios Reipublicæ adminiſtrandæ rectè ſe gerunt, dum eos quibus
7. Reſpublica non communicatur, iniuria non afficiunt, & 7 ipſorum
primarios in publicam adminiſtrationem accipiunt, nec ambitio-
ſos honore, nec multitudinem quæſtu defraudant. Ipſi verò qui
8. Rempublicam gerunt, 8 inter ſe populariter tractant: quam enim
æqualitatem populares in multitudine quærunt, hanc ſimiles inter
ſe tenere nòn modo iuſtum eſt, ſed etiam vtile. Itaque ſi complu-
res ſint qui Rempublicam gerunt, multa inſtituta popularia his te-
nere conducit. exempli gratia, vt Semeſtres ſint magiſtratus, quo
ſimilibus cunctis communicentur. Nam qui ſimiles ſunt inter ſe, hi
quaſi populum quendam conficiunt. quo fit, vt ſæpe inter eos duces
9. & adulatores populares, vt ſuprà docuimus, exiſtant 9 Item hac ra-
tione paucorum potentiæ & ſtatus optimatum minus in dynaſtias
tranſeunt: non enim ſimilis eſt occaſio malum aliquod moliendi ſi
breui tempore, ac ſi diutius magiſtratib. præſint. Nam hæc eſt cau-
ſa cur

ſa cur in paucorum potentijs & ſtatibus popularibus tyrannides occupentur aut enim qui ſunt in vtraque Republica maximi. 10 in 10.
altera aſſentatores duceſque populares, 11 in altera dynaſtæ, aut qui 11.
maximis magiſtratibus præſunt, 12 ſi longo tempore imperium 12.
teneant, tyrannidem inuadunt. Conſeruantur etiam Reſpublicæ non ſolum quia procul abſunt ab ijs quæ interitum afferunt, ſed interdum etiam quia prope ſunt. Nam timor intentiore cura Reipublicæ conſulere cogit. 13 Quibus ergo cordi eſt Reipublicæ ſalus, 13.
hos oportet timores inijcere, vt vigilantiores ſint ciues, nec Reipublicæ cuſtodiam 14 tanquam excubias remittát, & pericula quæ 14.
procul abſunt velut impendentia denuntiare. Adhæc ne contentiones ac ſeditiones inter nobiles oriantur, per leges oportet cauere, & eorum 15 qui extra ſeditionem ſunt, animos antequam eodem malo implicentur, occupare. Nec enim cuiuſuis hominis eſt, 15.
ſed ciuili intelligentia præditi, 16 malum quod efficitur in principio cognoſcere. Vt autem paucorum potentiæ vel Reipublicæ mutationi, quæ per cenſus efficitur occurratur, cùm hoc, manentibus 16.
eiſdem cenſibus, 17 ſed vbertate ſuccedente vſu venit, commodum 17.
eſt communis cenſus magnitudinem cum præterito conferre: in ciuitatibus quæ cenſentur ſingulis annis, 18 per hoc tempus: in ma 18.
ioribus autem, tertio vel quinto quoque anno. & ſi multis partibus aut maior fuerit, aut minor, quàm eo tempore, cum ratio cenſus ad capeſſendam Rempublicam fuit inſtituta, ex conſtituta lege vel augere, vel cenſus rationem minuere: augentes, 19 ſi creuerint o- 19.
pes: minuẽtes, ſi decreuerint, pro ratione factę 20 acceſſionis aut de- 20.
ceſſionis. Quo prætermiſſo, in paucorum potentijs ac Rebuſpublicis, 21 vno modo hic potentia paucorum exiſtit, illic dynaſtia: 22 al- 21. 22.
tero ex Republica ſtatus popularis, ex paucorum potentia Reipub. vel populus fit. Illa verò cautio in populo paucorumque potentia, & in omni Republica communis eſt, ne quem augeant 23 vltra cõ- 23.
menſum, ſed curent vt paruos & diuturnos honores potius quàm ad breue tempus magnos attribuant. Corrumpuntur enim, nec cuiuſuis hominis eſt 24 ſecundam fortunam ferre: aut certe cauen- 24.
dum eſt ne cum multos ſimul honores tribuerint, eoſdem ſimul auferant. Sed paulatim ac primum omnium magna cura legibus eſt prouidendum, ne quis magnopere vel clientelis, vel opibus potentior fiat: ſi quis autem contra eas leges fecerit, 25 exilio ſancire. Et 25.
quoniam per vitam quoque priuatam res nouas moliuntur, magi-

ſtratum

ſtratum conſtituere conuenit, ad obſeruandum eos, quorum vita
26. 26 à Reipublicæ rationibus abhorreat, ſtatus popularis in ſtatu populari, paucorum potentiæ in paucorum dominatu, & in cæteris Rebuſpublicis eodem modo. Ab ijs quoque per partes cauendum
27 eſt ciſdem de cauſis, qui vitam in vrbe 27 per otium & voluptatem tranſigunt. Cuius mali medicina in eo poſita eſt, vt rem gerendi cura, magiſtratuſque partibus oppoſitis tribuatur (oppoſita autem eſſe dico viros probos vulgari turbæ, egenoſque diuitibus) curan-
28. dumque vt egenorum multitudo cum opulentis miſceatur, vel 28
29 media pars augeatur: hæc enim ſeditiones dirimit, quæ 29 propter imparitatem exiſtere ſolent. Sed caput eſt in omni Republica, vt legibus, & omni alia ratione prouiſum ſit, ne qua facultas quæſtus faciendi magiſtratibus relinquatur. Quod maximè cauendum eſt in paucorum potentijs. Nec enim vulgus tam moleſtè fert excludi ſe à magiſtratibus gerendis, quin lætatur potius, ſi ſuis rebus vacare permittatur, quam ſi ſibi perſuaſerit Rempublicam à magiſtratibus compilari: tunc enim vtrunque ei moleſtum eſt, quòd nec ho-
30. norum particeps ſit, 30 & quòd à quæſtubus ſummoueatur. Cæte-
31. rum 31 vna duntaxat ratio eſt, qua ſimul eſſe poſſint ſtatus popularis & optimatum, ſi quis id quod fieri poteſt perficiat, vt tum nobilibus, tum plebi quod vtrique petunt tribuatur. Vt enim cunctis aditus ad magiſtrat⁹ pateat, populare eſt: vt autem nobiles magiſtratus gerant, rationem optimatum attingit: quod fiet ſi magiſtratibus ſublata ſit quæſtus faciendi facultas: Inopes enim magiſtratum gererenullo compendio propoſito recuſabunt, ſed res ſuas agere præoptabunt: Diuitibus autem cum nihil rebus communibus indigeant, magiſtratus gerere licebit: ita fiet vt inopes operibus vacantes diteſcant, nobiles non ſint imperio vulgarium hominum ſubiecti. Compilationibus autem Reipublicæ ſic occurretur, ſi ciuibus om-
32. nibus præſentibus pecuniæ tradantur, & 32 rationum exempla per claſſes centuriaſque & tribus deponantur. Vt verò magiſtratus ſine quæſtu gerantur, legibus oportet honores eſſe propoſitos ijs, quorum induſtria fuerit approbatione omnium commendata. In ſtatibus autem popularibus ſic locupletibus parcere conuenit, vt non
33. modo poſſeſſionum, ſed ne fructuum quidem fiat æquatio. 33 quod
34. in quibuſdam Rebuſp. latenter efficitur. 34 Quin ſatius eſt eos prohibere, ſi munera velint ſumptuoſa quidem, ſed inutilia vt ſpectacula, & ludos, ac cætera id genus exhibere. In paucorum autem po-

tentijs

tentijs magna eſt egenorum habenda cura, eiſque mandandi quæſtuoſi magiſtratus: & grauiori pœna ſantiendum, ſi quis locupletũ in pauperes, 35 quàm ſi quis ipſorum contumeliam inferat. Commodum eſt etiam vt hæreditates 36 non donatione, ſed iure cognitionis tradantur, vtque ad eundem vna non plures hæreditates perueniant: ſic enim erunt magis æqualia patrimonia, pluresque fient ex pauperibus locupletes. Sed & illud tum in populari, tum in ſtatu paucorum prodeſt ijs potius quibus minus Reſpublica communicatur ex cæteris rebus paria, vel etiam potiora tribuere: diuitibus dico in populari, egenis in paucorum dominatu: imperia tamen ſeu magiſtratus, quibus eſt in Rempublicam ſumma poteſtas, ijs 37 qui de Republica ſunt, vel ſolis, vel pluribus mandare.

35.
36.
37.

Scholia in Caput VIII.

1 SEQVITVR vt de ipſarum conſeruatione, tum communiter, tum ſeparatim. *Multa ſunt Reſpub. conſeruandi rationes, ſed illa communis, ne quid fieri contra leges & inſtituta permittatur: quod maximè cauendum eſt in rebus exiguis, quoniam hæ maximè latent. Item ne ſe homines callidis commentis capi permittant, quibus inſidiæ cuique Reip. generi tenduntur, de quibus ſuprà memoratum eſt. Prodeſt etiam eos qui magiſtratib. præſunt rectè ſe gerere, tum cum ijs qui Remp. non gerunt, tum cum cæteris, quibus Reſpub. communicatur, vt illos iniuria non afficiant, cum his populariter ſe gerant. Item curam præſentis ſtatus Reipub. non remittere, ad quod vtile eſt timores inijcere quò diligentius cuſtodiatur. Præterea legibus cauere nobilium ſeditiones, & ſi oriantur, eorum animos occupare, qui nondum ſeditione ſunt implicati. Sed in paucorum potentia, mutationi quæ per cenſum vbertate ſuccedente fit, occurritur, ſi ciuitas certis temporibus cenſeatur, & inita patrimoniorum diuitiarumque ratione, cenſus vel augeatur vel minuatur, vt proportione ad primum inſtitutum redeat. Illa quoque cautio cunctis Rebuſpublicis communis, ne quis honoribus, & potentia ultra commenſum augeatur. Item legibus prouidere, ne quis opibus & clientelis nimium creſcat, conſtituta exilij pœna, ſi quis legis terminos excedat. Eſt etiam vtile magiſtratum creare, qui priuatorum viuendi rationem exploret, ſi qui ſint vitam Reip. rationibus cõtrariã agentes, quique in otio & voluptate degant, qui interdũ reb. nouis ſtudere ſolent. Sed primũ omniũ eſt in omni Repub. prouidendũ, ne qua ratio ſeu facultas magiſtratib. habendi quæſtui Rēp. relinquatur: cui malo ſic occurri poteſt, ſi pecuniæ corã omni populo tradantur, & exempla.*

pla rationum apud tribus ſeu centurias deponantur, item ſi præmium bene geſta Reipub. honores proponantur. Confert etiam tum in ſtatu populari, tum in paucorum potentia, exceptis ſummis magiſtratibus, & in quibus ſumma Reipub. vertitur, cætera liberaliter ijs qui minus ſunt Reipub. participes communicare.

2 In Rebuſpublicis bene temperatis. *Recta ratione mixtis ex populari & paucorum potentia.*

3 Vt ratio illa captioſa eſt. *Ea ratiocinatio qua homines hac in parte decipiuntur, fallax eſt.*

4 Quodammodo verum eſt *Nam omnia diſtributiuè parua ſunt, non autem collectiuè.*

5 Quæ rebus ipſis conuincuntur. *Quæ factis & exitu redarguuntur, & fallacia eſſe declarantur.*

6 Qui extra Rempub. ſunt. *Qui non gerunt magiſtratus, vel potius quibus non patet aditus ad Rempub. gerendam.*

7 Ipſorum primarios. *Ad populares in paucorum potentia hoc referri debet, vt qui inter populares eminent, ij in paucorum ſocietatem ad Remp. capeſſandam aſſumantur.*

8 Inter ſe populariter tractent. *Vt mutua conſuetudine ſic vtantur inter ſe, vt populares ſolent inter ipſos, vt pares ſcilicet cum paribus viuere conſueuerunt.*

9 Item hac ratione. *Si æqualitatem quandam ſeruent inter ſe, & rationem ineant, vt ipſis omnibus honores contractis temporibus communicentur, minus paucorum potentia aut ſtatus optimatum tranſeant in dynaſtiam, quæ ſimilis eſt tyrannidi.*

10 In altera aſſentatores, duceſque populares. *In populari principes populo blandientes.*

11 In altera dynaſtæ. *In paucorum potentia aliquis ex ijs paucis qui ſua libidine Rempub. agitat, quæ forma Reipub. cum ad eam paucorum licentiam peruenit, dynaſtia nominatur.*

12 Si longo tempore teneant imperium. *Vt accidit Iulio Cæſari inter Romanos cum decem annos imperium militare in Gallia tenuiſſet.*

13 Quibus cordi eſt Reipub. ſalus. *Qui Rempub ſaluam eſſe volunt.*

14 Tanquam excubias remittant. *Quaſi nocturnas ſtationes ſeu vigilias quæ intento animo agi debent, imminente periculo.*

15 Qui extra ſeditionem ſunt. *Qui nondum participes ſunt ſeditionis.*

16 Malum quod efficitur in principio. *Non temporis principium dicit, ſed rei: nobilitas enim quaſi principium eſt Reipub. vt ſuprà declarauimus.*

17 Sed

17 Sed vbertate ſuccedente. εὐπορίαν γιγνομένης. *Sic enim legitur in exemplaribus emendatis, ſublato verbo νομίσματος quod in vulgatis redundat. Nam quod hic εὐπορίαν, id eſt vbertatem ſiue copiã, idem ſuprà capite ſexto, εὐετηρίαν, id eſt temporum felicitatem vocauit, cum per otium & pacem aliasq; cauſas pretia poſſeßionum augeſcunt.*

18 Per hoc tempus. *Id eſt ſingulis annis.*

19 Si creuerint opes. *Pretia poſſeßionum vel diuitiæ multorum.*

20 Acceſſionis aut deceſſionis. *Augmenti vel decrementi.*

21 Vno modo. *Per deceßionem ſeu decrementum.*

22 Altero. *Per acceßionem & incrementum.*

23 Vltra commenſum. *Vltra ſymmetriam ſeu proportionem, quod fit cum pars maior quàm pro ratione totius exiſtit, & uis potentior fit, quàm pro ratione ciuitatis, præſertim ſi ſuis vincat ciuitatis opes.*

24 Secundam fortunam ferre. *Non inſoleſcere rebus proſperis.*

25 Exilio ſancire. *Exilij pœnam conſtituere, vt per oſtraciſmum Athenis fiebat, aut aliter in exilium mittere, ſi quis legibus modum diuitijs & clientelis imponentibus non paruiſſet.*

26 A Reipub. rationibus abhorreat. *Si quis aliter viuat quàm ratio Reipublicæ poſtulat, cuiuſcunque generis ſit,*

27 Per otium & voluptatem tranſigunt. *Quod partim ſocordia & inertia fit, vt in pauperibus qui dum laborem fugiunt, furtis, alea, vel alijs malis artibus victum quærunt, partim morum corruptione, vt in diuitibus qui ſe nec ad Rempub. gerendam conferunt, nec literis aut philoſophia, alijs ve honeſtis ſtudijs vacant, ſed turpes voluptates conſectantur.*

28 Media pars. *Qui mediocres habent facultates.*

29 Propter imparitatem. *Ditiſsimorum & egenorum.*

30 Et à quæſtubus ſummoueatur. *Quos faceret, ſi ad gerendam Remp. admitteretur.*

31 Vna duntaxat ratio eſt, qua ſimul, &c. *Nam quia cunctis Rempub. gerere licet, idcirco popularis dici poteſt: quia verò nobiles & optimates magiſtratus gerunt, ſtatus optimatum.*

32 Rationum exempla *Exempla librorum accepti & expenſi.*

33 Quod in quibuſdam Rebuſpub. latenter efficitur. *Duobus potiſſimum modis hoc fieri poſſe videtur: Vno, ſi magna tributa diuitibus imponantur ad pauperrimos alendos, ad publicóſue ſumptus, vt pauperes ſint immunes: Altero, ſi diuites ipſi ſua ſponte magnas populariũ familias alant, vt proceres in Hiſpania, tum factionum gratia, tum per liberalitatem vel ambitionem conſueuerunt: hac enim ratione fructus vectigaliaq; locupletum la-*

tenter inter populares diuiduntur.

34 Quin ſatius eſt eos prohibere, ſi mûnera populo dare velint. βέλτιον δὲ καὶ βυλομένυς κωλύειν λειτυργεῖν. *Sic enim ſcriptum eſt in codicibus emendatis.*

35 Quàm ſi quis ipſorum. *Pauperum, vt contumelia à diuite illata pauperi grauius vindicetur, quam ſi ab altero paupere inferretur.*

36 Non donatione, ſed iure cognationis. *Ne liceat patri filios exhæredare: & cui velit, patrimonium relinquere, vt licet in Aragonia.*

37 Qui de Repub ſunt. *Id eſt ex eorum numero, in quorum poteſtate Reſpublica eſt, vt ſolis paucis in paucorum potentia, optimatibus in ipſorum ſtatu, popularibus in populari magiſtratus mandentur, vel ſi cum alijs gerant, ſint ipſi numero plures.*

CAPVT IX.

1. 1 SED tria quædam adeſſe ijs oportet, qui ſummis magiſtrati-
2. bus præeſſe debent. primum 2 præſentis ſtatus Reipublicæ charitas,
3. deinde 3 maxima facultas ad munera magiſtratus obeũda, tum vir-
4. tus & iuſtitia in Republica, 4 cuiuſque Reipublicæ rationi accommodata. Nam ſi ius non idem eſt in omnibus Rebuſpublicis, neceſſe eſt vt iuſtitiæ diſcrimina ſint. Sed cum hæc non omnia in eodem reperiuntur, qua ratione ſit electio facienda quæritur: exempli gratia, ſi quis facultate præditus ſit ducendi exercitum, improbus tamen habeatur, nec amicus Reip. alter iuſtus ſit, & Reip. ſtudioſus, quomodo ſit facienda delectio. Duorum tamen ratio
5. habenda eſſe videtur, 5 cuius rei magis ſint omnes compotes, & cuius minus. Itaque in imperatore deligendo, rei militaris peritia magis, quàm virtus ſpectari debet, nam minus rei militaris, magis autem probitatis compotes ſunt. Ad cuſtodiam verò & quæſturam contraria debent ſpectari, hoc enim munus virtutem vulgari
6. maiorem deſiderat, 6 ſcientia verò omnib. eſt communis. Sed quærat aliquis, ſi facultas adeſt muneris obeundi, & ſtudium Reipublicæ, quid opus eſt virtute, cum hæc duo ad commodè Rempublicam adminiſtrandam ſint ſatis? an idcirco virtus etiam deſideratur, quoniam fieri poteſt, vt qui duobus his præditi ſint, tamen in-
7 continentes habeantur? Ergo quemadmodum incontinentes, 7 cum ſciant, & ſeipſos ament, non tamen ſibi obtemperant, ſic accidere quibuſdam in Rempublicam poteſt. Cæterum vniuerſè quæcunque

cunque legibus ſancita Rebuſpub. commoda eſſe dicimus, his omnibus Reſpublicæ conſeruantur. Sed caput eſt, quemdamodum ſæpe diximus, vt quo multitudo quæ præſenti ſtatu Reipublicæ cõtenta eſt, potentior quàm diuerſa ſit prouideatur. Sed prҿter hҿc omnia, illud intelligere oportet, cuius nunc ignoratione Reſpublicæ quæ à medio diſceſſere tenentur. Nam multa ſunt quæ cum popularia eſſe videantur, tamẽ Reſpublicas populares labefactant: & paucorum potentias, multa quæ huic generi accommodata eſſe videntur, euertunt. Qui verò 8 hanc vnam virtutem eſſe putant, hi ad ex 8.
ceſſum trahunt, magno ſcilicet errore. vt enim naſus qui à pulcherrima rectitudine in aduncum aut ſimum deflexit, adhuc tamen honeſtus eſt, & viſu non iniucundus, ſi quis autem immodicè producat, primum 9 mediocritatem partis ſuſtulerit, ad extremum vt 9.
ne naſus quidem eſſe videatur, 10 propter exceſſum & defectũ con- 10.
trariorum, effecerit, quæ ratio eadem eſt cæterarum partium: ſic in Rebuſpublicis omnibus accidit. Nam fieri poteſt vt tum paucorum potentia, tum ſtatus popularis commodè ſeſe habeant, quanuis ab optima Reipublicæ forma diſceſſerint, ſi quis tamen alterutram magis intenderit, primum deteriorem Rempublicam reddet, poſtremo vt nec Reſpublica quidem ſi efficiet. Itaque legumlatori ac homini ciuili cognitum eſſe debet, cuiuſmodi res populares ſtatum popularem tueantur, & quales interimant: eodemque modo paucorum potentiam, quæ pertinent ad paucorum dominatum: quorum neuter ſtatus eſſe & conſeruari abſque diuitibus & multitudine poteſt. Nam ſi bonorum æquatio fiat, eam Rempublicam diuerſam eſſe neceſſe eſt. 11 Ergo qui euertunt legibus mo- 11.
dum excedentibus, ij Reſpublicas euertunt. Sed tum in ſtatibus popularibus, tum in paucorum potentijs peccatur: in popularibus quidem adminiſtrationibus, vbi leges arbitrio populi temperantur: ductores populares peccant, qui cum diuitibus contendentes, & quaſi bellum gerentes, ex vna 12 duas ciuitates faciunt, cum 12.
oppoſitum facere conueniat, vt ſemper pro diuitibus dicere videantur, & viciſſim pro populo: in paucorum potentia, qui ſtudent paucorum dominatui, & vbique 13 iureiurando contra quàm 13.
nunc fit, paucorum potentiæ ſtudioſi profiteantur. Nunc enim in quibuſdam paucorum potentijs hæc eſt iuriſiurandi formula, Inimicus ero plebi, & in eam quicquid mali potero moliar, cum oppoſitum oſtentare atque ſimulare conueniat, ac iureiurando-

nullam ſe in plebem iniuriam illaturos profiteri. Sed ex omnibus quæ diximus, maxima prouiſio ad Rempub. conſeruandam eſt in
14. eo, quod nunc ab omnibus negligitur, 14 vt educatio Reipub. conſentanea fiat. Nam vtiliſſimæ leges & omnium Rempublicam adminiſtrantium conſenſu ſancita decreta nihil proſunt, niſi homines in Republica populariter ſi leges ſunt populares, aſſueſcant & inſtituantur: vel conuenienter paucorum potentiæ, ſi huic leges
15. accommodantur. 15 Nam ſi eſt in vno incontinentia, eſt etiam in ci-
16. uitate. Educari autem ſiue inſtitui conuenienter Reipub. 16 non eſt hoc, vt ea faciant quibus qui paucorum tenent imperium, vel populares delectantur, ſed quibus alteri cum paucis, alteri populariter Rempublicam adminiſtrare valeant. Nunc autem in paucorũ dominatib. eorum, qui tenent imperium filij delitioſè ac molliter degunt, egenorum verò exercitati ſunt, & laboribus durati. Itaq; magis & volunt, & res nouas moliri poſſunt. In popularibus verò Rebuſpub. quæ maximè videntur eſſe populares, inſtituta ſunt Rei-
17. publicæ commodis, & rationibus inimica, cuius cauſa eſt 17 parua libertatis definitio. Duobus enim Reſpublica popularis definiri videtur, tum eo quod ſumma poteſtas penes maiorem partem ſit, tũ libertate, quoniam ius ęquum eſſe videtur: ęquum autem, vt ratum ſit quicquid multitudini placuerit: libertas autem & ęquitas, vt faciat quiſque quod velit. Itaque in huiuſmodi ſtatibus popularibus vnuſquiſque viuit vt vult, & ſuæ libidini (vt Euripides ait) indulget,
18. quod vitioſum eſt. Nam 18 viuere conuenienter Reipublicæ, non ſeruitus, ſed ſalus eſſe putari debet. Hæc igitur ſunt quibus, vt ſimpliciter loquar, Reſpublicæ mutantur & pereunt, & quibus conſeruantur, & incolumes perſeuerant.

Scholia in Caput IX.

1 SED tria quædam adeſſe ijs oportet, qui ſummis magiſtratibus præeſſe debent. *Quoniam ad Reipub cõſeruationem magni intereſt, idoneis hominib. magiſtratus ſummos mandari: idcirco quibus rebus inſtructus eſſe debeat is cui rectè ſummus magiſtratus cõmittitur declarat, quas tres eſſe docet.* Primũm, *vt ſit amicus Reipub.* Secundo *vt facultatem, ingenium, & vſum ad rem gerendam habeat.* Tertio, *vt ſit ea virtute & iuſtitia præditus, quæ illi Reip. generi conuenit. Quæ res ſi non omnes in eodem homine congruant, ea plus ponderis habere debet in electione, quæ rarior in hominibus reperi-*

reperitur. Sed nihil eſt quod magis Remp. conſeruet, quàm ſi ea pars quæ ſtatum præſentem Reip probat, quàm quæ non eſt eo contenta, potentior ſit. Cauendum eſt etiam ne modus in his rebus excedatur quæ Rempub. popularem faciunt, aut paucorum, & alias eodem modo: nedum nimis, exempli gratia, popularis efficitur, deſinat eſſe popularis aut paucorum potentia, ſi hæc nimis talis efficiatur. Sed ea ratio maximè ad Reipub. conſeruationem facit, ſi prouideatur vt ciuium inſtitutio & educatio ſit Reipub. accommodata, ne vita & moribus, à legibus & inſtitutis diſcedatur.

2 Præſentis ſtatus Reipub. charitas. *Vt magnopere velit præſentem ſtatum Reip. conſeruari.*

3 Maxima facultas. *Vt ſit ingenio & vſu ad eius magiſtratus officia obeunda maximè idoneus & inſtructus.*

4 Cuiuſque Reipub. rationi accommodata. *Non enim eadem eſt boni ciuis virtus, eademue iuſtitia in omni Repub ſed varia pro diuerſitate Rerũpub. quanquam in optimo ſtatu Reipub. eadem eſt virtus boni ciuis, quæ boni viri. ita ſit vt quod virtus & iuſtitia eſt in Repub. deprauata, vt in tyrannide vel paucorum potentia, id in optima Repub. & ſimpliciter, improbum & iniuſtum habeatur. Nam iuſtus & bonus ciuis habetur in quaque Repub. qui eius Reipub. leges obſeruat. Leges autem deprauatæ Reipub. conuenientes, deprauatæ ſunt & ſimpliciter iniuſtæ.*

5 Cuius rei ſint omnes magis compotes. *Ex ijs rebus quæ ſpectari debent in deligendo viro, qui cæteris debeat ad magiſtratum mandandum præferri; quæ res in hominibus rarior ſit, & quæ frequentius adſit conſiderari debet, & ea plus habere ponderis, quæ rarius in hominibus reperitur. Itaque in deligendo imperatore ſiue duce exercitus, is qui naturalibus adiumentis & vſu rei militaris præſtat, quia hoc rarius eſt, probo & iuſto viro præferri debet. Ad quæſtuarm verò egregiè probus & iuſtus, habenti ad id munus obeundum facultatem, hoc eſt ingenium, & vſum, præferendus eſt. Hæc enim facultas pluribus contingit, quàm egregia probitas & iuſtitia ſingularis, quæ in quæſtore deſideratur.*

6 Scientia verò omnibus eſt communis. *Cognitio eorum quæ agenda ſunt, tum habenti vſum & adiumenta naturalia, tum probo & iuſto adeſſe debet. aliud eſt enim experientia & vſus, aliud ſcientia: hæc enim vniuerſalior eſt, vt ipſe docet Metaphy. 1.*

7 Cum ſciant & ſeipſos ament. *Incontinens, vt Ariſtoteles cum alijs locis, tum ſeptimo Ethicorum docet hoc differt ab intemperato, licet vterque propriè ingulæ & veneris voluptatibus verſetur, quòd intemperatus habitum vitioſum iam ingeneratum habet, & rationem deprauatam cum appetitu con-*

titu conſentientem, & iucunda honeſtis per ignorantiam quandam, in qua omnes vitioſi verſantur præferentem. Hac autem eſt ignorantia in electione, quæ, vt ipſe ait, tertio Ethicorum, non inuoluntarij, ſed prauitatis eſt cauſa. Incontinens autem nec vitioſum habitum, nec rationem deprauatam habet, nec in vitioſorum ignorantia verſatur, ſed rectè iudicat, & quæ bona ſint, & expetenda nouit, & quæ viciſſim mala & fugienda, ſed infirmitate & inconſtantia labitur, nec paret ſuo iudicio: quanquam hanc ipſam infirmitatem & perturbationem philoſophus ignorantiam quandam eſſe interpretatur, vt omnino verum ſit commune dogma philoſophorum, omnes malos ignorare quæ oporteat facere *Ethic. iij. Quemadmodum igitur incontinentes expetenda & fugienda ſciunt, & ſeipſos amore naturali diligunt, tamen nec ſtant iudicio ſuo, & contra quàm ipſis conuenit agunt: ſic accidere in eos poſſet, qui facultatem ad Rempub gerendam haberent, & eſſent præſentis ſtatus ſtudioſi, niſi habitum virtutis quo ab incommodis Reipub. auocarentur haberent.*

8 Hanc vnam virtutem eſſe putant. *Vt Reſpub. exempli gratia popularis, ſit valde popularis.*

9 Mediocritatem partis. *Commenſum & proportionem quam naſus debet ad totum corpus, & cæteras partes habere. Nam partes hominis rectè à natura compoſiti certam commenſus proportionem habent ad totum corpus, vt pes, exempli gratia, ſit ſextæ partis altitudinis corporis, cubitus quartæ, facies verò à mento ad frontem ſummam, & radices imas capilorum decimæ, & cæteræ partes eodem modo, quam rationem, vt docet Vitruuius, pictores, & ſtatuarij ſolent in conficiendis imaginibus ſequi.*

10 Propter exceſſum & defectum contrariorum. *Contraria vocat rectum naſum, & curuum, aut ſimum. Itaque exceſſus referri debet ad naſum curuum, qui ſæpe magnitudine & longitudine excedit rectum: defectus verò ad ſimum, qui minor eſſe, & vix à facie extare ſolet.*

11 Ergo qui euertunt legibus modum excedentibus, ij Reſp. euertunt. τοῖς καθ' ὑπεροχὴν νόμοις φθείρουσι. *Sic legitur in exemplaribus emendatis. Qui euertunt, inquit, ſiue tollunt diuites, aut populum legibus modum excedentibus, hi Rempub. euertunt, & tollunt popularem ſublatis diuitibus, paucorum potentiam ſublato populo.*

12 Duas ciuitates. *Vnam diuitum, alteram egenorum.*

13 Iureiurando *Quod accipitur ab ijs qui magiſtratibus præficiuntur.*

14 Vt fiat educatio. *Vt ciues inſtituantur, & ijs rebus quæ legibus & rationibus Reipub. ſunt accommodatæ, aſſueſcant.*

15 Nã ſi eſt in vno. *In eo ſcilicet, qui ſummo magiſtratui præeſt, vel in principe,*

cipe,vel in vno,id eſt in vnoquoque,ſiue in ſingulis ciuibus.

16 Non eſt hoc,vt ea faciant. *Hic locus apertè declarat verbum παιδεύεσθαι,quod interpres vertit,educari vel inſtitui, & quo ſæpe vtitur Ariſtoteles,non tam ad diſciplinam pertinere, quæ ex audiendo aut legendo ingeneratur, quàm ad aſſuefactionem operum, quæ ſolet latinè educatio nominari.*

17 Praua libertatis definitio. *Nam perperam liberum eſſe definiunt,cui facere licet quicquid vult:eſt enim addendum, præterquàm quod lege prohibetur.nam hoc eſt quod ait.*

18 Viuere conuenienter Reip *Leges Reip.non violare.*

CAPVT X.

1 SVPEREST vt de vnius imperio diſſeramus,quæ res 1
ad ipſius interitum,& quæ ſint ad ſalutem accommodatæ. Veruntamen
quæ in regna & tyrannides accidunt, ſimilia ſunt ijs quæ
in Reſpublicas accidere memorauim⁹.2 Nam regnum optimatum 2.
Rempublicam æmulatur. Tyrannis autem ex 3 extremo pauco 3.
rum dominatu,& ſtatu populari conſiſtit:itaque ſubiectis maximè
omnium eſt pernitioſa, quippe cum ſit ex duobus malis Rebuſpublicis
conſtituta,habeatque vtriuſque aberrationes & peccata. Cæterum
4 vtraque monarchia ab ipſo ſtatim initio ex rebus contrarijs 4.
nata eſt. Nam regnum in præſidium proborum hominum
contra iniurias popularium eſt conſtitutum: & rex ipſe ex numero
proborum virorum creatus eſt propterea,quòd virtute aut rerum
virtute geſtarum magnitudine præſtaret, aut propter 5 talis 5.
generis excellentiam. Tyrannus autem ex populo & multitudine
aduerſus nobilitatem, vt populum iniurijs eorum prohiberet,
quemadmodum res ipſa declarat. Nam tyranni plerique ex ducibus
popularibus facti ſunt, qui nobiles calumniando, vt ſibi à populo
fides haberetur,ſunt aſſecuti. Quædam igitur tyrannides ad
hunc modum 6 auctis iam ciuitatibus extiterunt. 7 Aliæ ante has 6.7.
ex regibus, qui moribus inſtitutiſque maiorum violatis, imperia
magis herilia concupierunt. Aliæ ex his quibus mandati fuerant
ſummi magiſtratus. Antiquitus enim populi munera publica &
Reipub.conſulendi curam diuturniores conſtituebant. quędam ex
paucorũ potentijs, cum vnum aliquem cuius arbitrio imperia maxima
cõmitterent delegiſſent. Nã his omnibus modis tyrannidem
inua-

inuadendi,ſi modo velint,facultas adeſt, propterea quòd iam po-
8. tentiam habent alij principatus regij,alij magiſtratus,8 vt Phidoni
inter Argiuos accidit,& alijs qui regnum quod prius erat in tyran-
nidem conuertunt.Qui verò ad Ioniam tyranni facti ſunt, & Pha-
9. laris ex magiſtratu tyrannidem inuaſerunt. 9 Panætius autem in-
10. ter Leótinos,Cypſelus Corinthi,Piſiſtratus Athenis,10 Dionyſius
Syracuſis. Et alij eodem modo ex ducibus & aſſentatoribus popu-
laribus facti ſunt tyranni. Regnum igitur,vt ſuprà diximus, opti-
matum ordinem imitatur. Nam regnum propriæ virtutis, aut ge-
neris,vel beneficiorum, aut honorum ſimul atque potentiæ meri-
tis tribuitur.Omnes enim hunc honorem ſunt adepti,quòd ciuita-
tes beneficijs vel demeruiſſent, vel demerendi facultatem habe-
11. rent: quidam bello ne in ſeruitutem redigerentur,prohibentes, 11
12. vt Codrus:alij in libertatem vendicantes, 12 vt Cyrus:alij quòd vr-
bis fuiſſent conditores, vel agros ſeu fines in ditionem redegiſſent,
13. vt Lacedæmoniorum & Macedonum, 13 Moloſſorumque reges.
Pertinet autem ad regis officium cautum ac prouidentem eſſe, vt
14. 14 nec diuites iniuria,nec populares contumelia afficiantur. Tyrā-
15. nis,vt ſæpe dictum eſt,nullam habet boni publici rationem,15 præ-
16. terquam compendij ſui gratia. Eſt autem 16 tyrannicum propoſi-
tum voluptas,regium autem honeſtas. Itaque velle pecunijs excel-
17.18. lere,tyrannicum eſt,17 honoribus verò,magis regium, Item 18 cu-
ſtodia regis,ciuilis eſt:tyranni,ex externis conſtat.Tyrannidi por-
rò tum ſtatus popularis, tum paucorum potentiæ mala ineſſe per-
ſpicuum eſt.Ex paucorum potentia tyrannis habet,quod ſibi diui-
19. tias tanquam finem proponit: 19 aliter enim præſidium manere
20. nequit,20 nec lautitia,& quod ſuſpectam multitudinem habet,quę
cauſa eſt arma popularibus auferendi. Itemque afficere plebem in-
21. commodis,atque 21 vrbis munitiore loco ſummouere, & ſeorſum
habitare cogere, commune eſt paucorum potentiæ atque tyranni-
22. dis Ex populari verò habet,22 bellum gerere cum nobilibus,eoſq́;
23. tum latenter, tum palam interimere, & in exilium mittere 23 tan-
quam artis æmulos,& dominatum impedientes. Ab his enim inſi-
diæ parari ſolent,dum quidam eorum imperare volunt,alij ſeruire
24. recuſant Vnde conſilium natum eſt, 24 quod Periander Thraſy-
bulo dedit,vt ſpicas eminentes mutilaret, tanquam ſemper opor-
teat præſtantiores ciues de medio tollere. Eadem igitur eſſe princi-
pia ferè putare conuenit, vt ſuprà memorauimus, in Rebuſpub.&
in mo-

in monarchijs mutationum. Nam iniuria, timor, & contemptus
magna ex parte ſubiectos ad conſpirandum in monarchias com-
pellunt, ſed ex iniurijs maximè contumelia, interdum tamē ſi quis
fuerit fortunis ſpoliatus. 25 Sunt autem hi fines 26 vt illic, ſic etiam 25. 26.
in tyrannide & regno. Nam qui ſoli tenent imperium, hi plurimū
habent, tum diuitiarum, tum etiam honorum, quæ res ab omnibus
expetuntur. Conſpirationes autem 27 quędam in caput principum, 27.
quædam in principatum fiunt. Quæ igitur à contumelia proficiſ-
cuntur, hæ in caput fiunt Sed cum multiplex ſit contumelia, quæ-
libet eſt iræ, ſeu indignationis cauſa. Porrò irati magna ex parte 28 28.
non præſtantiæ, ſed vltionis gratia in malum alterius incitantur.
Nam 29 cōſpiratio quæ facta eſt in Piſiſtratidas, inde orta eſt, quòd 29.
Harmodij ſororem contumelia affecerant, ipſum verò Harmodi-
um offenderant. Itaque Harmodium ſororis contumelia, Ariſto-
gitonem verò Harmodij iniuria ad facinus impulerunt. Inſidiæ
quæ in Periandrum Ambratiæ tyrannum inſtructæ ſunt, hinc or-
tum habuerunt, quòd adoleſcentem cuius conſuetudine turpiter
abutebatur, num iam 30 vterum ex ipſo ferret, in conuiuio inter- 30.
rogauit. 31 Philippum Pauſanias idcirco peremit, quòd contume- 31.
liam quam ipſe acceperat ab Attalo, negligeret. Derdas 32 Amyntæ 32.
paruo propterea inſidiatus eſt, quòd in ipſius ætatem gloriabatur:
33 Euagoras Cyprius Eunucho. 34 Nam filium eius quòd vxorem 33. 34.
repudiaſſet, quaſi accepta contumelia peremit. Et multæ conſpira-
tiones & inuaſiones in monarchas propter pudendas contumelias
in corpus illatas factæ ſunt, vt Cratæi 35 in Archelaum. Semper e- 35.
nim moleſtus erat ad conſuetudinem ſolicitando. Itaque vel mi-
nor prætextus ſatis erat: vel quòd nullam ex filiabus, vt erat polli-
citus, ipſi dediſſet, qui bello quod cum Sirrha & Arrhabæo gerebat
implicitus, maiorem natu dedit Elibeæ regi, minorem verò filio
Amyntæ, dum ſic fore putat, vt minus ille diſſentiat ab eo qui fue-
rat ex Cleopatra procreatus: principium tamē alienationis ex ama-
toria moleſtia natum eſt. 36 Simul etiam Hellanocrates Lariſſæus 36.
ob eandem cauſam conſpirauit. Nam cum abuſus eius ætate ipſum
ab exilio, quemadmodum fuerat pollicitus, non reuocaret, conſue-
tudinem non ab amatoria cupiditate, ſed à voluntate inferendi cō
tumeliam profectam fuiſſe putauit. Paro & Heraclida 37 Aenien 37.
ſes patris iniurias perſequentes Cotyn necauerunt, à quo defecerat
Adamas velut accepta contumelia, quòd puer 38 ab eo fuiſſet exe 38.

ctus. Multi etiam quòd corpore plagas accepiſſent, irati, quaſi accepta contumelia principes ac reges occiderunt, aut occidere conati
39 ſunt, vt in Mitylene Megacles facta cum amicis conſpiratione, 39
40. Pentalidas qui circuentes virga obuios percutiebant, ſuſtulit. 40 Et
poſtea Smerdes quòd plagis fuiſſet affectus, abſtractuſque ab vxore Penthilum interfecit. Conſpirationis autem in Archelaum factæ Decamnichus dux & auctor fuit, qui primus cæteros conſpirantes concitauit, iratus quòd Euripidi poetæ traditus ab eo fuiſſet verberandus. Euripides àutem indignatus erat, quòd illi neſcio quid de ore ipſius grauiter olente dixiſſet, & alijs multis propter ſimilem cauſam, vel mors illata eſt, vel inſidiæ inſtructæ. Eodem
41. modo fit propter timorem : 41 hæc enim erat ex cauſis vna, vt in
Rebuſpub. ſic etiam in monarchijs, vt Artapanes Xerxem inuaſit calumniam Dedario timens, quem iniuſſu Xerxis ſuſpenderat, putans tamen ſe impune laturum, eo dante veniam velut immemo-
42. rem 42 propter cœnam. Quædam conſpirationes ex contemptio-
43. ne oriuntur, 43 vt in Sardanapalum, cum quidam inter mulieres
nentem conſpexiſſet, ſi verè hoc eſt à fabulantibus traditum, ſin a-
44. liter, in alio tamen verè poteſt accidere. Et 44 Dion propter con-
45. temptum, Dionyſium poſteriorem inuaſit, cū 45 ciues ſic affectos,
& ipſum ſemper eſſe temulentum videret. Et amicorum quidam propter contemptum monarchas adoriuntur : nam cum ipſis fides habeatur, tanquam improuiſi facinus patrare valeant, cōtemnunt. Ii quoque contemptione quodammodo inferri videntur, qui ſibi imperium occupandi facultatem adeſſe putāt: quaſi enim rem perficere valeant, periculum contemnentes propter potentiam ſine timore aggrediuntur, vt faciunt belli duces in monarchas, quemadmodum Cyrus in Aſtyagem, dum eius tum vitam, tum exercitum
46. contemnit. Nam milites otium & vecordia corruperat, ipſe vitam
delitioſè tranſigebat. Et 46 Seuthes Thrax cum exercitum duceret, Amadocum eſt adortus, in quod facinus quidam harum rerum pluribus impelluntur, exempli gratia, contemptione & quæſtu: vt
47. 47 Mithridates in Ariobarzanem. Sed maximè ob hanc cauſam ad-
oriuntur ij, qui cum ſint audaces natura, honore bellico apud principes funguntur: nam fortitudo quę potentiam habeat, audacia eſt. Propter quas ambas velut exploratam victoriam habentes, inferūtur. Eorum verò quos ambitio vt tyrannos adoriantur impellit, alius eſt cauſæ modus ab ijs quos ſuprà diximus diuerſus. Non e-

nim

nim vt quidam in tyrannos quæſtus & magnos ipſorum honores
ſpectantes inferuntur, ſic eorum quiſque, quos ambitio ad inua-
dendum impellit, periculum ſubire animum inducit: ſed illi pro-
pter memoratam cauſam, hi 48 tanquam aliud ingens facinus pa- 48.
tretur, quo nobilitentur, fiantq́; apud cæteros illuſtres. Itaque mo-
narchas non vt ſibi vendicent monarchiam inuadunt, ſed vt fa-
mam & gloriam indipiſcantur. Veruntamen perpauci numero
ſunt, quos ea cauſa ad patrandum facinus inducit. Hos enim ſic a-
nimatos eſſe oportet, vt niſi facinus patrauerint, vitam ſibi acer-
bam eſſe putent, 49 quorum comes eſſe debet Dionis opinio, quæ 49.
non facilè multis ingeneratur. Nam ille cum paucis militibus Dio-
nyſium eſt adortus, ſic ſe animatum eſſe profeſſus, vt quocunque
procedere daretur, ſatis eſſet habiturus cogitato facinore fungi,
hoc eſt præclaram eam mortem non recuſaturus, vel ſi ſtatim ſibi
mori accideret, modo vel ad breue tempus facinori ſupereſſe con-
tigiſſet. Tyrannis autem vno modo deletur, quemadmodum alia
quæq; Reſpublica extrinſecus, ſi qua contraria Reſpub. 50 potenti- 50.
or ſit. nam velle dubium nõ eſt, propt[illegible]ſtituti diuerſitatem, quæ
verò volunt, hæc omnes, ſi facultas adſit, faciunt. Sunt autem tyran-
nidi cõtrariæ Reſpublicæ 51 populus quidem, *vt figulus figulo*, quem- 51.
admodum ait Heſiodus, nam vltimus ſtatus popularis tyrannis eſt:
regnum verò & ſtatus optimatum, propter Reipub. contrarietatẽ.
Quare Lacedæmonij multas tyrannides ſuſtulerunt, & item Syra-
cuſani, quo tempore rectum Reipub ſtatum obtinebant. Alio mo-
do à ſe tyrannis deletur 52 per ſociorum ſeditionẽ, 53 vt Gelonis, & 52. 53.
nuper Dionyſij: Gelonis, auctore Thraſybulo Hieronis fratre, qui
Gelonis filium blanditijs & voluptatibus in facinus compulit, vt i-
pſe imperaret: conſpirantibus autem domeſticis ac neceſſarijs ne ty-
rãnis omnino deleretur, ſed tolleretur de medio Thraſybulus, ijdẽ
conſpirantes occaſionem nacti eos omnes exegerunt. Dionyſium
autem Dion eius affinis coacta militum manu, adiunctiſque popu-
laribus tyrannide deiecit, & ipſe interfectus eſt. Sed cum duæ cau-
ſæ ſint, quibus potiſſimum in tyrannides conſpiratur, odium & cõ-
temptus, horum alterum, odium dico, tyrannis adeſſe neceſſe eſt:
tamen ex contemptu, tyrannides magna ex parte diſſoluuntur. Ar-
gumento, quod qui occuparunt imperia, eorum 54 plerique eadem 54.
retinuerunt: qui verò tradita ab alijs accepere, hi ſtatim ferè omnes
amiſerunt. Nã cum ſe voluptatib. dedant, facilè in contemptionem

ueniunt, & multas ſe opprimendi occaſiones conantibus præbent. Cæterum iram, partem eſſe odij ſtatuendum eſt, nam quodammodo actionum earundem cauſa fit. Eſtque interdum odio ad agendum accommodatior, quoniam irati maiore impetu ac vehementius inferuntur, propterea quòd animi perturbatio non vtitur ratiocinatione, ſed iræ homines ob contumeliam potiſſimum indulgere ſolent. Qua ex cauſa Piſiſtratidarum tyrannis, & aliorum mul-
55. tæ ſublatæ ſunt. Odium tamen magis eſt in cauſa: 55 nam ira cum dolore adeſt, quare vti ratione iratis non facilè datur, odium ſine dolore. Ad ſummam, quot cauſas eſſe diximus euertendi meram & extremam paucorum potentiam, & vltimum ſtatum popularem, totidem tyrannidis delendæ cauſas eſſe putare conuenit, quoniam
56. 56 formæ illæ Reipub. tyrannides diuiduæ ſunt. Regnum à cauſis externis omnium minimè deletur, quare diutius conſeruatur. Sed plurimæ pernicies intrinſecus exiſtunt, idque duobus modis. Vno
57. 57 per regni ſociorum ſeditionem: Altero ſi reges tyrannicè magis imperare conantur, cum plura ſuo arbitratu ac præter leges gerere volunt. Cæterum iam noſtris temporibus regna non conſtituuntur, ſed ſi quæ monarchiæ fiunt, tyrannides potius exiſtunt, propterea quòd cum regnum ſit imperium voluntarium, & rex maiorum
58. rerum ſummam habeat poteſtatem, 58 multi ſunt ei ſimiles, nec
59. tanto opere quiſquam excellit, 59 vt imperij magnitudinem ac dignitatem exæquet. Itaque ob hanc cauſam regnum ſua voluntate non ferunt. Quod ſi quis per fraudem aut vim occupauerit, iam
60. 61. hoc 60 tyrannis eſſe videtur. Regnorum autem 61 quæ ex genere tribuuntur interitus, cauſam præter ſupradictas ſtatuere oportet, quod multi ſuccedunt tales, vt facile contemnantur, & quod non
62. tyrannicam potentiam, ſed 62 regium honorem obtinentes con-
63. tumeliam inferant: quoniam 63 facilè factu eſt regnum diſſoluere. Nam ſi non volentibus imperet, protinus deſinet eſſe regnum. Tyrannus autem etiam inuitis dominatur. Monarchiæ igitur propter has & ſimiles alias cauſas euertuntur.

Scholia in Caput X.

1 SVPEREST vt de vnius imperio diſſeramus. *Quibus rebus conſeruari Reſpub. ac viciſſim deleri, diximus. Quæ regnum & tyrannis imitantur, eadem regno tyrannidiq; ſalutares ſunt, aut pernicioſa. Regnum autem optima-*

optimatum Rempub. imitatur: Tyrannis verò paucorum ſimul potentiam & popularem, vt rationibus multiſq; exemplis declarat. Regi publica commoditas tanquam finis quo referat omnia: Tyranno voluptas eſt propoſita. Officium regis eſt prouidere, vt nec in locupletes iniuria cuiuſq; generis, nec in pauperes inferatur contumelia. Tyrannus autem nihil facit quod ad bonum publicum pertineat, præterquam vt ſuis commodis proſpiciat: habetq; omnia tum paucorum potentiæ, tum Reipub. popularis vitia, quæ nominatim explicantur. Tria ſunt quæ potiſſimum ſubiectos ad conſpirandum in monarchas impellunt, iniuria, timor, & contemptus. Sed cū conſpiratio vel in caput principis, vel in ipſum principatum fiat. Quæ ex iniurijs à contumelia proficiſcitur, ea capitalis eſſe ſolet, quanquam ambitio quoſdam, ſed alia ratione ad tyrannum tollendum impellit, vt magnam ſcilicet gloriam conſequantur. Sed duo ſunt quæ potiſſimum homines vt in tyrannos conſpirent impellunt, odium cuius pars eſt ira & contemptio. Regnum ex cauſis extrinſecus illatis raro deletur. Itaque plurimi ipſius interitus à domeſtico malo duorum modorum altero proficiſcuntur, vel conſpirantibus regis amicis, & quorum opera vtitur in adminiſtranda Repub. vel ipſo principe leges contemnente, & tyrānicum imperium regio præferente. Cæterum regna hæreditaria interdum per contemptum eorum euertuntur, qui regno impares indignique ſuccedunt.

2 Nam regnum optimatum Rempub. æmulatur. *Regnum ſimile eſt optimatum Reip. Nam vt in hac prima ratio virtutis habetur, & optimis quibuſque viris magiſtratus mandantur, ſic regnum optimo cuique defertur, & vtriſque publica commoditas propoſita eſt.*

3 Extremo paucorū dominatu. *Quæ dynaſtia dicitur, vbi pauci contemptis legibus cuncta ſua libidine gerunt, commodis ſuis duntaxat ſeruientes.*

4 Vtraque monarchia. *Regnum & tyrannis: eſt enim monarchia vnius imperium, ſiue in vnam ciuitatem, ſiue in plures habeatur.*

5 Talis generis. *Familia, virtute aut gloria rerum geſtarum præſtantis.*

6 Auctis iam ciuitatibus. *Quæ initio rerum erant paruæ.*

7 Aliæ ante has *Priſcis temporibus, cum regibus ferè mortales parerent.*

8 Vt Phidoni inter Argiuos accidit. *In Argo vrbe Peloponneſi, vbi cum ſummo magiſtratui Phidon præeſſet, eius occaſione tyrannidem occupauit. Qua ratione quoſdam ad Ioniam in Aſia, & Phalarim apud Agrigentinos in Sicilia tyrannidem inuaſiſſe ait.*

9 Panætius inter Leontinos. *Ciuitatem Siciliæ.*

10 Dionyſius Syracuſis. *Dionyſius ſuperior: nam poſterior patri in tyrannide*

ni de Syracuſanorum Siciliæ ciuitatis ſucceßit.
11 Vt Codrus. *Vltimus rex Athenienſium, de quo Trogus lib. ij.*
12 Vt Cyrus. *Qui Aſtyage auo rege Medorum, quibus Perſæ parebant deuicto, imperium Medorum ad Perſas, vnde genus paternum ducebat tranſtulit, & ſic hos in libertatem vindicauit.*
13 Moloſſorum. *Hi populi ſunt Epyri.*
14 Nec diuites iniuria, nec populares contumelia afficiantur. *Iniuria latißimè patet, nam quicquid in aliquem fit contra ius, iniuria dicitur. Contumelia verò ſpecies eſt iniuriæ, quæ pertinet ad dedecus, & indignitatem.*
15 Præterquam compendij ſui gratia. εἰ μὴ ἰδίας ὠφελείας χάριν *ſic enim ſcribendum eſt. Imperium tyrannicum ſimile eſt ei, quod dominus exercet in ſeruos, vt declaratum eſt: dominus autem omnia ad ſuam vtilitatem refert. cuius cauſa ſeruorum ſaluti, & neceſſarijs commodis proſpicit, ne pereuntibus ſeruis, imperium ipſius & dominatus pereat. Sic tyrannus interdum bono publico conſulit, cum id in ipſius commoditatem recidit.*
16 Tyrannicum propoſitum. *Finis quo refert imperium.*
17 Honoribus verò. *Fama & gloria.*
18 Cuſtodia regis, ciuilis eſt. *Ex ciuibus conſtat: ciues enim regem ſuum cuſtodiunt, tyrannum milites mercenarij externi.*
19 Aliter enim præſidium manere nequit. *Sine pecunijs cuſtodes milites alere non poteſt, quibus ſummotis in magno periculo verſatur.*
20 Nec lautitia. οὐδὲ τρυφὴν *ſic enim ſcribendum eſt, non* τροφὴν, *ex emendatis exemplaribus.*
21 Vrbis munitiore loco ſummouere. ἐκ τοῦ ἄστεως ἀπελαύνειν. *Vrbem Græci plerunque* πόλιν, *interdum* ἄστυ *nominant. Sed Athenienſes cum ipſorum vrbe Piræus etiam contineretur, vt Roma tranſtyberina regio, tamen* ἄστεως *nomine munitiorem, editioremq́; vrbis partem, vel ſolum, vel potißimum vocabant. Vnde factum eſt, vt cuiuſq; vrbis pars editior & munitior* ἄστυ *nominetur, vt hoc in loco ab Ariſtotele. Sed & ipſum nomen* ἄστυ, παρὰ τὸ ἄνω ἵστασθαι, *deduci Græci interpretãtur. Eſt igitur ſenſus: tyranni populares ab vrbe ſummouent, id eſt ab vrbis editiore, & munitiore loco, quo ipſi cum externo præſidio continentur. vt hunc locum, nec adeat popularis multitudo, niſi ſi quis vocatus fuerit, nec incolat, ſed vicos ſuburbanos inhabitet, vel vrbis demiſſa & infirma loca.*
22 Bellum gerere. *Inimicitias & ſimultatem exercere.*
23 Tanquam artis æmulos. *Tanquam inuidos imperij, quo ipſi quoque fungi vellent:* vt figulus figulo inuidet, & faber fabro, *vt ait Heſiodus.*
24 Quod

4 Quod Periander dedit Thraſybulo. *Periander tyrannus Corinthi, filius Cypſelli, Thraſybulus tyrannus Mileti. Hanc hiſtoriam Herodotus in Terpſichore refert, ſed conſilium à Thraſybulo datum eſſe Periandro tradit, contra quàm Ariſtoteles, ſed nihil ad exemplum intereſt, de quo ſuprà meminit etiam Ariſtoteles, & nos latius explicuimus.*

25 Sunt autem hi fines. *Diuitiæ & honores.*

26 Vt illic. *In Rebuſ.*

27 Quædam fiunt in caput. *Vt tyrannum interficiant.*

28 Non præſtantiæ. *Non vt alteri honore præferatur, ſed vt acceptam contumeliam vlciſcatur.*

29 Conſpiratio facta in Piſiſtradidas *Coniuratio Athenis in Dioclem, Hipparchum, & Hippiam filios Piſiſtrati facta: quorum Diocles per vim ſtuprata virgine Harmodij ſorore ab ipſo occiditur. Hippias cum imperium paternum teneret, Harmodium comprehendit, qui conſcios cædis nominare per tormenta iuſſus, omnes amicos tyranni nominauit: quibus occiſis, quærenti Hippiæ num alij conſcij ſupereſſent, nemo ſupereſt reſpondit, quem amplius mori cupiam, quam tyrannum ipſum Huius virtute ciuitas libertatis admonita, Hippiam in exilium egit, vt refert Trogus, vel interfecit, vt Suidas: ſocius autem conſpirationis fuit Ariſtogiton, quibus Athenienſes ſtatuas cōſtituerūt, vt Plin. refert. Euſebius Hipparchū ab his interfectū fuiſſe tradit.*

30 Vterum ex ipſo ferret. *Ex ipſo prægnans eſſet.*

31 Philippum Pauſanias. *Pauſanias primis pubertatis annis, vt Trogus refert, ſtuprum per iniuriam paſſus ab Attalo fuerat. Cuius indignitati hæc etiam fœditas acceſſerat, quòd perductum in conuiuio ſolutumq́; mero Attalus, non ſuæ tantum, verumetiam conuiuarum libidine velut ſcortum vile ſubiecerat, ludibriumq́; omnium inter coæquales reddiderat. Hanc rem ægrè ferens Pauſanias, querelam Philippo ſæpe detulerat. Sed cum varijs fruſtrationibus non ſine riſu differretur, & honoratum inſuper ducatu aduerſarium cerneret, iram in ipſum Philippum vertit, vltionemq́; quam ab aduerſario non poterat, ab iniquo iudice exegit, ipſumq́; interfecit.*

32 Amyntæ paruo. *Paruus ſcilicet cognominabatur Amyntas hic rex Macedoniæ, qui ſe abuſum fuiſſe Derda puero iactabat.*

33 Euagoras Cyprius Eunucho. *Huius Euagoræ encomium ſcripſit Iſocrates, pulſumq́; ab eo tradit Cypro tyrannum, nec tamen nominat. Sed ex hoc Ariſtotelis loco Eunuchum eum fuiſſe ſuſpicor, non re, ſed nomine, auctore Suida, qui Eunuchum virum quendam fuiſſe, mollem animo, & effœminatum tradit.*

34 Nam quòd vxorē repudiaſſet, filiū eius interfecit. *Huius regis qui*

Eunuchus dicebatur, filius, vt videtur, vxorem repudiauit ſororem, aut filiam Euagoræ: qua contumelia concitatus Euagoras, ipſum occidit. hiſtoriam quære.

35 In Archelaum. *Regem Macedoniæ, cuius familiaris fuit Euripides poeta.*

36 Simul conſpirauit. *In Archelaum ob cauſam eiuſdem generis.*

37 Aenienſes. *Ab Aenia vrbe Theſſaliæ, cuius tyrannus erat Cotys.*

38 Ab eo fuiſſet exectus. *Caſtratus, vt ipſius ſcilicet ætate diutius abuteretur.*

39 Penthalidas. *Nobiliſſimam familiam quæ Mitylenæis imperitabat.*

40 Et poſtea Smerdes. *In eadem ſcilicet inſula & ciuitate.*

41 Hæc enim erat ex cauſis vna. *Hanc vnam cauſarum eſſe diximus.*

42 Propter cœnam. *Quod cœnatus & temulentus feciſſet.*

43 Vt in Sardanapalum. *Hic Aſſyriorum rex vltimus fuit, quem cum Artabactus Medorum præfectus inter mulieres purpuram nentem muliebri habitu vidiſſet, indignatus quòd viri fortes effœminato regi parerent, facta conſpiratione ei bellum intulit: victus autem Sardanapalus, & in regiam reuerſus, ſeſe, diuitiaſq; in pyram coniecit, hoc ſolo virum imitatus: in cuius locum ſuffectus Artabactus imperium ab Aſſyrijs in Medos tranſtulit, vt poſtea Cyrus ex Medis ad Perſas.*

44 Dion propter contemptum Dionyſium poſteriorem. *Dion Syracuſanus Platonis diſcipulus fuit, frater Ariſtomachæ vxoris huius Dionyſij, cui cum ſuſpectus eſſet Dion propter optimos mores & philoſophiam, quòd tyrannidi eſſet infeſtus, ipſiq; inſidiaretur, in Græciam relegatus ab eo eſt, vnde coacta manu Syracuſas reuerſus, capta vrbe Dionyſium in arcem primum confugere, deinde ex arce profugere coegit. Sed liberata ciuitate interemptus eſt inſidijs peſſimi hominis Callippi Athenienſis ſocij & amici ſui, vt Plato refert.*

45 Ciues ſic eſſe affectos. *Syracuſanos etiam contemnere Dionyſium.*

46 Seuthes Thrax Amadocum eſt adortus. *Dux exercitus regem, erat autem Amadocus rex Ordryſiorum gentis Thraciæ. horum contentionis Xenophon rerum græcarum iiij meminit.*

47 Mithridates Ariobarzanem. *Eum Mithridatem deſignare videtur, qui fugiens inſidias Antigoni regis Macedoniæ in Cappadociam confugit, ac vt ait Plutarchus, lata & vbere regione potius, auctor ſtirpiſq; fuit regnum qui ad Pontum imperium vſque ad octauam ſucceſſionem tenuere, cum fuerunt à Romanis deleti. Hic igitur Mitridates, vt videtur, cum Ariobarzane*

rege ſuis copijs fuiſſet præfectus, per contemptum & cupiditatem ipſum aggreſſus, vel interfecit, vel regno ſpoliauit. Mithridatis Lycaoniæ & Cappadociæ præſidis meminit Xenophon libro ſeptimo de Cyri expeditione, & item Seuthis qui Tracibus imperitabat.

48 Tanquam aliud ingens facinus patretur. *Quaſi rem faciant ingenti gloria dignam, & excellentis virtutis. nam* περιττὰ *ſolet Ariſtoteles nuncupare excellentia, & rebus neceſſarijs commodiſq; maiora.*

49 Quorum comes eſſe debet Dionis opinio. *Eum animum habere debent quem habuit Dion, vt niſi rem conficeret, viuere turpè putaret: re autem confecta mori, ſi fortuna ferret non eſſet recuſaturus.*

50 Potentior ſit. *Quæ prope ſcilicet ſit, aut quæ prope alat exercitum, vt ſuprà dixit.*

51 Populus quidem vt figulus figulo. *Populum vocat extremam & peſſimam formam ſtatus popularis, vbi non ex legibus, ſed arbitrio populi atq; decretis Reſp. geritur: quam formam tyrannidi ſimilem eſſe dixit. Itaque vt tyrannus tyranno, ſic populus inuidet, infeſtuſq; eſt tyranno, quemadmodum figulus figulo, & faber fabro, vt Heſiodus ait exordio operis, quod dies & opera inſcribitur, iamq; abijt in prouerbij locum.*

52 Per ſociorum ſeditionem. *Socij tyrannidis ſunt amici tyranni, quorum opera in adminiſtratione imperij vtitur.*

53 Vt Gelonis. *Tyrannus hic Syracuſanorum fuit, vt poſtea Dionyſius.*

54 Plerique imperia retinuerunt. *Magna pars eorum qui occuparunt imperia tyrannica, tyrannides ipſas retinuerunt.*

55 Nam ira cum dolore eſt. *Qui dolor non permittit vti ratione & conſilio, quo maximè opus eſt ad negotium conficiendum, ſed properare ad vltionem cogit, quæ huius doloris medicina eſt.*

56 Formæ illæ Reipub. tyrannides diuiduæ ſunt. *Extremus populus, & extrema paucorum potentia, tyrannides ſunt non vnius, ſed plurium ſimul. paucis, aut ipſo populo tyrannidem exercente.*

57 Per regni ſociorum ſeditionem. *Ducum & præfectorum, quorum opera rex vtitur in adminiſtranda Repub.*

58 Multi ſunt ei ſimiles. *Multi ſunt virtute ac meritis regi pares.*

59 Vt imperij magnitudinem ac dignitatem exæquet. *Debet enim rex virtute cæteros omnes ſuperare, vt tertio libro declaratum eſt.*

60 Tyrannis eſſe videtur. *Tyrannus eſt. nam verbum videtur,* & forte, fortaſſisque, *& talia ſæpe ab Ariſtotele in rebus non dubijs vſurpantur modeſtiæ gratia, ne temerè aſſerere videatur.*

61 Quæ ex genere tribuuntur. *Quæ ſunt in aliquo genere, ſiue familia hæredita-*

operam vt quid ſubiectorum quiſque dicat & agat non ignoretur,
& exploratores habere, 15 quales erant Syracuſis Proſagogidæ, qua- 15.
ſi delatores nominati. 16 Hieron etiam vbicunque cœtus & con- 16.
uentus erat, 17 Otacuſtas, hoc eſt auſcultatores ſubmittebat, quippe 17.
talium hominum timore minus audent, & ſi quid audent, minus
latet. Prodeſt etiam alios apud alios calumniari, & amicos cum a-
micis, populares cum nobilibus, & diuites inter ipſos committere.
Subiectos etiam in paupertatem redigere, tyrannicum eſt, 18 ne 18.
præſidium alatur, nec ab operibus quotidianis ocium eis ad paran-
das inſidias ſuperſit. Huius rei exemplo ſunt 19 Pyramides Aegy- 19.
pti, 20 Cypſelidarumq; dijs immortalibus erecta templa, & Pyſi- 20.
ſtratidarũ fanũ Olympio Ioui ædificatum, & Policratis opera quæ
in Samo viſuntur: hæc enim cuncta pertinent eodem, vt qui ſub im-
perio ſunt, nec ocium habeant, & pauperes reddantur. Quo itẽ ſpe-
ctat tributorum exactio, vt Syracuſis, vbi Dioniſij tyrãnide quin-
que annis omnes opes tributi nomine collatæ fuerunt. Eſt etiam 21 21.
tyrannicum commentum bellum gerere, vt occupati ſint, & du-
ctore ſemper indigeant. Porrò cum Regnum per amicos conſerue-
tur, tyrannidis tamen ratio poſcit, vt amicis minimè omnium fides
habeatur: nam cum velint omnes, 22 hi tamen maximè poſſunt ty- 22.
rannum de medio tollere. Ea quoque tyrannica ſunt, quæ in extre-
mis ſtatibus popularibus fiunt, mulierum licentia per domos, vt
facta virorumque conſilia deferant, ſeruorùmque remiſſio ob ean-
dem cauſam. Quoniam neque ſerui neque mulieres tyrannis inſi-
diantur, quos propter viuendi vt velint licentiam in tyrannides &
ſtatus populares amicos animos gerere neceſſe eſt. 23 Nam populus 23.
etiam expetit eſſe monarcha. quo fit vt apud vtrunq; in pretio ſint
adulatores, apud populos dux popularis. (hic enim populi aſſenta-
tor eſt.) apud tyrannos, qui ſe demiſſe in conſuetudine gerunt: 24 24.
quod eſt aſſentationis opus. Nam tyrannis improborum eſt amica,
quoniam tyranni adulationibus delectantur. Adulatur autem ne-
mo qui liberum animum gerat: nam viri probi vel amant, vel certè
non blandiuntur. Item improbi ad res improbas vtiles ſunt, quo-
niam clauus, vt eſt in prouerbio, clauo truditur. Eſt etiam tyranni-
cum, grauis ac liberi hominis conſuetudine non delectari: 25 nam 25.
talem ſe ſolum eſſe tyrannus vult. At qui e diuerſo grauitate ac li-
bertate vtitur, is 26 præſtantiam ac tyrannidis dominatum tollit. 26.
Tales igitur odio ſunt tyrannis, tanquã imperiũ diſſoluentes. Illud

des ipſorum loco ſuccedunt. Tributa quoque & exactiones ſic im-
ponere debet,vt prouidendi ac diſpenſandi gratia numos congere-
re videatur, cum bellum inciderit ad vſum militarem. Ad ſummũ
ſic ſe comparare,vt tanquam publicæ pecuniæ, non priuatæ cuſto-
dem & quæſtorem agat,vtque non difficilis & ſuperbus,ſed grauis
eſſe videatur:& item talis,ne ſit colloquentibus formidoloſus, ſed
potius venerandus,quod ei non facilè contingit, qui talis eſt vt fa-
cilè contemnatur.Itaque curare debet,vt ſi non cęteris virtutibus,
at certè 33 præditus ſit ciuili facultate, & talem de ſe opinionem fa- 33.
ciat: vtq; non ſolum ipſe, ſed omnes eius domeſtici à ſubiectorum
contumelijs puerorum,puellarumque abſtinere videantur: vtque
ſuas mulieres eodem modo in officio contineant, ne ſint in alias
contumelioſæ, quoniam multæ tyrannides ſunt propter mulierũ
contumelias euerſæ. De voluptatibus corporeis oppoſitum eos fa-
cere oportet,quàm nunc tyranni quidam faciunt, qui non ſolum
id protinus 34 ab hora matutina, & continenter multos dies faci- 34.
unt,verumetiam id notum cæteris eſſe volunt,vt ſe quaſi beatos &
felices admirentur. Sed maximè in his reb. ſe moderatè gerere de-
bet,aut ſaltem de ſe cæteris facere opinionem temperantiæ.Non e-
nim qui ſobrius eſt,is inuadẽdi ſui,aut contẽnendi præbet occaſio-
nẽ,ſed qui ebrius,nec vigilans, ſed ſomno deditus, ſuntque oppo-
ſita ijs quæ ſuprà diximus facienda. Nam ciuitas ei componenda &
ornanda eſt,35 quaſi procurator ſit,non tyrannus. Præterea curan- 35.
dum eſt, vt deos , religionemque ſemper egregiè colere videa-
tur. Nam minus iniuriam homines à talibus hominibus metuunt,
cum principem religioſum eſſe, ac Deos vereri putant:minuſque
inſidiantur ei,qui deos auxiliares habere videatur. 36 Talis autem 36.
citra ineptitudinem videri debet:& item probos & præſtantes vi-
ros ſic honorare,vt ſe non putent à ſuis ciuibus,ſi liberi eſſent,plus
honoris fuiſſe laturos: & hos honores ipſe per ſe tribuere : pœnas
autem per alios magiſtratus & iudices irrogare.37 Eſt autem omnis 37.
monarchię cautio communis,neminem facere nimis magnum,aut
certè plus quam vnum facere : ipſi enim inter ſe quid quiſque agat
obſeruant. Aut ſi vnum aliquem augere oporteat, vitandus tamen
eſt, ſi quis ſit moribus audax : nam tales mores in cunctis actioni-
bus maximè ſunt ad vim inferendam accommodati. Et ſi cuius ſit
minuenda potentia,paulatim id faciendum eſt,non tota ſimul aufe-
renda.Et cum ab omni contumelia temperandum, tum maximè à

38. duab. à percuſſione corporis, & ab iniuria libidinoſa: 38 quæ cautio maximè eſt in homines ambitioſos tenenda. Nam iniuriam ſibi per contemptionem inferri grauiter ferunt auari, ſi bonorum detrimento: ambitioſi & probi homines, ſi dedecore, ſiue infamia afficiantur. Quare à talibus pœnis abſtinendum eſt, aut curandum vt legibus vel more maiorum, non per contemptum irrogari videantur: vtque venereæ conſuetudines ex cauſis amatorijs, non à potentia proficiſci putentur. Ad ſummam, ſi quid de honore detraxerit,
39. debet id maioribus honoribus ſarcire. Eorum autem 39 qui capitaliter inſidiantur, hi ſunt maximè formidandi, ac diligentiſſime cauendi: qui modo necem inferant, nihil ſunt de ſalute ſua ſolliciti. Itaque maximè caueri debet, qui ſe aut ſibi charos affectos eſſe contumelia putant: nihil enim ſibi parcunt, qui per iram inferuntur,
40. auctore Heraclito. *Difficile eſt*, inquit, *cum ira pugnare, quippe quæ* 40 *anima redimitur*. Cum autem ciuitates ex duabus partibus, diuitibus & egenis conſtent: prouidere oportet, vt vtrique ſe per imperium conſeruari putent: nec alteri ab alteris iniuria afficiantur. Qui ta-
41. men potentiores ſunt, ij maximè debent 41 imperio conciliari. Vt ſi ſumma rerum in tale diſcrimen adducatur, non ſit tyranno aut ſeruos manumittere, aut arma demere neceſſe: quoniam altera pars adiuncta potentiæ ſatis eſt ad conatus impetentium ſuperandos. Cæterum talia ſingula perſequi ſuperuacaneum eſt, cum propoſitum ſit manifeſtum. Huc enim ſunt omnia referenda, vt ijs qui ſub imperio ſunt, non tyrannum, ſed patremfamilias aut regem agere videatur: & rem non quaſi dominus, ſed quaſi procurator & præfectus adminiſtrare ac moderatè viuere, nec quod nimium eſt ſectari. Præterea nobilium vti conſuetudine debet, populares indulgenter tractare. Ex his enim neceſſario fiet, vt imperium non modo honeſtius ac magis expetendum ſit, propterea quòd erit in meliores nec animo deiectos, & ipſe non erit odio, nec timori, ſed etiam diuturnius. Adhæc probis moribus eſſe præditus, aut certè ſemibonis, & non malis, ſed ſemimalis.

Scholia in Caput XI.

1 CONSERVANTVR autem haud dubiè, vt vniuerſè loquar, ex contrarijs, ſingulatim verò. *Hactenus cauſas pereuntium Rerumpub. expoſuit: hinc quibus rebus conſeruentur declarat, primùmque vniuerſali*

ſali præcepto Reſpub. rebus contrarijs, ijs quibus euertuntur, conſeruari docet. Sed ad ſingula genera deſcendens, regnum, inquit, conſeruatur ſi medium teneat, ne nimis multa regis arbitrio gerantur, quod exemplis præſertim Theopompi regis Lacedæmoniorum declarat, qui Ephoros ad regiam poteſtatem licentiamq́ temperandam inſtituit. Tyrannides duobus modis inter ſe contrarijs conſeruātur, cuius prioris magiſter magna ex parte Periander Corinthius tyrannus fuit, viros præſtantes, atque eos qui magno celſoq́ animo ſunt de medio tollere, non pati in ciuitate conuentus hominum fieri, nec literarum ac proborum inſtitutorum ſtudia, quæ liberos reddūt animos permittere, & dare operam vt ciues inter ſe minimè noti ſint, vtq́ ciuitas exploratorum plena ſit, qui facta & conſilia ciuium deferant. Item per calumnias, amicos cum amicis, vulgus cum nobilitate, & diuites inter ipſos committere, ſubiectos ad paupertatem redigere, & occupatos tenere, ne diuitiarum occaſione, aut per otium eis inſidiari tyranno liceat implicatoſq́ bello tenere, vt ipſo ductore ſemper indigeant. Debet præterea tyrannus amicorum inſidias cauere, mulieribus & ſeruis viuendi licentiam præbere, vt vtriſque exploratoribus contra viros & dominos vtatur, quæ omnia tribus generibus ſeu finibus continentur: primum, vt ſubiecti abiecto animo ſint, deinde ne alij alijs fidant, tertio, vt etiam volentibus tyrannidem euertere facultas abſit. Atque hic quidem vnus eſt modus tyrannidem tuendi. alter huic contrarius, vt tyrannus regiam adminiſtrationem æmuletur, & regiam voluntatem oſtentet, hoc tamen iacto & retento fundamento, vt etiam nolentibus imperare poßit. Oportet etiam, vt rerum communium curam habere videatur, ne ſumptus faciat, quibus populares offendantur, vt non tyrannus eſſe videatur, ſed paterfamilias, non dominus pecuniæ communis, ſed quæſtor & cuſtos, nec difficilis & ſuperbus, ſed grauis eſſe, nec modo ſeipſum, ſed etiam domeſticos à contumelijs contineat, Deos & religionem colere videatur, egregios & præſtantes viros honorare debet, & hoc per ſe, pœnas autem per iudices irrogare. Illud autem eſt regi cum tyranno commune, ne quem nimis magnum faciat, aut faciat plures. Cauendū etiam eſt ne contumelia homines ambitioſi afficiātur. Veneri ita ſeruiendum, vt amore ductus, non potentia vſus fuiſſe videatur. Cum autem ciuitas ex diuitibus pauperibuſq́ conſtet, vtri potentiores fuerint, hos ſibi debet amicos reddere, vt horum auxilio poßit aliorum conatib. obſiſtere, præterea vti nobilium conſuetudine, & indulgenter tractare populares: morib. vti vel bonis vel certè ſemibonis, hoc eſt non turpiſſimis.

2 Vt vniuerſè loquar ex contrarijs. *Vt generaliter dicam ex rebus contrarijs ijs, quibus diximus eaſdem Reſp deleri.*

3 Quo pauciorū rerum. *Quo pauciora imperantis arbitrio permittuntur.*

4 Heri-

4 Heriliter imperioſi. *Minus ſunt procliues, vt imperium exerceant, quaſi domini in ſeruos.*

5 Et idem Lacedæmoniorum. *Vt Lacedæmoniorum regnum diu ſeruaretur.*

6 In duas partes diuiſum. *In duos reges: ab initio enim Lacedæmonij binos reges habuerunt.*

7 Ephororum magiſtratũ. *Qui regibus erat oppoſitus, vt Romæ tribunatus conſulibus, de quo ſuprà pluribus memorauimus.*

8 Maximè contrarijs. *Inter ſe.*

9 Traditus eſt. *A prioribus, ſcilicet à Platone in libro octauo de Rep. illic enim omnes prioris modi rationes tuendi tyrannidem à Socrate commemorantur. Ergo alij, inquit, ante me de ipſo diſſeruerunt, quo innuit alterum modum à ſe potiſſimum fuiſſe annotatum.*

10 A Periandro Corinthio. *Tyranno Cypſelli filio.*

11 Nec ſodalitatem. *Societatem amicorum, qualia ſunt collegia: hæc enim cuncta, & item factiones nomine ἑταιρεία, quo hic vſus eſt Ariſtoteles, ſignificantur.*

12 Nec doctrinam. *Non permittere gymnaſia, vbi adoleſcentes probis inſtitutis & diſciplinis liberalibus erudiantur, quæ animos liberos reddunt, vt nunc fit inter Turcas, apud quos nulla ſunt ſtudia literarum, ob hanc ipſam cauſam.*

13 Peregrini. *Milites mercenarij, quibus externis tyranni ad corporis ſui cuſtodiam vtuntur.*

14 Perſica & Barbara. *Nam reges Perſarum herile imperium in ſubiectos exercebant, nec tamen erant tyranni, quoniam id ſubiectorum voluntate fiebat, vt ſunt Aſiani barbari natura ſerui, vt ipſe ſuprà teſtatus eſt.*

15 Quales erant Syracuſis Proſagogidę. *Proſagogidæ à verbo προσάγειν, quaſi delatores vocabantur Syracuſis, qui facta & conſilia popularium explorabant, & ad tyrannum deferebant, de quibus meminit Plutarchus in Dione. Cuius & aliorum auctoritatem ſequutus interpres, locum vt deprauatum emendauit, & pro ποταγωγίδες repoſuit αἱ προσαγωγίδαι.*

16 Hieron etiam. *Hic quoque vt Gelo & duo Dionyſij, Syracuſanorum tyrannus fuit.*

17 Otacuſtas. *Ab auribus & audiendo dictos. vtitur hoc nomine idem Ariſtoteles in libro de mundo ad Alexandrum.*

18 Ne præſidium alatur. *Sic enim ſublato aut imminuto periculo, non erit tyranno externorum præſidium alere neceſſe, aut paruum præſidium erit ſatis. vel ſenſus eſt, ne populares ſi conſilium in tyrannum inierint, militem*

conda-

conducere poſſint, qui contra tyrannum ipſis præſidio ſit.
19 Pyramides Aegypti. *Sic appellabantur ædificia miræ altitudinis in acutum deſinentia, quas reges Aegyptij maximo ſumptu, & innumera hominum multitudine ædificabant, velut ad ſepulchra regia & ad miraculum: re autem vera, vt imperatis ad ea tributis popularium facultates exhaurirent, ſimulq́; ipſos in opere aſsiduo occupatos continerent, ne per otium regum flagitia perſpicere, & in ipſos inſidias molientes conſpirare poſſent. De Pyramidibus his multa Herodotus & Diodorus Siculus commemorant, noſterq́; Plinius.*
20 Cypſelidarum. *Corinthi tyrannorum, qui genus à Cypſelo ducebant, vt Athenienſes tyranni filij Piſiſtrati, Piſiſtratidæ vocabantur. Policrates autem Sami inſulæ tyrannus fuit, qui omnes magnifica ædificia erigenda curarunt, eademratione, qua reges Aegyptij Pyramides.*
21 Tyrannicum commentum. *Verſutia tyrannica hoſtes facere vicinos ſuæ ciuitati, vt ad bellum gerendum ſemper indigeant ipſo ductore.*
22 Hi tamen. *Amici tyranni, qualis erat Laurentius Medices, qui nuper Alexandrum Medicem Florentinum ſuſtulit: erat enim eius amicus & propinquus.*
23 Nam populus expetit eſſe monarcha. *In extrema & peſſima Repub. populari, vbi cuncta fiunt arbitrio populi, populus ipſe tyrannum imitatur.*
24 Quod eſt aſſentationis genus. *Se demiſſe gerere, & in cunctis obſequi, genus eſt adulationis: nam verus amicus libertate vti debet, & in rebus turpibus aut iniuſtis amicum admonere & obſiſtere.*
25 Nam talem ſe ſolum eſſe vult. *Tyrannus neminem vult vti libertate præter ſe.*
26 Præſtantiam tollit. *Aequalem ſe præſtat ei qui vult eſſe ſuperior.*
27 Quibus tamen nihil improbitatis abeſt. *Hoc dicit, ne huiuſmodi conſilia probare videatur, quæ licet ſint ad tyrannidem tuendam vtilia, ſunt tamen ſceleſta & nefaria, quemadmodum ipſa tyrannis.*
28 Hi ſunt tres igitur fines. *In quos referuntur tyrannorum conſilia.*
29 Alter modus rationem habet contrariam. *Ratio prioris modi ad ſui timorem incutiendum, & ſubiectos deprimendos pertinet: hic autem poſterior ad gratiam aucupandam, & popularium animos alliciendos.*
30 Partim ſpeciem oſtentare. *Quædam ſimulare, ſpeciem boni viri præferens. Nam ſi hæc omnia non ficto, ſed probo animo faceret, regem ſe, quantum eſt in ipſo, non tyrannum præberet.*
31 Scortis ac peregrinis, & artificibus. *Quorum ſcilicet opera vti ſolent ad ludos Theatrales & fabulas agendas.*

32 Cuſtodes minus imperium inuadunt. *Præfecti quos tyranni ad ciuitatem adminiſtrandam,& pecuniam repoſitam cuſtodiendam relinquũt, minus pecuniarum occaſione conſilia in abſentes tyrannos ineunt, vt his nõ receptis ipſi imperium per tyrannidem occupent, vel in aliud genus Reip. conuertant.*

33 Præditus ſit ciuili facultate. *Vt probè ſciat, prudenterq́ animos hominum tractare, ne formidabilis ſit nec rurſus contemptui habeatur, ſeq́ in popularium beneuolentiam inſinuet.*

34 Ab hora matutina. *Per totum diem.*

35 Quaſi procurator. *Quaſi nomine ciuitatis, ab ipſaq́ publico muneri præfectus rem gerat, non quaſi tyrannus.*

36 Talis autem citra ineptitudinem videri debet. *Ne dum imprudenter religionem ſimulat, impietatem & verſutiam prodat.*

37 Eſt autem omnis monarchiæ cautio communis. *Non ſolam tyrannorum, ſed etiam regum.*

38 Quæ cautio maximè tenenda eſt in homines ambitioſos. *Qui honoribus ſtudent, & famæ, cuiuſmodi ferè ſunt nobiles & diuites, minimè omnium ſunt pulſatione corporis, vel libidinoſa contumelia afficiendi: aut ſi quam huiuſmodi contumeliam talibus hominibus tyrannus intulerit, debet iniuriam alijs honoribus ſarcire, & eoſdem honeſtaudo compenſare.*

39 Qui capitaliter inſidiantur. *Qui tendunt inſidias in caput, vt tyrannum interficiant.*

40 Anima redimitur. *Inferenda morte ſedatur.*

41 Imperio conciliari. *Vt ſint Reipublicæ præſenti ſtatu contenti.*

CAPVT XII.

1 CAETERVM ex Rebuſpub. omnibus paucorum poten-
tia & tyrannis citiſſimè delentur Nam cunctarum diutiſſimè dura-
uit tyrannis quam Orthagoræ filij, ac ipſe Orthagoras Sicyone te-
nuerunt: quippe ad centeſimum annum perducta eſt. Cuius cauſa
fuit, quoniam ſubiectos moderatè tractabant, & pleraque ex legũ
2. præſcriptis gerebant. Et 2 Cliſthenes quia bellicoſus erat, non fuit
habitus contemptui. Item populares indulgenter habebant, ipſorũ
3. rebus conſulendo. Quin etiam Cliſthenes cum qui ſibi fuerat 3 in
iudicio victoriæ refragatus, corona donaſſe memoratur: & qui-
4. dem ſtatuam 4 quæ in foro poſita eſt, imaginem eius eſſe tradũt,
qui ſic iudicauit. Et Piſiſtratum ferunt, cum dies ei dicta fuiſſet, iu-
diciu m

dicium ad Areopagum ſubijſſe. Secundo loco diu Cypſelidarum tyrannis Corinthi conſeruata eſt: nam hæc tres ac ſeptuaginta annos & ſex menſes durauit, quoniam Cypſelus annos triginta tyrannidem tenuit, Periander quadraginta quatuor, Pſamnitichus Gordij filius annos tres. Cuius tyrannidis conſeruandæ eædem cauſæ fuerunt, quoniam Cypſelus populum indulgenter tractabat, nec vnquam præſidio ad ſui corporis cuſtodiam vſus eſt. Periander tyrannicus fuit, bellicoſus tamen. Tertia diuturnitate Piſiſtratidarũ tyrannis Athenis fuit, qua tamen non ſunt continenter vſi. Nam Piſiſtratus dum tyrannidem teneret, bis vrbe pulſus eſt. Itaque ex triginta tribus, decem & ſeptem annos tyrannidem tenuit, filij autem decem & octo. ſumma igitur triginta & quinque annorum fuit. Ex reliquis maximè diuturna fuit, quam Hiero, Geloq; Syracuſis tenuerunt. Veruntamen hæc non diu durauit, ſed ad annos duntaxat decem & octo producta eſt. Nam Gelo cum ſeptem annos tyrannidem geſſiſſet, octauo vita ſunctus eſt. Hiero decem annis tyrannidem tenuit. Thraſybulus vndecimo menſe fuit deiectus. Sed omnino pleræque omnes tyrannides breui tempore delentur. Ac Reſpub. quidem & monarchiæ quibus rebus deleantur, & quibus viciſſim conſeruentur, explicuimus, cuncta ferè perſequuti. In Repub. Platonis Socrates de mutationibus diſſerit, ſed non rectè diſſerit: nec enim optimæ Reip. 5 quæ prima eſt, mutationem priuatim 5.
exponit, qui cauſam eſſe tradit, quòd nihil perpetuo maneat, ſed omnia motu quodam orbiculari mutentur. 6 Principium autem horum eſſe dicit ea quorum radix ſeſquitertius numerus quinario cõiunctus duos præbet concentus, id eſt quando huius deſcriptionis ſeu figuræ numerus ſolidus efficitur: quaſi natura quandoque prauos homines gignat, quorum prauitas diſciplina & virtute ſuperari nequeat: quod fortaſſe non improbè dicit. fieri enim poteſt, vt aliqui ſint qui rectè inſtitui, ac fieri boni viri nequeant. Hęc aũt mutatio cur eius Reip. quã ipſe optimam eſſe dicit, propria magis quàm omnium aliarũ, & rerum omnium naſcentiũ cõmunis eſſe dicatur: & profecto, quod ad tempus attinet, quo dicit cuncta mutari, etiam quæ non ſimul fieri cœperunt, ea tamen ſimul mutantur, 7 vt pridie ſolſtitij facta ſunt, ſimul ergo mutabuntur. Pręterea quã ob cauſam ex hac fit in Laconicam mutatio, cum Reſpub. omnes ſæpius in contrariam, quàm in proximam mutentur. Quæ ratio eadem eſt

Qo 2 cætera-

cæterarum mutationum. Nam ex Laconica, inquit, in paucorum potentiam,& ex hac in ſtatum popularem, ex populari ſtatu in tyrannidem tranſit. Atqui etiam diuerſa ratione mutantur,vt ex populari in paucorum potentiam, & quidem magis quàm in monarchiam.Præterea tyrannis ſiue mutationem recipiat,ſiue ſecus, quâ ob cauſam id fiat, non exponit: nec in qualem Rempub.mutetur:
8. idcirco ſcilicet, quia non erat ei facilis explicatio: 8 non eſt enim definitum,quoniam per ipſum vt in primam & optimam tranſiret, oportebat.Sic enim circulus continenter efficeretur. At mutatur
9. nonnunquam 9 in tyrannidem tyrannis, vt Sicyone Myronis ty-
10. rannis 10 in Cliſthenis tyrannidem mutata eſt. Tranſit etiam in paucorum potentiam, vt in Chalcide tyrannis Antileontis: & in ſtatum popularem, vt Gelonis Syracuſis:& in ſtatum optimatum,
11. vt 11 Charilai Lacedæmone,& item Carthagine. Ex paucorum etiam potentia fit in tyrannidem mutatio, vt ex veteribus pleraque
12. pars:in Sicilia apud Leontinos in Panætij tyrannidem: 12 Gelæ in tyrannidem Cleandri:Rhegij in Anaxilai, & multis in alijs ciuita-
13. tibus eodem modo.13 Eſt etiam abſurdum, idcirco mutationem in paucorum potentiam fieri putare, quòd auari ſint, & quæſtui magiſtratus habeant, & non potius quia multi cum ſint opibus ſuperiores,non putant eſſe iuſtum, vt egeni paria opulentis habeant in ciuitate. Et in multis paucorum potentijs quæſtum facere non licet, ſed leges ſunt quæſtum prohibentes. Et Carthagine cum populariter adminiſtratur, quæſtus faciunt, nec dum tamen ſtatum Reipub.mutauerunt.Eſt etiam abſurdum dictu,paucorum potentiam duas ciuitates eſſe,diuitum & egenorum. Nam cur hæc magis quàm Laconica vel quæuis alia, vbi non omnes habent paria patrimonia,vel non omnes ſimiliter ſunt viri probi? At licet nemo fuerit pauperior factus,tamē ſi creuerit egenorum multitudo, ex paucorum potentia ſtatus popularis efficitur: viciſſimque paucorum potentia ex populari, ſi diuites plebe potentiores exiſtant, & alij negligentes,alij vigilantiores ſint. Sed cum multæ ſint mutationū cauſæ,vnam duntaxat memorat, quòd per ſumptus immoderatos, & vſuras,in egeſtatem redigantur: quaſi omnes aut plerique ab initio diuites fuerint. quod eſt commentitium.Sed cum ex primarijs aliqui bona diſſiparunt, ij res nouas moliuntur, cum ex alijs nihil accidit quod magnopere Rempub. perturbet:& nunquam magis in ſtatum popularem quàm in aliam Reip.formam mutantur.Præterea

terea ſiue honoribus excludantur, ſiue iniuriam accipiant, ſiue afficiantur contumelia, ſeditiones mouent, & Reſpub. mutant, etiam ſi patrimonia non abſumpſerint, 14 propterea quòd licet eis facere quod volunt, cuius cauſam nimiam libertatem eſſe dicunt. Et cum multa ſint paucorum potentiæ genera, & item ſtatus popularis, Socrates tamen ita de mutationibus diſſerit, quaſi vnum duntaxat cuiuſque genus habeatur.

Scholia in Caput XII.

1 CAETERVM ex Rebuſp. omnibus, paucorum potentia, & tyrannis citiſsimè delentur. *Ex omni genere Reip. paucorum potentia & tyrannis breuiſſimo tempore durant: quod argumento tyrannidum quæ diutiſſimè durarunt, declarat, ſubiectis tantæ durationis cauſis. Deinde Platonem accuſat, quòd non rectè in ſua Repub. de Rerumpub. mutationibus diſſeruit.*

2 Cliſthenes quia bellicoſus erat. *Licet ex poſteris Orthagoræ Cliſthenes magis tyrannicè imperauerit, tamen quia bellicoſus erat, timore populares, ne in ſe conſpirarent, continuit.*

3 In victoriæ iudicio. *Cum Cliſthenes tyrannus Sicyonius, quæ ciuitas eſt in Peloponneſo, in certamen gymnicum fortaſsis deſcendiſſet, vt tyranni quidē ambitioſè feciſſe traduntur, is qui certantibus datus erat iudex, aut vnus ex multis iudicibus Cliſtheni fuit in iudicio refragatus. Cuius factum & libertatem non modo non vltus eſt tyrannicè Cliſthenes, ſed etiam probauit, iudicemq; corona donauit, quòd eo iudicio declaraſſe videretur Cliſthenem non eſſe tyrannum, cum in ea ciuitate etiam in ipſum vti libertate liceret.*

4 Quæ in foro poſita eſt. *Sicyonis vrbis, itaque maximè diuturna tyrannis, non vltra centeſimum annum perducta eſt, cum regna diutiſſimè ſeruentur, vt regnum Pelagidarum in Hiſpania, quod perpetua huius familiæ ſucceſſione deductum, hac memoria uel maximè floret, quàm Carolus pater tuus rex Hiſpaniarum, & idem Romanorum imperator, poſt annum à Pelagio amplius octingenteſimum illuſtrat.*

5 Quæ prima eſt. *Duas Reſpub. Plato conſtituit, vnam in libris de Repub. quam Ariſtoteles primam vocare ſolet, alteram in libris de legibus, quam ſecundam.*

6 Principium autem horum eſſe ea, quorum radix ſeſquitertius numerus. *Hæc à Platone in octauo libro de Rep. traduntur, ſed locus eſt obſcuriſſimus. Itaque Theon Smirnæus, qui ſolet dicta Platonis mathematica in-*

terpretari, hunc locum prætermiſit. Nec Iamblichus Chalcidenſis commodè ſatis explicare potuit, & Marſilius Ficinus Apolline interprete eundem indigere teſtatus, intactum reliquit Diuus Thomas quadam diuinare conatus eſt. Sententiæ tamen ſummam huc pertinere docet Ariſtoteles, quoſdam homines tales nonnunquam à natura generari, vt prauitas ipſorum nulla ratione, nullis iuſtis legibus & probis inſtitutis vinci queat. quo genere hominum in Rep. ſuccedente, horum prauitate optima Reſp. deleatur, & in aliam formam tranſeat. Sed hæc ratio non eſt, inquit, talis Reip. delenda propria, ſed omnibus communis: nam ſuccedentibus hominibus quorum natura ſit cuique Reipub. eiuſq; legibus & diſciplinæ, ſiue inſtitutis penitus oppoſita, ab his delebitur illa Reipub forma, & in aliam mutabitur.

7 Vt pridiè ſolſtitij facta ſunt, ſimul ergo mutabuntur. *Hoc exemplo ſententiam Platonis explicat, vt ipſam falſam eſſe doceat. Nam fieri poteſt, vt aliqua facta ſeu incepta ſint pridie ſolſtitij, quæ tamen non ſimul eſſe deſinant. Hoc aũt exemplum ſpectare videtur ad id quod Plato in 6. lib. de legib. tradit, vbi magiſtratus placet ſiue ad annum ſiue ad maius tempus deſignatos in templum aliquod conuenire pridie Calend eius menſis, à quo poſt ſolſtitiũ æſtiuum nouus annus initium ſumit. Hic aũt menſis Hecatonbæon ab Athenienſib. vocabatur, à Romanis eo tempore Quintilis, qui eſt idem qui Iulius, nũc enim Iunio reſpondet, quoniam in hunc menſem ſolſtitium incidit. Athenienſes enim annum ab æſtiuo ſolſtitio inchoabant, vt Romani ab ipſa bruma ſeu brumali ſolſtitio, quo die Chriſtus natus eſt, nouo ſcilicet Sole: in quem diem initium anni Romani multifariam deprauati redigendum erat, vt in eundẽ diem bruma, & Chriſti natale, & Calendæ Ianuarij congruerent, vt libello ſeparatim huic quæſtioni dicato declarauimus. Sed hæc, vt obiter dicerem admonitus ſum mentione ineuntis anni. Sed ad propoſitum redeamus. Non eſt verum, inquit: hæc facta ſunt ſiue incepta pridiè Calendas Iulij, ſimul ergo mutabuntur. Nam multi magiſtratus pridiè earundem Calendarum conſtituebantur, quorum tamen quidam anni, alij longioris temporis erant. Itaque non ſimul mutabantur.*

8 Non eſt enim definitum. *Nam tyrannis non in certam quandam formam, ſed in diuerſas, modo in hanc, modo in illam mutatur.*

9 In tyrannidem tyrannis. *Vna ſpecies tyrannidis in aliam: non enim tyrannis in tyrannidem mutari dicitur, cum vno tyranno alter tyrannus ſuccedit, ſi eandem tyrannidis rationem teneat, ſed tunc demum ſi alter altero magis aut minus heriliter, crudeliterq; imperet. Nam tyrannidis multæ ſunt ſpecies, vt cuiuſque generis Reip. quemadmodum lib. iiij. docuit.*

10 In tyrannidem Cliſthenis. *Quæ magis ſuit herilis.*

11 Cha

11 Charilai Lacedæmone. *Charilaus filius fratris fuit Lycurgi, qui cum tyrannicè imperaret, propter leges Lycurgi temperauit imperium, & ſic ex tyrannide facta eſt optimatum Reſp.*

12 Gelæ. *In Gela vrbe Siciliæ tyrannorum nutricis.*

13 Eſt etiam abſurdum. *Quod ſcilicet traditum eſt à Platone in lib.8. de Repub.*

14 Propterea quòd licet eis facere quod volunt. *Ad cæteras cauſas mutationum Rerumpub. nimiam libertatem adiungit, qualis eſt in extrema Rep. populari, in qua quia populo quicquid libitum fuerit facere, licet, nec legibus locus relinquitur, Remp. cum libet, in aliam formam qua magis ipſis placet, commutant.*

FINIS LIBRI QVINTI.

ARISTOTELIS DE REPVBLICA LIBER SEXTVS,

Interprete & enarratore IOANNE GENESIO SEPVLVEDA CORDVBENSI.

CAPVT I.

QVOT & quæ ſint differentiæ eius partis ci- 1.
uitatis quæ conſultandi munere fungitur, 2 2.
quæq; ſummã habet Reip. poteſtatem, & magiſtratum ordinis, deque tribunalib. & quæ cuiq; Reip. conueniant, ſuprà diſſeruimus: & item de interitu & conſeruatione Rerump. ex quibus & propter quas cauſas fiant, diſputauimus. Cæterum quia multæ ſunt 3 ſtatus 3.
popularis, & perinde cuiuſq; cæterarũ Rerump. ſpecies, non fuerit ab re ſimul de ipſis, ſi quid ſupereſt, diſſerere, ac propriũ & cuiq; accõmodatum modũ exponere, & itẽ copulationes omniũ dictorum modorũ explicare: hæc enim cõiuncta, Reſp. variare faciunt, vt ſtatus optimatum ad paucorum potentiam, Reſp. ad populares magis declinent. Dico aũt copulationes, de quibus diſſerere oportet, nec: eſt ha-

4. eſt hactenus diſputatum:exempli gratia,4 ſi conſilium, & item mādandi magiſtratus ratio conuenienter paucorum potentiæ conſti-
5. tuta ſit: tribunalia verò optimatum Reipublicæ, 5 aut conſilium, prout ratio paucorum potentiæ poſcit:ratio verò mandandi magiſtratus conuenienter ſtatui optimatum, vel per alium quendam modum,ne cuncta quæ Reipub.propria ſunt,componantur. Qualis ergo ſtatus popularis quali ciuitati conueniat, ac eodem modo quæ paucorum potentia cui multitudini ſit accommodata, & ex
6. cæteris Rebuſpub.quid quibus conducat, 6 ſuprà eſt à nobis declaratum. Veruntamen oportet non ſolum ex his Rebuſpub. quæ ſit optima ciuitatibus, ſed etiam quomodo ſit conſtituenda declarare.De his igitur ac cæteris Rebuſpub. pauca diſputemus,ac primum
7. de ſtatu populari. Nam ſimul 7 quod ad oppoſitam Remp.pertinet,id eſt ad eam, quam nonnulli potentiam paucorum appellant, cognoſcetur. Ad hanc autem diſſerendi rationem ſumenda ſunt popularia cuncta, & quæ ſtatibus popularibus videntur eſſe conſentanea. Ex his enim copulatis, ſpecies ſtatus popularis exiſtunt, efficiturque vt plures quàm vna ſint, & variæ populares Reſpub. Nam duæ ſunt cauſæ,cur plures ſint ſtatus populares. Prima quam ſuprà memorauimus, quoniam populi diuerſi ſunt. Eſt enim vna multitudo agricolarum, altera opificum, alia mercenariorum: quorum ſi prima addatur ſecundæ, ac rurſus ambabus tertia, non ſolum in eo diſcrimen erit, quòd melior, & viciſſim peior ſta-
8. tus popularis fiet, ſed etiam in eo quòd 8 non erit idem. Secunda cauſa eſt,quam in præſenti tractamus. Nam quæ ſtatibus popularibus conſentanea ſunt,& huius Reipub.propria eſſe videntur. Hæc compoſita,diuerſos ſtatus populares faciunt, quoniam hunc pauciora,illum affectantur plura,quendam etiam hæc omnia:quorum ſingulorum cognitio, tum ad conſtituendum, ſi cui libeat conſti-
9. tuere,tum etiam 9 ad emendandū prodeſt. Nam qui Reſpub. conſtituunt, ij cuncta quæ propria ſunt ad finem propoſitu congerere
10. nituntur:10 peccant tamen hoc facientes,vt ſuprà in quæſtione de interitu,& ſalute Rerumpub.declarauimus.
11. Nunc autem 11 communes ſententias &
12. mores, & 12 quæ expetant diſſeremus.

Scholia

Scholia in Caput I.

1 QVOT & quæ ſint differentiæ eius partis ciuitatis, quæ conſultandi munere fungitur. *In huius ſexti libri præfatione, de quibus rebus in ſuperiorib. libris præſertim quarto & quinto diſputauit, ſummatim commemorat, ac ſimul de quibus deinceps diſputaturus ſit, proponit. Oportet, inquit, nō ſolū qui ſit optimus ſtatus Reip. ſed etiam quomodo conſtitui debeat explicare Et quia primū de ſtatu populari differēdum eſt, conſideranda ſunt omnia quæ habentur popularia, & ex his variæ temperaturæ faciendæ. Hinc enim cōplures ſpecies cuiuſq; generis exiſtunt, in quo nō ſolū populi partes conſiderari debent, de quarum varijs mixtionibus in quarto diſputatum eſt, ſed etiam de accidentibus proprijs cuiuſq; Reipub. quarum rerum cognitio non ſolum ad conſtituendam initio Rempub. ſed etiam ad corrigendum deprauatam iam conſtitutam facit.*

2 Quæque ſummam habet Reipub. poteſtatem. *Hoc ad eandem partem refertur: nam quorum conſilio Reſp. gubernatur, horum ſumma eſt Reip. poteſtas.*

3 Status popularis ſpecies. *Nam Reſpub. popularis genus eſt, quod multas ſpecies complectitur, & item paucorum potentia, & regnum, vt tertio & quarto libro declaratum eſt.*

4 Si conſilium & ratio mandandi magiſtratus. *Hic eſt vnus temperandi ſeu miſcendi modus, ſi tum Senatus, tum ratio deligendi magiſtratus ſint conuenientes paucorum potentiæ, tribunalia verò optimatum adminiſtrationi. Nam in vulgatis codicibus Græcis hæc verba deſiderantur.* τὰ δὲ περὶ τὰ δικαστήρια ἀριστοκρατικῶς, ἢ τὸ μὲν περὶ τὸ βουλευόμενον, *&c. Sic .n. eſt in emendatioribus ſcriptum.*

5 Et conſilium prout ratio poſcit. *Quæ alia temperatura eſt.*

6 Suprà eſt à nobis declaratum. *Libro quarto.*

7 Quod pertinet ad oppoſitum. *Nam contrariorum eadem eſt diſciplina & ſcientia. octauo de phyſico auditu.*

8 Non erit idem. *Non erit eadem ſtatus popularis ſpecies.*

9 Ad emendandum. *Ad corrigendum vitium iam conſtitutæ Reip.*

10 Peccant tamen hoc facientes. *Nam qui popularem Rempub. nimis popularem facere conatur legibus modum excedentibus, hoc ipſo eandem euertit, ac eodem modo paucorum potentiam, vt libro ſuperiore docuit.*

11 Communes ſententias. *Quæ communiter omnes opinantur.*

12 Et quæ expetunt. *Quæ cupiunt: ſolet enim Ariſtoteles ſententijs & mo-*

ribus hominum communibus, & deſiderijs naturalibus vti pro legibus naturæ. Nam quod omnibus videtur, id verum eſt, vt ipſe ait Ethicorum decimo. vt quod omnibus aut pleriſque iuſtum eſſe videtur, id ius eſt. in Rhetoric. ad Alexandrum. Quid autem homines ſentiant, non minus moribus factiſq; declarant, quàm verbis, immò magis, vt ipſe decimo Ethicorum libro teſtatur.

CAPVT II.

1.2.3. 1 2 FINIS igitur ſtatus popularis eſt libertas: 3 ſic enim dici con-
4. ſueuit, in ſola populari Repub. homines libertate frui, quoniam 4
5. huc ſpectare ſtatus omnis popularis dicitur. Eſt autem 5 vnum li-
bertatis ſignum, ſi ſit imperandi viciſſitudo. Ius enim populare eſt,
6. 6 vt æquale quiſque ſecundum numerum, non ſecundum dignita-
7. tem habeat. Cum hoc autem ſit ius, neceſſe eſt 7 multitudinem eſſe
8. dominam: & quicquid pluribus viſum fuerit, 8 hoc eſſe finem, & hoc eſſe ius. Nam ciuis quiſque vt æquum habeat, oportere aiunt. Quo fit, vt in ſtatibus popularibus egeni maiorem auctoritatem quàm locupletes habeant, quoniam plures ſunt: ratum eſt autem quod pluribus videtur. Hoc eſt igitur vnum libertatis ſignum, quod omnes populares finem Reipub. conſtituunt. Alterum ſignū eſt viuere vt quiſque vult. hunc enim libertatis effectum eſſe dicunt, cum ſeruitutis argumentum ſit, quod viuit non vt vult. Hic
9. eſt igitur 9 ſecundus terminus ſtatus popularis. Vnde natum eſt illud, nullius imperio parendum eſſe, quod primum eſt: vel quod
10. proximum, viciſſim eſſe parendum. & hoc modo ad 10 libertatē ex æquali confert. His poſitis, & tali principio iacto, hæc popularia
11. ſunt, vt omnes magiſtratus 11 ex omnib. conſtituantur: vt omnes imperium in ſingulos, & ſinguli vicisſim in omnes teneant: vt ſortibus mandentur magiſtratus, vel omnes, vel certe quicunque peritiam & artem non requirunt: vt à nullo, aut quàm minimo cenſu mandentur: vt nullum magiſtratum idem bis gerat, vel non ſæpe, vel paucos, bellicis exceptis: vt breuis temporis magiſtratus ſint, vel omnes, vel certe ij quorum ratio id patitur: vt omnes iudicia
12. exerceant ex omnib. 12 ac de omnibus, vel de pleriſque, & de maximis, & in quibus vertitur ſumma rerum, vt de correctione magi-
13 ſtratuum, & 13 de Repub. & contractibus priuatis: vt conuentus popularis ſummam omnium rerum poteſtatem, aut certe maximarum habeat: nullius autem magiſtratus arbitrio quicquam, vel quàm

quàm pauciſſima permittantur. Ex magiſtratibus autem maximè
populare conſilium eſt, vbi non ſuppetit omnibus mercedis copia:
14 hic enim huius quoque magiſtratus poteſtatem minuunt, quo- 14.
niam populus mercede ſuppetente ad ſe cuncta iudicia trahit, vt in
ſuperiore commentatione declarauimus. Præterea vt merces om-
nibus tribuatur, quod primum eſt concione tribunalibus & magi-
ſtratibus: ſin hoc minus licet, at ſaltem magiſtratibus, tribunalibus,
conſilio, & concionibus principalibus, aut ex magiſtratibus ijs, 15 15.
quibus eſt ſimul cibum capere neceſſe. Adhæc cum paucorum po-
tentia, genere, diuitijs, ac doctrina definiatur, quæ his oppoſita
ſunt, ea videntur eſſe popularia, ignobilitas, egeſtas, & ſordida o-
pificia. Eſt etiam populare in magiſtratibus nullum eſſe perpetu-
um, 16 aut ſi quis ſit ex vetere mutatione relictus, vt potentia ipſius 16.
amputetur, vtque ex ſuffragijs ad ſortes reuocentur. Atque hæc
quidem ſunt ſtatibus popularibus communia. Cæterum ex iure,
quod eſt omnium conſenſu populare: hoc autem eſt, vt omnes
habeant æquale, ſecundum numerum ſtatus, 17 qui maximè popu- 17.
laris dicitur, & eſſe videtur, & populus exiſtit. Eſt enim æquum, vt
imperia nihilo magis egeni teneant quàm locupletes, nec ſoli ſum-
mam poteſtatem, ſed omnes ex æquo ſecundum numerum tene-
ant. Sic enim æqualitatem, libertatemque Reipublicæ adeſſe pu-
tant.

Scholia in Caput II.

1 FINIS igitur ſtatus popularis eſt libertas. *Finis quo ſpectat ſtatus
popularis eſt libertas. Signum popularis gubernationis eſt imperandi viciſſitu-
do. Ius populare eſt æqualitas arithmetica. Alterum ſignum eſt, ſi quiſque vi-
uat, vt vult: hinc enim illa communis ſententia vana eſſe videtur, nemini eſſe
parendum, aut certè viciſſim parendum. Res inſtitutaq́; popularia hæc ſunt,
vt omnes magiſtratus ex omnibus ordinibus conſtituantur: vt omnes ſingu-
lis, viciſſimq́; ſinguli omnibus imperent: vt magiſtratus ſortitò mandentur,
ijs exceptis qui vſum aut artem requirunt, hi enim ſuffragio mandari de-
bent, vt nullus cenſus, aut minimus ad gerendum magiſtratum requiratur,
vt nullum aut paucos magiſtratus bis gerere liceat, aut non ſæpe præter
bellicos: vt omnes ad breue tempus ſi ratio magiſtratus ferat, mandentur:*

vt omnes & ex cunctis ordinibus iudicia de omnibus rebus, aut certè de pleriſque & grauiſsimis exerceant. Eſt etiam populare vt ſit conſilium, ſiue Senatus ad publicas deliberationes, ſi merces egenis conſultandi gratia populariter conuenientibus non ſuppetat, vt merces omnibus Rempub. gerentibus, ſi facultates adſint, tribuatur: ſin minus, ijs qui maximos magiſtratus gerunt, & ſimul cibum capiunt. Sunt etiam popularia, ignobilitas, egeſtas, & artes ſordidæ, vtq; nullus magiſtratus ſit perpetuus.

2 Finis igitur. *ὑπόθεσις inter alia id ſignificat, quo res maximè nititur, & quod maximè ſpectat, quaſi quod primum eſt & vltimum, quod vtrunque in fine cōgruit. Nam primum omnium in deliberatione finis eſt, qui quaſi fundamentum toti deliberationi iacitur: in actione autem idem finis eſt vltimus. Quo fit, vt eadem res, quæ ὑπόθεσις nomine ſignificatur, modo fundamentum modo finis rectè conuertatur. Nam ὑπόθεσις ad verbum eſt ſuppoſitio, quo nomine principia in mathematicis appellantur. Finis autem principium eſt in actionibus, perinde ac ſuppoſitiones in mathematicis. Ethic. ſeptimo.*

3 Sic dici conſueuit. *Quaſi dicat communis eſt hominum ſententia.*

4 Huc ſpectare. *Huc omnia referre, quaſi ad finem.*

5 Vnum eſt. *Vnum ſignum popularis adminiſtrationis eſt, vt vnuſquiſque modo imperet, modo pareat imperio.*

6 Vt quiſque æquale ſecundum numerum, non ſecundum dignitatem habeat. *Vt in diſtributione Reip. æqualitas arithmetica, non geometrica ſcrutetur, vt tantum vni quantum alteri tribuatur, non autem pro ratione ſeu proportione diuitiarum, aut nobilitatis.*

7 Multitudinem eſſe dominam. *Arbitrio multitudinis Rempublicam geri.*

8 Hoc eſſe finem, & hoc eſſe ius. *Vt non ſit amplius deliberandum, ſed pro iuſto habendum, quicquid viſum fuerit multitudini.*

9 Secundus terminus. *Secundus finis. Nam hæc duo ſigna fines quoque ſunt qui ſpectantur in Repub populari.*

10 Libertatem ex æquali. *Vt non ſit vnus liberior altero, ſed æquo iure omnes modo imperent, modo pareant.*

12 Ex omnibus. *Ex omni ordine diuitum & pauperum.*

12 Ac de omnibus. *Generibus cauſarum.*

13 De Repub. *De cauſis pertinentibus ad Rempub.*

14 Hic enim huius quoque magiſtratus. *Vbi merces omnibus in concionem ad publicas deliberationes conuenientib. tribuitur, populus cum plurimus, & ſæpe ad deliberandum conueniat, auctoritatem & poteſtatem conſilij ſiue Senatus tollit, quoniam nihil ei relinquit, quum de omnibus populus ipſe*

ipſe deliberet & conſtituat. Nam mercede non propoſita egeni res priuatas publicis anteponunt, vt victum & res neceſſarias parent. Et ſic eſt conſilio, ſiue Senatui locus.

15 Quibus eſt cibum ſimul capere neceſſe. *Nam vt Lacedæmone ciues omnes quinideni, aut alio munere comeſſabantur, ſic in quibuſdam alijs Rebuſpublicis quidam magiſtratus ſimul cibum capiebant.*

16 Aut ſi quis ſit ex vetere mutatione relictus. *Status popularis quandoque non à principio in aliqua ciuitate conſtituitur, ſed ex alia Reipub. forma mutatur, vt ex paucorum potentia, ſed ita vt non omnia moueantur, ſed quædam inſtituta & quidam magiſtratus maneant. Ex tali ergo mutatione ſi quis magiſtratus perpetuus fuerit relictus, huius poteſtatem minuendam eſſe dicit in ſtatu populari: & ſi ſuffragio mandabatur, ad ſortes eſſe redigendum.*

17 Qui maximè popularis eſſe videtur, & populus. *Extrema & peſſima forma ſtatus popularis, quam ſolet Ariſtoteles populum nominare, vbi nihil ferè ad legum præſcripta, ſed cuncta populi arbitrio decretiſq; geruntur.*

CAPVT III.

1 HINC ſequitur, vt 2 quomodo æquum habebunt, diſſera- 1. 2.
mus. Vtrum 3 quingentorum cenſus oporteat mille hominib. par- 3.
tiri, vtque ipſi mille tantum quantum quingenti valeãt? an non ſit
hac ratione æqualitas conſtituenda, ſed facta in hunc modum par-
titione, 4 totidem ex quingentis quot ex mille ſumere conueniat, 4.
5 & his ſummam conſultandi, & iudicandi poteſtatem tradere? V- 5.
trum igitur hęc Reſpub. iuſtiſſima eſt iure populari, an potius 6 quę 6.
multitudinem ſpectat? Nam populare quicquid pluribus viſum fue
rit, iuſtum eſſe confirmant: paucorum verò potentiæ ſtudioſi, quic-
quid 7 maioribus patrimonijs placuerit, nam ex opum magnitudi- 7.
ne 8 iudicium eſſe faciendum. Sed vtrunque iniquitatem & iniu- 8.
ſtitiam habet. Nam ſi pro iure habendum eſt quicquid pauci con-
ſtituerint, vtique res ad tyrannidem ſpectat, quoniam ſi vnus plu-
ra quàm cæteri diuites poſſideat, is vtique iure paucorum potentię
merito imperium ſibi ſoli vendicabit. Sin autem quod plurib. nu-
mero, iniuriam inferent, 9 bona diuitum & paucorum, vt ſuprà di- 9.
ximus, publicantes. Quæ igitur erit æqualitas de qua inter vtroſque
conueniet, ex iuſtis quæ vtrique definiunt, conſiderari debet. Id e-

nim ratum eſſe oportere aiunt, quod ciuium maiori parti placuerit. Sit igitur ſanè hoc, non tamen omni ratione, ſed cum ſint duæ partes ex quibus ciuitas conſtat, id ratum ſit, quod vtriſque fuerit vel maiori parti viſum: & ſi contraria placuerint, id quod pluribus
10. viſum fuerit, & ijs qui maiorem cenſum habent: 10 exempli gratia. Sunt alteri decem, alteri viginti: & ex illis ſex aliquid placuit, aliud quindecim ex pauperibus: & pauperibus diuitum quatuor acceſſerunt, diuitibus autem pauperum quinque: quorum cenſus vtriſque connumeratis ſuperauerint, horum ſententia vincat. Quod ſi forte pares fuerint, hæc controuerſia perinde fuerit dirimenda, vt nunc, cum populares conuentus aut iudices in duas æquas partes ſcindũtur, dirimitur: aut enim ſortibus minuenda eſt controuerſia, aut alia ratio ſimilis incunda. Cęterum de æquo & iure quamuis difficil-
11. limum ſit veritatem inuenire, 11 facilius tamen id fortuna continget, quam ijs perſuaſis, qui ſuperiores eſſe poſſunt. Nam imbecilliores ſemper æquum & iuſtum quærunt, potentioribus autem id nihil eſt curæ.

Scholia in Caput III.

1 HINC ſequitur, vt quomodo æquum habebunt diſſeramus. *Quoniam ſumma popularis adminiſtrationis eſt, vt æqualitas inter omnes ſeruetur, videndum eſt qua potiſſimum ratione ſeruari debeat. Nam vna ratio eſt, vt tantum ponderis ſententia mille pauperum habeat, quantum quingentorum diuitum. Alia, vt ex quingentis diuitibus tot homines ad gerendos magiſtratus, quot ex mille pauperibus deligantur: quarum vtraque ratio iuſtior & æquior eſt, quum illud, vt ratum ſit, quicquid multitudini viſum fuerit vt placet popularibus, & quam vt ratum ſit quod placet ijs, in quibus vincit patrimonium, quoniam ex ambabus poſterioribus rationibus magna incommoda oriuntur.*

2 Quomodo æquum habebunt *Quomodo æquè honoribus & commodis Reip. participabunt.*

3 Quingentorum cenſus partiri mille hominibus. *Conferre & æquare mille pauperes cum quingentis diuitibus, vt bini pauperes cenſu ſingulos diuites æquare videatur, & ita ſententia quingentorum diuitum, quantum mille pauperum valeat, & vnus diues ſit pro duobus egenis.*

4 Totidem ex quingentis. *Vt viginti, exempli gratia, deligantur ex egenis, ſiue ſorte ſumantur, & totidem ex diuitibus.*

5 Et his ſummam conſultandi& iudicandi poteſtatem tradere, *Quod gracè eſt διαίρεσιν, & plerunque diuiſiones ſignificat, hoc interpres commodius ad conſultandi intelligentiam retulit. Nam verbum διαιρεῖν, quod propriè eſt diuido, ſæpe cum ab alijs auctoribus, tum frequenter ab Ariſtotele pro differere & diſceptare dicitur, & διαίρεσις pro diſputatione ſeu diſceptatione, & hoc in loco pro deliberatione ſeu conſultatione. Nam conſultatio, diſputatio, ac diſceptatio, quadam eſt qua intelligētia aptiſſimè huic loco quadrat. Omnes enim magiſtratus aut certè grauiſſimi quique in conſultando aut in iudicando, vel in vtroque verſantur: diuiſionis autem intelligentia longè aliena huic loco eſſe videtur.*

6 Quæ ſpectat multitudinem. *In qua numeri ratio non fortunæ & conditionis habetur.*

7 Maioribus patrimonijs. *Locupletioribus hominibus, qui habent maiora patrimonia.*

8 Iudicium eſſe faciendum. *Sententias eſſe exiſtimandas & ponderandas.*

9 Bona diuitum publicantes. *Per bonorum æquationem.*

10 Exempli gratia, ſunt alteri decem, alteri viginti. *Decem diuites, & viginti pauperes, vt ſint pares cenſus diuitum & pauperum. Nam vnuſquiſque diuitum pro duobus pauperibus habendus eſt, vt in vno diuite duos cenſus intelligamus, in pauperibus autem ſingulos: hic enim ſenſus ad id quod paulò antè dixerat refertur. Quingentorum cenſus diuidantur mille hominibus, quod eſt, vt declarauimus, quingentorum diuitum cenſus, pro cenſibus mille pauperum habeantur. Si ergo aliud viſum fuerit ſex diuitibus & quinque pauperibus, aliud quindecim pauperibus & quatuor diuitibus, vincat horum ſententia, quoniam cenſus eorundem ſuperat. Nam quatuor diuites pro cenſibus octo ſunt, qui pauperibus quindecim adiecti, ſiunt viginti tres cenſus, cum illi alteri ſint omnino cenſus decem & ſeptem: nam in ſex diuitibus duodecim cenſus intelligimus, qui additi quinque pauperibus, ſiunt decem & ſeptem.*

11 Facilius fortuna contingat quàm perſuaſis, qui ſuperiores eſſe poſſunt. *Facilius quod iuſtum eſt beneficio fortunæ per ſortes obtineri valeat, quàm perſuaſis aduerſarijs, qui poſſunt eſſe aliqua ratione ſuperiores, ad id de quo contenditur obtinendum. Itaque commodius ac tutius eſt ei parti quæ imbecillior eſt in Rep. ſi ſententiæ pares ſint, rem ſortibus fortunæq; committere, quàm iuris & æqui rationes alias experiri.*

Rebuſp. vtiliſſimum, fiet vt boni citra peccatum magiſtratus ge-
rant, ſine vllo multitudinis detrimento. Hunc igitur ex ſtatibus
popularibus optimum eſſe, & quam ob cauſam, perſpicuum eſt,
propterea ſcilicet quòd talis eſt populus. Vt autem populus ad agri-
culturæ ſtudium inducatur, vtiles omnino ſunt leges quibus multi
antiquitus vtebâtur, vt prorſus non liceat cuiquam agri 9 plus certa 9.
menſura poſſidere, 10 vel à certo loco ad vrbem & oppidum. Anti- 10.
quitus etiam in multis ciuitatibus 11 primæ ſortes vendi lege, veta- 11.
bantur. Eſt etiam lex quam 12 ab Oxylo latam eſſe ferunt, agrum 12.
13 fœnori ad certam partem addicere vetans. Nunc autem dirigere 13.
oportet 14 Aphytalorum lege: eſt enim ad id qud agimus accom- 14.
modata. Nam cum illi anguſtos fines pro multitudine hominum
poſſideant: omnes tamen ſunt agriculturæ dediti, quia 15 non cen- 15.
ſent totas poſſeſſiones, ſed per tantas partes, vt poſſint etiam paupe-
res cenſibus ſuperare, diuidunt. 16 Poſt agricolas optimus eſt paſto- 16.
rum populus, & qui ex pecore viuunt: multa enim habent quæ pro-
ximè ad agriculturam accedunt: & hi maximè per exercitationem
17 habitus nacti ſunt bellicis muneribus accommodatos, & habent 17.
durata corpora, vt facilè ſub dio manere poſſint. Cæteræ multitu-
dines ex quibus alij ſtatus populares conſiſtunt, his multo ſunt de-
teriores. Eſt enim vita ignaua, nec cum virtute fit opus vllum ex
his quæ opificum, & 18 forenſium, & mercenariorum hominum 18.
multitudo tractat. Et quoniam hoc ferè genus hominum circa fo-
rum & frequentiorem vrbem verſatur, facilè in concionem con-
ueniunt. Agricultores autem cum ſint per agros diſperſi, non con-
grediuntur inter ſe, nec eis perinde huiuſmodi conuentus eſt cor-
di. Veruntamen vbi regionis ſitus is eſt, vt agri procul ab oppido
diſtent, hic facilè eſt optimum ſtatum popularem & Remp. con-
ſtituere: multitudo enim in agris 19 quaſi per colonias habitare co- 19.
gitur. Itaque in ſtatibus popularibus, quamuis turba forenſis adſit,
tamen 20 ſine agreſti concionem cogere non oportet. Cum igitur 20.
optima atque prima Reſpub. popularis quomodo conſtitui debe-
at, ſit à nobis explicatum: in promptu eſt intelligere, quomodo ſint
cæteræ conſtituendæ. Nam eandem rationem ſequentes diſcedere
oportet, & ſemper multitudinem peiorem ſeparare. Extrema verò
popularis Reſpub. cum omnibus communicetur: nec ferri ab om-
ni ciuitate, nec facilè conſeruari poteſt, niſi recte fuerit legibus at-
que moribus conſtituta. Cæterum quæ res hanc & cæteras Reſpu-

21. blicas labefactare ſoleāt,magna ex parte 21 ſuprà fuit à nobis expli-
22. catum.Sed ad hunc ſtatum popularem conſtituendum,& 22 popu-
lum validum efficiendum,qui huic muneri pręſunt,tum quamplu-
rimos adſciſcere,tum ciues nō modo legitimos, ſed etiam nothos,
& ex alterutro parente ciue procreatos,id eſt ex patre aut matre ci-
ue genitos facere conſueuerunt. Hoc enim genus omne accom-
modatius eſt tali ſtatui populari. Ad hunc igitur modum duces po-
23. pulares conſtituere ſolent:adſciſcere tamen oportet,23,donec mul-
titudo nobiles aut mediocres excedat: nec tamen vltra procedere
conuenit. Nam ſi nimium excedant,ſtatum Reipub. magis pertur-
bant, magiſque ira nobiles incendunt, quo minus ſtatum popula-
24. rem ferant: 24 quod Cyrenis cauſa ſeditionis fuit. Nam exiguum
malum non animaduertitur:idem ſi fiat maius,magis eſt in oculis.
25. Sunt etiam huic Reipub.populari commoda conſilia, 25 quibus &
Athenis Clyſthenes, cum vellet adminiſtrationem popularem au-
26. gere, & Cyrenis vſi ſunt qui ſtatum popularem conſtituebant. 26
Nam & tribus aliæ frequentiores conſtituendæ ſunt, & ſodalitates
per priuata ſacra in pauciores & publicas redigendæ, & callide om-
nis ineunda ratio, vt cuncti quàm maximè miſceantur inter ſe, ac
27. 27 priores conſuetudines aboleantur. Præterea tyrannicæ molitio-
nes cunctæ populares eſſe videntur, vt ſeruorum indulgentia: hæc
autem quadamtenus fuerit vtilis, & mulierum ac puerorum licen-
tia. Item viuere vt quiſque velit permiſſio, quoniam ſic magna erit
tali Reipublicæ fauentium multitudo. Nam vulgo diſſoluta grati-
or eſt, quàm temperata vita.

Scholia in Caput IIII.

1 Sed cum ſtatus populares ſint quatuor. *Quatuor ſunt Reipub. popularis formæ ſiue ſpecies, quarum illa optima eſt & vetuſtiſſima, cuius populus conſtat agricolis: qui cum inopia ſtudere rei familiari cogantur, non ſæpe in concionem conuenire poſſunt. Quo fit vt leges in tali Republic. dominentur, vt in quarto libro declaratum eſt. Vulgus enim quæſtui magis quàm honori ſtudet: & ſi qua eſt ambitio, huic erit ſatisfactum, ſi populo magiſtratus mandandi & corrigendi, rationemque geſti muneris repoſcendi poteſtas permittatur, aut certè publicis deliberationibus intereſſe liceat. Prima igitur forma & optima eſt agricolarum, vtque omnes aut ex omnibus delecti mandandi & corrigendi magiſtratus & iudicandi facultatem habeant, ita ta-*

men

men vt ſummi magiſtratus à maximis cenſibus mandentur: aut certè gerantur ab ijs qui gerendi facultatem, id eſt virtutem, otium & peritiam habeant. Secunda, & huic proxima Reſpub. popularis eſt, cuius populus paſtoribus conſtat, qui animo & corpore ad munera quædam bellica obduruerunt. Nam Reſpub. quarum populus mercatoribus omnis generis, opificibus & mercenarijs conſtat, multo ſunt deteriores: tum quia iſtorum ſtudia & opera nihil habent cum virtute commune, tum quia facilius poſſunt in concionem conuenire. Cui malo ſic eſt occurrendum, vt huic turbæ ſine agricolarum multitudine in concionem cogi, ſeu populariter de Repub. conuenire non liceat. Vltima verò vt peſſima eſt, ſic multis cautionibus vt conſeruetur indiget: quarum illa maxima eſt, ne omnis generis turba popularis vltra modum, ſed quantum ſatis eſt, vt potentior diuitibus & mediocribus ſit, augeatur. Prodeſt etiam tribuum augere numerum, & omni ratione vt omnes inter ſe miſceantur prouidere, & ſeruis mulieribuſq́; & pueris viuendi licentiam permittere, vt in tyrannide dictum eſt. hic enim populus, vt ſæpe dicimus, tyrannum æmulatur.

2 Status popularis. *Vna ſpecies ſtatus popularis.*

3 Hac ratione quod deeſt, ſarcietur. *Quòd magiſtratus non gerant in paucorum potentia, deligendi magiſtratus, & eoſdem corrigendi facultate compenſatur.*

4 Sed quibuſdam per partes ex omnibus delectis. *In quibuſdam Rebuſpub. non omnes ſimul populares ad mandandos magiſtratus conueniunt, ſed ex ſingulis tribubus, exempli gratia, deni aut duodeni deliguntur, qui pro cunctis ſuffragia ferant: tamen omnes habent facultatem in populari concione deliberandi, vt olim Mantineæ, quæ ciuitas eſt Arcadiæ.*

5 Deligant & corrigant magiſtratus. *Quod dupliciter fit, vt alio in loco declarauimus, vel ex prouocatione ſententias & iudicia ipſorum emendando, vel geſti muneris rationem repoſcendo.*

6 Aut in nullo cenſus habita ratione, qui habent gerendi facultatem gerant. *Aut nullus magiſtratus pro ratione cenſus mandetur, ſed ſummi magiſtratus ab idoneis hominibus quibus otium ſuppetat, & virtus atque peritia neceſſaria gerantur.*

7 Vt animi pendeant: *Animi pendere dicitur magiſtratus, quem ea cura ſollicitat, ne perperam aut iniuſtè aliquid geſsiſſe ijs quorum iudicium ſubire debet, videatur.*

8 Malum quod eſt in quoque homine cauere. *Iram & cupiditatem, quibus malis homines, ſi impunitas adſit, agitantur. Nam timor pœna ſæpe iram & cupiditatem reprimit.*

9 Plus certa menſura poſſidere. *Vt Romæ poſt exactos reges cuique de plebe aſsignata erat menſura, ſeptem iugera, vt refert Plinius. Itaque hac ratione Ariſtotelica factum eſt, vt diu populus Romanus maxima ex parte agricolis conſtaret. Nam agri ſi per exiguas partes diuidantur, omnes ciues ſiunt participes. Qui autem agellum habent, ij omnes ferè ipſum colere coguntur. pauci enim locant aut conducto aratore vtuntur: vt initio Romani ab aratro ad conſulatum & dictaturam vocabantur, & quidam functi publico munere ad aratrum redibant.*

10 Vel à certo loco ad vrbem & oppidum. *Intra certum interuallum ab vrbe ſiue oppido.*

11 Primæ ſortes vendi lege vetabantur. *Primas ſortes vocat partes agri, quæ condita vrbe aut colonia deducta, ſingulis conditoribus ſiue colonis per ſortes, vt fieri ſolet diſtribuuntur, quantum ſcilicet ſatis cuique fore videtur ad vſus neceſſarios, ſi induſtria adhibeatur.*

12 Ab Oxylo. *Legumlatore.*

13 Fœnori ad certam partem addicere. *Exempli gratia, ad quartam partem pretij quo totus ager æſtimaretur, ne ſors & vſura procedere poſsit ad quartam partem.*

14 Aphytalorum lege. *Aphytali qui ſint apud Geographiæ auctores inuenire non potui, ſed fortaſſe ἀφυταίων pro ἀφυτάλων legendum eſt, Aphytæorum pro Aphytalorum facillimo lapſu: nam interdum αι diphtongus ſic ſcribitur producto i, vt videatur αι, Aphytæi autem ab Aphyta dicuntur vrbe Thraciæ.*

15 Non cenſent totas poſſeſſiones, ſed per tantas partes diuidunt. *Sic habent agros diſtributos vt omnes habeant æquas partes, exempli gratia, ſeptena iugera. Itaque ſi qui fundus quadraginta duobus iugeris conſtet, is non ab vno aliquo, ſed à ſex ciuibus poſsidetur, quo fit vt pauperes, quemadmodum multitudine, ſic etiam cenſibus vincāt diuites qui pauci ſunt, non igitur cenſent totam poſſeſsionem in vnius ſcilicet ciuis patrimonio, ſed partem in quoq;. Itaque quod pertinet ad agros omnes habent paria patrimonia, quamuis pecunijs & ſupellectile diuites excedant.*

16 Poſt agricolas. *Poſt agricolarum populum.*

17 Habitus bellicis muneribus accommodatos. *Nam per conſuetudinem algores æſtuſq; ferendi & frugaliſsimè viuendi, & ſub dio pernoctandi habitus induunt.*

18 Forenſium. *Mercatorum & tabernariorum, & inſtitorum.*

19 Quaſi per colonias habitare. *Nam ex vna domo filiorum & poſterorum numero augeſcente, alia propagantur. Cum autem ex vna domo, qui domum*

mum aliam ſeparatim in agro habitent emittuntur, ſimile eſt, ac ſi ex vna vrbe nimis aucta multitudine hominum, colonia in aliquod oppidum deducatur, vt primo libro declaratum eſt.

20 Sine agreſti. *Sine turba agricolarum. Idcirco autem prouidendum eſt, ne frequentes conciones fiant, quoniam ſi frequenter populus ad publicè deliberandum in concionem conueniat, Reſp. non ex legibus ſed decretis de ſingulis rebus quæ quotidie contra leges fiunt, pro libidine & temeritate populi geritur: qui vt eſt Reipub dominus, poteſt quicquid velit contra leges, per decreta ſeu plebiſcita conſtituere, & ita Reſpub. in peſſimum ſtatum tyrannidi ſimillimum delabitur, vt lib. iiij. declaratum eſt.*

21 Suprà fuit à nobis explicatum. *Libro quinto.*

22 Populum validum *Remp. popularem peſſimam, & cui parum ſit ex alijs generibus admiſtum.*

23 Donec multitudo nobiles ac mediocres excedat. *Donec egeni numero vincant eos qui diuitijs, genere, virtute ſeu doctrina nobiles ſunt, his enim generibus nobilitas continetur, & eos qui medium tenent inter egenos & nobiles.*

24 Quod Cyrenis fuit ſeditionis cauſa. *Nam propter magnam rerum perturbationem quam Reip. turba popularis inferebat, irata nobilitas aduerſus populum conſpirauit. Cyrena autem vrbs eſt Africa, Græci generis, caput Cyrenaicæ regionis, quæ Aegyptum attingit.*

25 Quibus Clyſthenes vſus eſt. *Clyſthenes Ariſtide ſocio poſt exactos tyrannos Remp. Athenienſium conſtituit, vt refert Plutarchus.*

26 Nam tribus aliæ frequentiores. *Pleniores hominibus, vt latius pateat tribulium neceſſitudo. Numerus igitur tribuum minui debet quemadmodum ſodalitatum, vt ſic cuiuſque multitudo hominum creſcat, & mutua charitas per conſuetudinem mutuam quam tribules habent, inter ſe, dilatetur.*

27 Priores conſuetudines. *Familiaritates & ſocietates quæ fuerunt in ea Republica, quæ in hanc popularem extremam tranſiuit.*

CAPVT V.

1 EST autem legumlatoris munus, ac eorum qui talem quan- 1.
dam Remp. conſtituendam ſuſceperint, 2 non maximū opus ſtrue- 2.
re, nec ſtruere ſolum, ſed multo etiam magis rationem qua diu conſeruetur inire. Nam vnum aut alterum tréſve dies qualemcunque Reip. rationem conſeruari, non eſt difficile. Itaque ex ijs præceptis quæ ſuprà ad ſalutem, viciſſimque Rerump. perniciem pertinentibus dedimus, diligenter oportet præſidium, vt tutior ſit Reſpub. cōparare, vitandis ijs quæ labefactare ſolent, & legibus tum nō ſcri-

ptis,tum etiam ſcriptis ferendis,quæ Reipub.prę ſidia ſalutaria maximè contineant: nec id populare eſſe, aut conueniens paucorum potentiæ exiſtimare, quod facit vt ciuitas nimis vel populariter, vel conuenienter paucorum potentię adminiſtretur,ſed quod diuturnitatem parit. Quare cum huius temporis duces populares, vt
3. populis gratificentur, multorum bonorum publicationem 3 tribunalium occaſione moliantur :econtra, hæc, quibus cordi Reſp.eſt, contraria præſidia comparare debent,ac lege ſancire, vt damnatorum quæ publicantur bona, non populo, ſed ſacris adiudicentur. Nec enim minus homines ab iniuria deterrebuntur, cum perinde mulctentur,& turba popularis nullo quæſtu propoſito magis à reorum damnatione temperabit. Prouidendum eſt etiam vt ſemper
4. 4 iudicia quæ publica fiunt,quàm pauciſſima ſint,magnis pœnis, ſi quis falſum crimen intulerit,ſanciendo : nec enim egenos,ſed nobiles ſolent in crimen vocare. Oportet etiam vt ciues omnes Reip. ſint amici, aut certè ne ſummos magiſtratus hoſtili odio proſequantur.Sed cum extremi ſtatus populares multis hominibus con-
5. ſtent, & 5 ſine mercede conciones obire difficile ſit, quod nobili-
9. bus, 6 vbi vectigalia non ſuppetunt, pernitioſum eſt, cum hoc ex collatione tributorum,& bonorum publicatione, & falſis iudicijs fieri ſit neceſſe:quæ res multos ſtatus populares euertit. Hæc igitur cum ita ſint,vectigalibus non ſuppetentibus,raras conciones cogere, & iudicia demultis quidem rebus, ſed tamen paucis diebus ex-
7. erceri conſueuit. Hoc enim prodeſt, 7 vt diuites ſumptus non metuant,ſi merces non diuitibus,ſed egenis tribuatur,ac vt cauſę commodius dijudicentur, quoniam diuitibus diutius abeſſe à re ſua familiari moleſtum eſt, quod ijdem paucis diebus non ægre ferunt. Vbi verò vectigalia ſuppetunt,vitari id debet:quod nunc duces populares faciunt, qui quod ſupereſt diuidunt, & ipſi partem accipi-
8. unt,ruſuſque indigent eodem:nam tale ſubſidium 8 quaſi dolium
9. perforatum pauperibus eſt. At 9 qui verè popularis eſt, huic ne multitudo nimium egeſtate laboret,prouidendum erit. hæc enim cauſa eſt,vt prauus ſit ſtatus popularis. Vt diutius igitur copia ſup-
10. petat,ratio eſt ſolerter ineunda. Quod 10 cum ſit etiam locupletibus vtile pecunias ex vectigalibus congerere,& congeſtas pauperibus diſtribuere conuenit,prę ſertim ſi tantum cogi poſſit,vt emen-
11. do agello ſufficiat:ſin minus, quod 11 ad mercaturę agriculturæ vel occaſionem ſit ſatis. & ſi cunctis non liceat, at certè per tribus, aut

alias

alias ciuitatis partes viciſſim fiat diſtributio: ſed interim diuites
mercedem ad habendas conciones conferre debent. 12 Sumptu & 12.
cura munerum inanium liberati Carthaginienſes, huiuſmodi qua-
dam ratione Remp.adminiſtrantes,gratiam à popularibus ineunt.
Semper enim quoſdam eorum ad populos circumiectos mittentes
13 locupletant. Eſt autem intelligentium prudentiumque nobili- 13.
um,vt egenos inter ſe partiti 14 occcaſiones eis operandi præbeant. 14.
Eſt etiam honeſtum Tarentinos imitari, qui poſſeſſiones 15 ad v- 15.
ſum communes cum pauperibus faciunt, & ſic gratiam multitudi-
nis aucupantur. Præterea magiſtratus omnes bifariam diuidebant,
vt alteri ſuffragio,alteri ſortibus mandarentur: ſortibus, vt ſic po-
pulo communicarentur:ſuffragio,vt commodius adminiſtraretur
Reſp.Sed hoc facere licet 16 eundem magiſtratum diuidendo, vt a- 16.
lijs ſortito,alijs ſuffragio mandetur. Quomodo igitur ſtatus popu-
lares conſtituendi ſint,declarauimus.

Scholia in Caput V.

1 EST autem legumlatoris munus,ac eorum qui talem quandam Rempub. *Præcipua cura legumlatoris qui quartam ſpeciem Reipub.popularis conſtituere velit eſt,vt eam diuturnam faciat, quanquam ea cura in omni Repub conſtituenda debet eſſe prima. Ad diuturnitatem igitur Reipub. popularis facit,vt bona damnatorum ſi fuerint publicanda,non populo,ſed templis ad cultum diuitum & ſacrorum procurationem adiudicentur. Item prouidendum eſt,vt perpauca ſint iudicia de rebus Rempub. attingentibus, quæ capite ſolent & bonorum publicatione ſanciri. Adhæc vt omnes ciues præſenti ſtatu contenti ſint,aut certe ne odio ſummos magiſtratus habeant: vtque raro populus in concionem ad publicè deliberandum conueniat, præſertim non ſuppetentibus vectigalibus. Eſt etiam prouidendum ne multitudo nimium paupertate laboret.*

2 Non maximum opus ſtruere nec ſtruere ſolú. *Nõ conſtituere maximam ciuitatem, ne ſua mole labatur:nec conſtituere duntaxat,ſed prouidere etiam vt diu conſeruari poßit.*

3. Tribunalium occaſione moliantur. *Multi diuites calumniantes efficiunt, vt à pauperibus in quorum poteſtate ſunt tribunalia damnentur, & ipſorum bona publicentur,hoc eſt fiſco ſeu publico ærario adiudicentur.*

4 Iudicia quæ publica fiunt. *Quæ pertinent ad Remp.Nam talia crimina ſummis pœnis vindicari ſolent, vt crimen læſæ aut imminutæ maieſtatis, quod*

capite & bonorum publicatione ſancitum eſt. Quod ita demum fiet ſi magna pœnæ fuerint ijs, qui talia crimina falſo detulerint, aut eorum actionem intenderint conſtitutæ.
5 Sine mercede conciones obire. *Vt pauperes nulla mercede propoſita ad populariter deliberandum conueniant, cum eis otium non ſuppetat res neceſſarias conquirentibus.*
6 Vbi vectigalia non ſuppetunt. *In Repub. populari, in qua ex publicis vectigalibus non poteſt merces pauperibus in concionem conuenientibus conſtitui.*
7 Vt diuites ſumptus non metuant. *Impenſam timeant, quæ tribuenda mercede pauperibus qui ad concionem conuenerint fit.*
8 Quaſi dolium perforatum. *Nam quemadmodum humor in dolium perforatum infuſus protinus defluit, ſic parua pecunia pauperibus diſtributa celeriter conſumitur.*
9 Qui verè popularis eſt. *Qui verè ſtudet Reipub. populari. Nam duces & aſſentatores populares non verè ſunt populares, ſed hunc animum & ſtudium oſtentant, vt influant in animos popularium, & ea ratione viam ſibi ad tyrannidem muniant, vel vt publicis bonis alantur.*
10 Cum hoc ſit etiam locupletibus vtile. *Vt populares fortunis augeantur. Sic enim minor erit publica indigentia, minoreq; diuitum detrimento expleri poterit.*
11 Ad mercaturæ agriculturæ vé occaſionem. *Vt poſſint in tempore aliquid emere, quod poſtea carius vendant, vel ſerere aliquid ex cuius prouentu quæſtus fiat.*
12 Sumptu & cura munerum inanium liberati. *Ludorum Theatralium, quos exhibere populo diuites ſolent, vt pro his impenſas Reip. neceſſarias ſuppeditent, vt qua ratione dictum eſt, populares facultatib. augeantur: quo in loco* ἀφωμένους *legendum eſt pro* ἐφωμένους, *ex veteri exemplari.*
13 Locupletant. *Diuites faciunt, ex mercede quam laboris oppidum ſeu gentem adminiſtrandi capiunt.*
14 Occaſiones operandi. *Conductis eorum operis ne volentibus deſit occaſio victum ex labore quærendi.*
15 Communes ad vſum. *Permittentes ſcilicet, vt fructibus poſſeſſionum vtantur, cum aliquo fortaſſe moderamine: vt poſſent, exempli gratia, vuis & ficis ac cæteris fructibus famem explere, dummodo nihil præterea ſecum auferrent.*
16 Eundem magiſtratum. *Vt Senatores aut iudices partim ſuffragiis, partim ſortibus crearentur.*

CAPVT

CAPVT VI.

1 VNDE rationem quoque paucorum potentias conſtituendi 1.
facilè eſt intelligere. Ex oppoſitis enim potentia quæque pauco-
rum conficienda eſt 2 ad oppoſitam popularem ſpectantibus, præ- 2.
ſertim quæ probè temperata eſt, & prima ex paucorum potentijs.
Hæc autem eſt quæ probè ad vocatam Remp. accedit, in qua cen-
ſus partiri, & alios minores, alios maiores facere oportet: minores
à quib. 3 neceſſarij magiſtratus: maiores, 4 à quibus ſummi mâden- 3. 4.
tur: & vt quicunque cenſum nactus fuerit, huic, aditus ad gerendam
Rempub. pateat, & eo numero populares per cenſum adſciſcantur,
vt qui gerunt Rempub. reliquis ſint potentiores. Sed 5 ex meliore 5.
ſemper populo Reipub. gerendæ ſocios adſciſcere oportet: proxi-
mam verò paucorum potentiam ſimili ratione conſtituere, 6 pa- 6.
rum ſcilicet intendentes. At paucorum potentia quæ extremæ po-
pulari opponitur, quæque 7 maximè herilis eſt & tyrannica, hęc vt 7.
peſſima eſt, ſic maxima cautione ac prouiſione indiget. Vt enim
corpora firmæ valetudinis, & nauigia recte nautis ad nauigandum
inſtructa, plura errata citra interitum patiuntur, corpora verò te-
nuis valetudinis & nauigia dehiſcentia, & prauis inſtructa nautis, ne
parua quidem errata ferre queunt: ſic peſſima quæque Reſp. pluri-
mam cautionem ac prouiſionem deſiderat. Populares igitur Reſp.
omnino magna copia hominum cõſeruat. Hoc enim 8 oppoſitum 8.
eſt ei quod eſt pro dignitate iuſtum, quo intelligitur haud dubiè
econtrario, paucorum potentiæ ab ordine petendum eſſe præſidi-
um.

Scholia in Caput VI.

1 VNDE rationem quoque paucorum potentias conſtituendi facilè eſt intelligere. *Docet rationem conſtituendi genera Reipub. paucorum potentiæ. In quorum primo quod optimum eſt, & probè ad vocatam Remp. accedit, cenſus diuidendi ſunt in minores, à quibus aditus ad magiſtratus neceſſarios gerendos pateat: & maiores, ex quibus deligantur qui ſummis magiſtratibus præſint. Quæ ratio ſic eſt ineunda, vt ſemper ij qui magiſtratibus funguntur, reliquis ſint potentiores, & ex popularibus ſemper optimi quique ad gerendam Rempub. cooptentur. Quæ deinde ſequitur paucorum potentia*

eodem

eodem modo conſtitui debet,ſed ad minorem numerum redigendo. Extremæ verò & quæ tyrannidem æmulatur, quo deterior eſt, hoc maiore cura ad ſui conſeruationem indiget Vt autem Reſpub. populares magna hominum multitudine conſeruantur: ſic paucorum potentia ordine ſunt, & ratione tuendæ.

2 Ad oppoſitam ſpectantibus.*Vnaquaque cum ea populari cui maximè aduerſatur comparata.*

3 Neceſſarij magiſtratus.*Sine quibus ciuitas adminiſtrari nequit: vel qui in rebus ad vitam neceſſarijs verſantur,qualis eſt annonæ præfectura.*

4 A quibus ſummi.*Qui ſummam habent Reipub poteſtatem.*

5 Ex meliore populo.*Optimum quemque populariunt.*

6 Parum ſcilicet intendentes.*Magis talem efficientes, quod eſt ad pauciores redigere*

7 Maxime herilis & tyrannica.*In qua pauci imperium in populares, vt dominus in ſeruos,vel tyrannus in oppreſſam ciuitatem exerceat. Hæc autem eſt paucorum potentia,quæ dynaſtia ſiue dominatus dicitur.*

8 Oppoſitum eſt ei,quod eſt pro dignitate iuſtum. *Vt à plurimis hominibus Reſpublica adminiſtretur,& id iuſtum habeatur, quod pluribus numero viſum fuerit. Id oppoſitum eſt iuſto, quod refertur ad hominum dignitatem & merita, in quo diuitiarum ratio, nobilitatisque & virtutis habetur.*

CAPVT VII.

1.2. 1 SED cum multitudinis 2 partes maximæ quatuor ſint,agricolæ,opifices,forenſes,ac mercenarij: & item quatuor quæ gerendis

3. bellis accommodantur,equitatus,pedites grauioris armaturæ, 3 ferentarij,& claſſici milites, vbi ager campeſtris eſt, & equitibus ac-

4. commodatus,hic ſitus natura eſt ad 4 validam paucorum potentiam conſtituendam idoneus,quoniam incolarum præſidium, ſaluſque in equeſtri manu conſiſtit. Equos autem alere hominum eſt magna patrimonia poſſidentium. Vbi verò ager eſt peditibus gra-

5. uioris armaturæ conueniens,hic locus eſt 5 proximè potentię paucorum accommodatus, quoniam grauis armatura locupletum potius quàm egenorum eſt.Expeditorum autem & claſſicorum militum manus, prorſus eſt Reipub. populari conueniens. Nunc igitur

6 vbi magna eſt talis hominū multitudo,exorta ſeditione,6 ſæpe peius pugnant. Cui malo ſumpta à bellicis ducibus medicina mederi

conue-

conuenit, qui cum equitatu & armatis peditibus conuenientem ferentariorum numerum coniungunt: qua ratione populares in ſeditionibus opulentos vincunt. nam cum ſint expediti, facilè equitatum, & grauiter armatos oppugnant. 7 Ex his ergo hanc manum 7.
conſtituere, eſt contra ſe conſtituere. Sed cum duplex ſit ætas, ſintque alteri ſeniores, alteri adoleſcentes, filios ſuos in ætate puerili leuia & expedita munera docere conuenit, 8 ipſoſque cum à pueris 8.
exceſſerint, eſſe operum athletas. Sed multitudini magiſtratus, aut quemadmodum ſuprà diximus, communicandi ſunt, hoc eſt, ijs qui cenſum nacti fuerint: aut 9 more Thebanorum, ijs qui certo tem- 9.
pore à ſordidis artibus abſtinuerint: aut ritu Maſſilienſium, 10 fa- 10.
cto dignorum iudicio, tum eorum qui Rempub. adminiſtrant, tum eorum qui ſunt extra munera publica. Summis autem magiſtratib. quos ab ijs qui ſunt in Rep. geri oportet, annectenda ſunt munera ſumptuoſa, vt populus libenter huiuſmodi magiſtratu careat, nec ijs inuideat, quibus tam magna mercede cõtingit. Conuenit autem vt magiſtratus ineuntes magnifica ſacrificia faciant, ac ædificium aliquod ad publicos vſus erigẽdum curent, vt populus 11 particeps 11.
cõuiuiorũ factus, & vrbẽ partim tẽplis partim ædificijs publicis ornatã cernens, 12 libenter ſaluam Remp. aſpiciat: & ſimul hęc diuitib. 12.
erunt facti ſumptus monimenta. quod nunc tam longè abeſt ab eorum qui tenent paucorum potentias conſuetudine, vt faciant etiam oppoſitum: quippe qui non minus quæſtui ſtudent quàm honori, vt rectè has poſſis 13 paruas populares Reſpub. nominare. Ac 13.
ſtatus quidem populares & paucorum potentias, qua ratione conſtituere conueniat explicauimus.

Scholia in Caput VII.

1 SED cum multitudinis partes maximæ quatuor ſint. *Vt doceat quæ regio apta ſit paucorum potentiæ, quæ Reipub. populari pergatq; rationes quibus paucorum potentia conſeruatur edocere, cum quatuor, inquit, ſint partes quibus tota multitudo continetur, agricolæ, opifices, negociatores, & mercenarij: & item quatuor quæ in bello numerantur, equites, pedites grauioris armaturæ, ferentarij, & claſſici milites, quæ regio campeſtris eſt & equitibus apta, hæc paucorum vltimæ potentiæ conuenit. hic enim robur eſt in equitatu: equos autem alere locupletum eſt. Media verò apta eſt, quæ grauioris armaturæ peditib. conuenit. In qua verò claſſicorũ militum magna copia eſt, & fe-*

rentariorum,hæc apta eſt Reipub. populari. Sed quia in ſeditionibus equites aut pedites grauioris armaturæ ſunt ſine ferentarijs infirmi, idcirco in paucorum potentia diuites debent filios ſuos ab adoleſcentia bellicis ferentariorum muneribus aſſuefacere: prætereà ad Reipub. gerendæ ſocietatem populares aſſumere, vel ex cenſu, vt dictum eſt, vel ex ijs qui longo tempore à ſordidis artibus abſtinuerint, aut quos eo beneficio dignos eſſe iudicauerint. Item ad vitandam popularium inuidiam ſummos magiſtratus cum onere magnorum ſumptuum mandari prodeſt.

2 Partes maximæ. *Quæ totam multitudinem complectuntur.*

3 Ferentarij. *Pedites leuis armaturæ. Vt funditores & miſſilibus iaculis armati & ſagittarij.*

4 Validam paucorum potentiam. *Valde modum excedentem, id eſt vltimam & peſſimam.*

5 Proximæ paucorum potentiæ. *Quæ minus mala eſt, ſed proximè ad huius prauitatem accedit.*

6 Sæpe peius pugnant. *Semper ferè vincuntur equites aut pedites grauioris armaturæ.*

7 Ex his ergo. *Ex popularibus ferentariorum manum conficere.*

8 Ipſoſque cum è pueris exceſſerint eſſe operum athletas. *Ipſos diuitum filios cum adoleuerint vltra pueritiam, vſum cuiuſque muneris militaris habere, vt poſſint etiam vicem ferentariorum explere: & cuiuſque generis armorum vſui apti reddantur, vt athletæ varijs certaminibus ſunt apti.*

9 More Thebanorum qui certo tempore. *Thebis lege cautum erat, ne quis magiſtratum gereret qui ante decem annos mercaturam exercuiſſet, vt ipſe libro tertio tradidit, qua lege, vt videtur, opifices quoque excludebantur.*

10 Facto dignorum iudicio. *Vt ſi quis gerentium Rempub. dignus eſſet iudicatus, ad potiorem magiſtratum proueheretur: & ſi quis ex popularibus dignus eſſet cui magiſtratus mandaretur, is ad gerendam Remp. adſciſceretur.*

11 Particeps conuiuiorum. *Quæ fiunt in ſacrificijs.*

12 Libenter ſaluam Rempub aſpiciant *Contenti ſint præſenti ſtatu.*

13 Paruas populares Reſp. *Nam ipſi pauci populum extremum imitantur, qui ſuis commodis, non Republicæ, nec honori, aut famæ in adminiſtranda Republica ſtudet.*

CAPVT

CAPVT VIII.

1 SEQVITVR vt rectè de magiſtratibus, quot & qui ſint, & quarum rerum,vt ſuprà dictum eſt diſſeramus. Nam nec eſſe ciuitas poteſt ſine magiſtratibus neceſſarijs nec rectè ſine ijs qui pertinet ad rectum ordinem,& ornatum adminiſtrari. Præterea in paruis ciuitatibus pauciores,in magnis plures eſſe magiſtratus, vt ante diximus,neceſſe eſt.Itaque 2 quales in vnum conferre, & quales ſeiungere conueniat, non decet ignorare. Prima ergo ex neceſſarijs procuratio eſt quæ 3 in foro verſatur : cui muneri magiſtratum qui 4 commercia & decentiam diſpiciat, præficere oportet. Nam ferè omnibus ciuitatibus quædam emere, alia vendere, ad mutuos rerum neceſſariarum vſus neceſſe eſt : quod 5 proximè ad rerum copiam accedit,cuius gratia 6 in vnam Rempub. homines conueniſſe videntur. Secunda, & huic proxima procuratio eſt 7 vrbanarum rerum,tum communium,tum etiam priuatarum: vt cum decente ornatu ædificia & viæ conſeruentur, & collapſa reficiantur, & limites communes ſine querimonia teneantur, & cætera quæ ſimilem procurationem attingunt. Qui magiſtratus ædilitas à pleriſque nominatur, habetque partes numero complures: quarum alijs alij in magnis ciuitatibus præficiuntur,vt quidam cōſtruendis muris, alij fontibus & ductibus aquarum præſunt, nonnulli portubus tuendis. Alia procuratio eſt neceſſaria, huic finitima: eſt enim eiſdem de rebus, per agrum tamen extra vrbem : cui qui præſunt agrorum præfecti,& ab alijs ſyluarum inſpectores nominantur. hæ igitur harum rerum procurationes tres ſunt. Eſt alius magiſtratus ad quem publica vectigalia referuntur, quique publicam pecuniam cuſtodit, & ad ſingulos vſus Reipub. partiendo ſuppeditat : cuius muneris præfectos receptores, & quæſtores appellant. Alius apud quem contractus & tribunalium iudicia ſcribi debent:apud hos quoque acta cauſarum,& accuſationes, ac litium intentiones confici oportet. Sed in quibuſdam ciuitatibus hic magiſtratus in plures diuiditur, vnus eſt tamen his omnibus præfectus,qui 8 ſcribæ,& tabelliones, & alijs ſimilibus vocabulis appellantur.Proximus huic magiſtratus, eſt ex omnibus ferè & maximè neceſſarius & idem moleſtiſſimus, qui in iudiciorum executionibus 9 ſiue damnatus quis fuerit,10 ſiue factus reus verſatur,11 quiq;

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

carceri, cuſtodiiſque præeſt. itaque propter odium quod magnum incurrit, moleſtus eſt Quamobrem vbi non eſt merces magna propoſita, hunc magiſtratum homines recuſant: nec qui ſuſceperunt, fungi munere ex legis præſcripto volũt, eſt tamen neceſſarius. fruſtra enim exercentur iudicia, niſi ad finem perducantur. Quare ſi communitas conſtare nequit niſi iudicia fiant, ne conſtabit quidẽ, ſi nemo quod iudicatum fuerit, exequatur. Itaque commodius eſt
12. hunc magiſtratum non eſſe vnum, 12 ſed alios ex alijs tribunalibus.
13. Eodemque modo 13 propoſitiones eorum quæ in acta referuntur, diuidere conuenit: præterea vt quædam diuerſi magiſtratus exequantur, & cauſas iuniorum iuniores potius magiſtratus, cauſas verò conſiſtentium quas vnus magiſtratus condemnauerit, alius exequatur: exempli gratia, quæ præfecti annonæ iudicauerint, hæc præfecti ædificiorum exequantur, & alij quæ ab alijs fuerint iudicata. Nam quo minus odij executores contraxerint, hoc magis executiones ad finem perducentur. Igitur ſi condemnantes iidem
14. ſint & exequentes, duplex odium contrahatur: 14 ſin iidem de cunctis, omnium hoſtile odium incurrant. Multis in ciuitatibus cuſtodiarum præfectus diuerſus eſt ab executore, vt Athenis magiſtratus eorum qui vndecim viri nominantur. Itaque commodius eſt, vt hic magiſtratus diuiſus ſit, & ſolerter quod eius ratio poſtulat, prouideatur. Nec enim minus hic neceſſarius eſt, quàm is de quo modo diſſeruimus. Nam viri probi maximè magiſtratum hunc
15 recuſant: improbis 15 non rectè committitur, qui cuſtodiri magis debent, quàm alios cuſtodire. Itaque non vnus ſeparatus magi-
16. ſtratus 16 penes eos eſſe debet, nec idem continenter geri, ſed iu-
17. uenes, 17 vbi aliquis iuuenum & cuſtodum eſt ordo, diuerſi per vices munus magiſtratuum obire. Hos igitur magiſtratus vt maximè neceſſarios primos eſſe ſtatuere oportet, deinde eos, qui nihilo minus ſunt neceſſarij, maioris tamen auctoritatis, quoniam peritiam & fidem magnam requirunt, cuiuſmodi ſunt qui cuſtodiam vrbis & vſus bellicos attingunt. Nam tum in pace, tum in bello præfectos eſſe oportet, qui portarum atque murorum ſimili
18. modo cuſtodiæ præſint. & 18 ciuium delectus habeant, ipſorumq; ordines conſtituant. Hic ergo præter hos omnes magiſtratus alij
19. complures ſunt, 19 alicubi pauciores, vt in paruis ciuitatibus vnus
20. eſt 20 his cunctis muneribus præfectus: cui officio qui præſunt, imperatores & belli duces nominantur. Præterea ſi equites vel pedi-

tes ex-

tes expediti vel ſagittarij vel claſſici fuerint,21 harum cuiuſque ma- 21.
nuum præfectus interdum conſtituitur, quæ claſſis, & equitum
præfecturæ,atque ordinum ductus nominantur: & per partes quæ
his ſubijciuntur,triremis, turmæ,ac tribus præfecturæ, & quæcun-
que harum partes ſunt. Sed vniuerſum harum rerum bellicarum
procurationis genus vnum quiddam eſt.Atque hęc quidem eſt hu-
iuſmodi magiſtratus ratio. Sed quoniam magiſtratus ſi non om-
nes, certè aliqui 22 res multas communes tractant, idcirco vnum 22.
alium qui rationes conficiat & emendet, nec aliud ipſe tractet eſſe
neceſſe eſt: quos quidam correctores, alij ratiocinatores vocant,
ſunt qui exquiſitores, & qui procuratores appellent. Sed præter
hos omnes magiſtratus eſt is qui rerum omnium ſummam pote-
ſtatem habet,nam idem ſæpe pecuniam ex vectigalibus tributiſque
collatam habet:qui multitudini præeſt,vbi res geritur arbitrio po-
puli. Nam eſſe aliquem oportet qui eos in vnum cogat, quique
ſummam habeat Reipublicæ poteſtatem: qui magiſtratus apud
quoſdam pręconſultores dicuntur,quoniam prius ipſi conſultant:
23 ſed vbi multitudo eſt,Senatus potius ſiue conſilium nominatur. 23.
Tot igitur ferè ſunt ciuiles magiſtratus. 24 Sed eſt aliud procura- 24.
tionis genus, quod cultum deorum immortalium attingit, vt ſa-
cerdotes,& qui curæ præſunt earum rerum quæ ad ſacra pertinent,
vt ſtantia conſeruētur,& quæ corruerint reficiantur,& cætera,quæ
diuini cultus ratio poſtulat procurant. quæ procuratio apud quoſ-
dam vna eſt,vt in paruis ciuitatibus:apud quoſdam multæ, & à ſa-
cerdotio diſiunctę,vt templorum ędificatores,æditui,& ſacrarum
pecuniarum quæſtores. Proxima huic procuratio eſt publicis o-
mnibus ſacrificijs ſeparatim deſtinata, quæcunque lege non ſunt
ſacerdotibus attributa,ſed 25 honorem à communi genio ſortiun- 25.
tur, quos quidam principes vocant, alij reges, ſunt qui Prytanes
appellant.Procurationes igitur neceſſariæ, vt ſummatim referam,
de his ferè reb.ſunt,& in reb.diuinis reb.bellicis,vectigalib.ſumpti
bus,annona,& reb. venalibus,in vrbe,portubus,& agris verſantur:
Præterea in tribunalibus, contractibus, ſcripturis iudiciorum,
executionibus, cuſtodijs, putandis rationibus, in delectibus, ma-
giſtratibuſque corrigendis: Denique quorum munus eſt delibe-
rare: 26 ij quoque ſunt de numero communium magiſtratuum,
ſed priuatim in ciuitatibus,quæ otio magis & iucunditate fruun- 26.
tur, quæque curam habent ornatus. Hi quoque magiſtratus
haben-

habētur, mulierum præfecti, legum cuſtodes, præfecti puerorum, & gymnaſiorum præfecti: præterea gymnicorũ, & Dionyſiacorũ certaminum curatores, & ſi qua ſunt alia id genus ſpectacula. Harum autem præfecturarum quædam ſunt perſpicuè non populares, vt mulierum ac puerorum præfecturæ. Tenuiores enim ſeruorum inopia, mulieribus & pueris vt famulis vti coguntur. Sed cum
27. tres magiſtratus ſint, 27 per quos quidam ſummos magiſtratus deligunt, legum cuſtodes, præconſultores, & conſilium: optimatum Reip. legum cuſtodes conueniunt, paucorum potentiæ præconſultores, conſilium verò populari. Ac de magiſtratibus quidem ferè omnibus ſummatim diſſeruimus.

Scholia in Caput VIII.

1 SEQVITVR vt de magiſtratibus diſſeramus *Qui ſint neceſſarij cuique Reip. magiſtratus, & qui nonnullis commodi atq; decori declarat. Ex neceſſarijs, inquit, primus in rebus venalibus verſatur. Secundus in publicorum & priuatorum ædificiorum ornatu, quæ, vt varia ſunt, ſic ipſa procuratio eſt multiplex. Tertius huic ſimilis eſt, qui eandem ferè curam gerit, ſed in agris. Quartus, qui publicam pecuniam cuſtodit. Quintus, tabelliones & ſcribæ. Sextus, executores iudiciorum, & carceris præfecti: qui magiſtratus vt maximè neceſſarius, ſic moleſtiſſimus habetur, ac ideo in multos diuidendus eſt. Sunt etiam alij perinde neceſſarij, ſed maioris dignitatis, qui in vrbe tuenda & in bellis gerendis verſantur, vt portarum, murorumq; præfecti. Item imperatores, duceſq; bellorum, quibus minores alij magiſtratibus obtemperant. Eſt alius magiſtratus qui rationes ineat, & cum alijs magiſtratibus qui pecuniam publicam tractant, conficiat. Sed præter hos omnes magiſtratus, eſt is qui ſummam Reip. poteſtatem obtinet, qui ſcilicet concilium eorum cogat, quorum arbitrio geritur Reſpub. Eſt alia procuratio publica quæ pertinet ad deorum cultum, vt ſacerdotia, & item ea qua fungitur qui rex ſacrorum vocatur. Præterea templorum & earum rerum quæ ad ſacra pertinent curationes: qui omnes magiſtratus & procurationes ſunt in ciuitate quaque neceſſarij, & omnibus Rebuſpub. communes. Sed in opulentis & otio fruentibus ciuitatibus, priuatim ſunt alij magiſtratus, vt mulierum, puerorumq; præfecti.*

2 Quales in vnum conferre. *Quales magiſtratus poſſint plures ſimul vni homini mandari.*

3 In foro verſatur. *In rebus venalibus.*

4 Com-

4 Commercia & decentiam. *Ne dolus aut fraus in emptione & venditione admittatur, ac vt res venales aptis locis proponantur, & conuenienti precio vendantur, neue forum & viæ ſordeſcant.*

5 Proximè ad rerum copiam accedit. *Nam cum ciuitas perfecta debeat copiam rerum neceſſariarum & commodarum habere, vt declaratum eſt primo libro, hæc copia dupliciter contigit, vno modo ſi ager ſit rerum neceſſariarũ, & commodarum ferax: alio per emptionem rerum importandarum quibus regio caret, & venditionem exportandarum quibus abundat. Nam hoc perinde propemodum eſt, ac ſi omnia in agro prouenirent.*

6 In vnam Rempublicam. *In vnam communem & ciuilem ſocietatem, vt per commutationem rerum, aut emptionem & venditionem, omnibus rerum copia ſuppeteret.*

7 Vrbanarum rerum. *Aedificiorum & viarum.*

8 Scribæ & tabelliones. *Hos Græci, ſi ad verbum libeat conuertere, ſacrimemores, & magiſtros, memoreſq́ vocant, ſed interpres commodius putauit vti verbis Romanis, dum latinè loquitur.*

9 Siue damnatus quis fuerit. *Vt in eos legitimis pœnis animaduertatur.*

10 Siue factus reus. *Siue fuerit alicuius criminis accuſatus, cuius cauſa ſit in carcerem trudendus.*

11 Qui carceri cuſtodijsque præeſt. *Cuſtodiæ vocantur, qui in carcere cuſtodiuntur.*

12 Sed alios ex alijs tribunalibus. *Vt alij exequantur contractuum iudicia, alij capitalia: quæ cauſæ in diuerſis tribunalibus, ſiue à diuerſis iudicibus cognoſci debent.*

13 Propoſitiones eorum quæ in acta referuntur. *Vt pro cauſarum & tribunalium diuerſitate varij ſint qui iudicibus proponant hoc eſt exponant & referant omnia, quæ in acta pro vtraq́ parte redacta fuerint: quod Romæ fit in duodecimuirali tribunatu, quam rotam dicunt, ab eo iudice, cui cognitio cauſæ fuit commiſſa: hic enim teſtes rogat, & ſcripturas, & quæcunque fuerint ab vtraque parte allegata, & probata, per ſcribas in acta refert: & inſtructa concluſaq́ cauſa cuncta proponit, ſummatimq́ vndecim collegis explicat: qui quod viſum è iure fuerit, conſtituunt: nec aliter ille quàm ex collegarum iudicio ſententiam pronuntiat. Hoc eſt igitur quod ait Ariſtoteles, alios eſſe oportere qui cauſam inſtruant, & ſtatum eius actaq́ proponant: alios qui iudicent, & diuerſos pro diuerſitate tribunalium, hi ab Hiſpanis relatores vocantur, nec ſunt de numero iudicum, nec eſt aliud eorum muneris quàm ſtatum cauſæ, & quæ fuerint pro vtraque partu allegata & probata ſummatim iudicibus referre.*

14 Sin ijdem de cunctis. *Si ijdem magiſtratus iudicia de rebus omnibus exequantur, cunctorum graue odium incurrant.*
15 Non rectè committitur. *Non tutò mandatur.*
16 Penes eos. *Penes prauos homines, vt cum cæteri magiſtratus geri debeant à viris probis, hic tantum quia odioſus eſt, prauis hominibus mandetur.*
17 Vbi eſt aliquis iuuenum, & cuſtodum ordo. *Si quis cœtus ſit, aut conuentus iuuenum Reip. vacantium, cuiuſmodi eſt cohors prætoria, quæ iuuenibus militibus magna ex parte conſtat.*
18 Ciuium delectus habeant, ipſorumque ordines conſtituant. *Vt ab his delectus ciuium militares fiant, tum ad vrbis cuſtodiam, tum ad externa bella, atque item ordines militares conſtituantur equitatus & peditatus grauis & leuioris armaturæ.*
19 Alicubi verò pauciores. *Non quòd in aliqua ciuitate non ſint hi magiſtratus, nam cunctos eſſe neceſſarios ſuprà dixit, ſed quia in paruis ciuitatibus complures huiuſmodi magiſtratus ſiue procurationes ſimul vni homini mandantur.*
20 His cunctis muneribus. *Bellicis & cuſtodiæ portarum & murorum.*
21 Harum cuiuſque manuum. *Singularum copiarum, vt ſit vnus equitum præfectus, alter ſagittariorum, alius claſſicorum militum.*
22 Res multas communes tractant. *Bonam partem publicæ pecuniæ.*
23 Sed vbi multitudo eſt. *Vbi Proconſultores ſunt multi, vocantur Senatus ſiue Conſilium.*
24 Sed eſt aliud procurationis genus. *Sacerdotes, & qui templorum rerumq́; ſacrarum curam gerunt in alio genere, diuerſo ſcilicet à ciuilibus magiſtratibus verſari dicit. Nam ſacerdotum officium & ſacrarum rerum procurationes non eſſe ciuiles magiſtratus, ipſe libro quarto docuit.*
25 Honorem à communi genio ſortiuntur. *Genios deos, qui & lares vocabantur, & penates, ſingulis & hominibus, & domibus, atque item vrbibus adeſſe antiquitas exiſtimauit: quod mutatis nominibus non longè abhorret à Chriſtiana philoſophia, quæ angelos cuſtodes ſingulis hominibus, atque item ciuitatibus & prouincijs attribuit. Commune igitur Genium vocat Ariſtoteles Deum ſiue angelum, qui præſidio eſt toti ciuitati, cuius quaſi ſacerdos eſſet rex ſacrificulus, de quo ſuprà pluribus memorauimus.*
26 Hi quoque ſunt de numero communium magiſtratũ. *Communes magiſtratus vocat, quos ſuprà neceſſarios appellauit, quoniam magiſtratus neceſſarij ſunt omnibus Rebuſpublicis communes, cum nulla poſſit ſine ipſis adminiſtrari.*

27 Per quos quidam ſummos magiſtratus deligunt. *Id eſt quos cum deligunt, ſummos magiſtratus deligunt. nam ipſi ſummi magiſtratus ſunt, per quos deligi ſummos magiſtratus dicit, vt ſuprà hoc ipſo capite declarauit. Nã ab his in ſua quibuſq; Repub. concilium eorum cogitur, qui arbitrio ſuo Remp. adminiſtrant, à legum cuſtodibus optimatum, à præconſultoribus paucorum concilium, à Senatoribus concio popularium.*

FINIS LIBRI SEXTI.

ARISTOTELIS DE REPVBLICA LIBER SEPTIMVS,

Interprete & enarratore
IOANNE GENESIO SEPVLVEDA
CORDVBENSI.

CAPVT I.

QVI de optimo ſtatu Reipub. conuenien- 1.
te ratione diſputare debet, hic primùm quæ
ſit 2 maximè expetenda vita ſtatuat oportet: 2.
hoc enim ignorato, optimam Remp. igno-
rari neceſſe eſt, cum, 3 eos optimè viuere 4 3.4.
conſentaneũ ſit, qui optimo ſtatu Reip. pro
ratione rerũ ſuppetentiũ vtũtur, 5 niſi ſi quid 5.
præter rationem fiat. Itaque primùm omni-
um quæ viuendi ratio ſit maximè 6 cunctis ferè hominibus expe- 6.
tenda, conſtare debet: deinde 7 num eadem publicè ſit, quæ priua- 7.
tim optima vita, an diuerſa. Cum igitur multa ſint à nobis commo-
dè (vt equidem exiſtimamus) de optima vita 8 in libris externis di- 8.
ſputata, eadem hoc quoq; in loco vſui nobis eſſe debent. Nam pro-
fectò quod ad vnam diuiſionem pertinet, nõ eſt dubitabile, cũ tria
ſint bonorum genera, externa, corporis, & animi, quin hæc omnia
felicibus hominibus adeſſe debeant. Nam qui fortitudinis, tempe-
rantiæ, iuſtitiæ, atque prudentiæ expers muſcas circũ volantes me-
tuat, & quicquid libuerit 9 etiam extremorum edendo vel bibẽdo 9.

à nullo ſe continens perſequatur, nec parcat amiciſſimorum vitæ
10. 10 vt auctior fiat vno quadrante, hunc nemo felicem eſſe dixerit
ac eodem modo quod pertinet ad intelligentiam, ſi tam impru
dens ſit,& mentis errore deprauatus,quàm puer, aut furioſus. Sed
cum de his quæ modo diximus,inter omnes ferè conueniat:tamen
de quanto & modum excedentibus magnitudinibus controuerſia
eſt.Nam virtutis quantulumcunque adſit, hoc ſatis eſſe putant: di-
uitias,opes,potentiam,gloriam, ſine fine quærunt, ac his excellere
nituntur. Quorum errorem facilè nobis fuerit rebus ipſis conuin-
cere,cùm non virtutes rebus externis,ſed has virtutibus parere ho-
mines atque tueri videamus, ipſamque vitam beatam ſiue in volu-
ptate hominibus poſita ſit,ſiue in virtute, ſiue in vtraque. Tamen
ijs qui cum morum probitate intelligentiaque excellant, externo-
rum bonorum mediocritatem tenent,magis adeſſe notemus,quàm
11. qui ex his plus habent,quàm ad vſus vitæ ſatis eſt:11 illorum autem
12. inopes habentur.Cæterum ſi animũ aduertas,idem 12 te ratio quo-
q; facilè docebit, quoniam bona externa velut inſtrumentũ quod-
dam ſuo fine terminantur. Nam quæ res vſui accommodantur, ea-
rum nimia magnitudo neceſſario aut nocet habentibus, aut nihil
prodeſt.Ex animi verò bonis quo magis quodque excellit, hoc ha-
betur vtilius,ſi hæc non tantum honeſta, ſed etiam vtilia nomina-
13. ri debent. Ad ſummam,dubiũ non eſt,13 quin optimæ rerum affe-
ctiones inter ipſas ſequãtur exceſſũ, quo res differũt inter ſe,quarũ
14. rerũ has affectiones eſſe dicimus. Itaq; ſi anima tũ opib. tũ etiã cor-
pore 14 & ſimpliciter,& nobis eſt potior,vt optima cuiuſq;affectio
horũ proportionẽ obtineat,neceſſe eſt.Præterea hæc animi gratia,
non animus illorum cauſa naturaliter expetuntur, & à prudenti-
bus cunctis expeti debent.Maneat igitur, cõſtitutumque nobis ſit,
15. 15 quantum cuique virtutis & prudentiæ, & quæ ab ijs proficiſcun-
tur actionum adeſt,tantum felicitatis adeſſe: vt Deus ipſe teſtis eſt,
qui cum beatus felixque ſit,nullo tamen externo bono,ſed per ſe,
& quia talis eſt natura, beatus habetur: quoniam ſecundam fortu-
nam à felicitate diuerſam eſſe idcirco neceſſarium eſt, qui bona
quæ extra animam ſunt, caſus & fortunæ beneficio contingunt.
Iuſtus autem & prudens nemo neque à fortuna eſt, neque propter
fortunam. Quo fit, eiſdemque rationibus concluditur, beatam
eſſe ciuitatem quæ optima eſt,& rectè agit. Vt autẽ rectè agant qui
recta non agunt,fieri nõ poteſt:& opus vel ſingularis hominis, vel
ciuitatis,

ciuitatis, abſq; virtute & prudentia nullum rectum eſſe poteſt. Fortitudo autem ciuitatis, & iuſtitia, atq; prudentia, 16 eandem vim & 16.
formam habent quam ea quibus præditi ſinguli homines iuſti eſſe ac prudentes & temperati dicuntur. Sed hæc hactenus præfati ſumus: quæ vt præterire non licuit, ſic nec omnia quæ hanc quæſtionem attingunt, cum huius loci non ſint, explicare conuenit. Nunc autem poſitum ſit, optimam eſſe vitam, etiam publicè ciuitatibus, quæ cum virtute degitur, & 17 hactenus eſt adiumentis inſtructa, vt 17.
virtutis officia poſsit obire. Porrò in eos quorum eſt dubia ſententia, ſi cui fortè quæ diximus, non ſatis probantur, omiſſa hoc in loco diſputatione, poſtea erit diſſerendum.

Scholia in Caput I.

1 QVI de optimo ſtatu Reipub. conueniente ratione diſputare debet. *In hoc ſeptimo libro de optimo genere Reipublicæ diſputat Ariſtoteles, & quod ipſe maximè poſt regnum probat, hoc enim omnibus præfert, ſi rex ad ipſius normam, de qua in libro tertio diſputatum eſt, contingat, qualis optari magis poteſt, quàm multis ſeculis reperiri. Sed vt optimus Reipub ſtatus qui ſit appareat, ſingulorum hominum vita beata in quo poſita ſit ſtatuere oportet, cum eadem ſit priuatim, publiceq; felicitas. Igitur ſingulorum felicitas poſita eſt, inquit, in vſu virtutis non impedita, ſed cum virtutis vſus modo corporeorum, modo externorum bonorum inopia impediatur, fit vt cuncta bonorum genera hominm felici, ac proinde ciuitati adeſſe debeant. Sed quoniam animi bona primam dignitatem & auctoritatem ad vitam beatam effiiendam habent, idcirco virtus quo maior eſt, hoc plus virium ad felicitatem habet, cum in cæteris bonis mediocritas maximè probetur.*

2 Maximè expetenda vita. *Quæ ſit vita beata, quæ eadem felicitas appellatur.*

3 Eos optimè viuere. *ἄριστα πράττειν, quod eſt ad verbum optima, vel optimè agere, interpres conuertit optimè viuere, quia in hunc ſenſum dictum eſt ab Ariſtotele, vt cum in alijs locis, tum in primo Ethicorum libro εὖ πράττειν dicit pro bene beateq; viuere.*

4 Conſentaneum eſt. *Conueniens eſt, nam Reſp. vt dictum eſt in quarto libro, ciuitatis eſt vita.*

5 Niſi quid præter rationem fiat. *Niſi ſi quis caſus ordinem & rationem Reipub, perturbet.*

6 Cunctis ferè hominibus. *Non enim cunctis hominibus ſtatus Reipub.*

 conuenit,

conuenit,qui optimus ſimpliciter eſt,quia non omnia adiumenta cunctis ciuitatibus ſuppetunt.

7 Num eadem ſit publicè,quæ priuatim optima vita. *Vtrum eadem res ciuitatem faciat felicem,quæ ſingulos homines beatos facit.*

8 In libris externis. *In alio opere extra hoc in quo verſamur:non enim genus aliquod ſcriptorum ſignificat,quod exotericum inſcribatur, vt eſt publicus error ſuprà à nobis confutatus. Ethicorum igitur libros deſignat, in quorum primo hæc,& partim etiam in decimo traduntur.*

9 Etiam extremorum. *Extrema vocat ea quæ niſi ab intemperantiſſimis non appetuntur,vt Apicius luſciniarum linguas appetiuiſſe, & comediſſe fertur.*

10 Vt auctior fiat vno quadrante. *Vt vnum quadrantem lucrifaciat.*

11 Illorum autem inopes habentur. *Parum habent bonorum morum & intelligentiæ,hoc eſt virtutum intellectualium.*

12 Ratio quoque te facile docebit. *Dixerat rebus ipſis atque vſu declarari animi bona cæteris bonis corporis atque externis eſſe potiora: nunc idem ratione quoque poſſe confirmari & concludi docet.*

13 Quin optimæ rerũ affectiones. *Affectiones conuertit interpres, quod eſt græcè διαθέσεις, id eſt diſpoſitiones. Sunt autem diſpoſitiones,qualitates primæ ſpeciei facilius mobiles quam habitus:quanquam habitus etiam diſpoſitiones interdum nominantur,vt hoc in loco,quemadmodum ipſe docet in libro prædicamentorum.nam diſpoſitio latius patet quàm habitus. Itaq; optimas diſpoſitiones nunc vocat in animo virtutes,in corpore bonam valetudinem,in rebus externis qualitates,quibus ad vſum hominum commendantur. Eſt autem ſenſus,optimas affectiones,quæ ſunt ipſa triplicia bona, hanc inter ſe exceſſum proportionem habere, quam ipſarum ſubiecta inter ipſa tenent. Vt enim anima potior eſt corpore, ſic animi bona ſunt bonis corporis potiora, ac eodem modo bona corporis bonis externis.*

14 Et ſimpliciter & nobis. *Meliora ſimpliciter ſunt quæ ſua natura ſunt meliora:meliora nobis,quæ nobis ſunt commodiora. Quædam autem ſua natura meliora ſunt,quæ nobis non ſunt meliora.vt malefica animalia ſimpliciter meliora ſunt quam frumenta, quia omne animatum melius & nobilius eſt quàm inanimatum,nobis tamen melius eſt frumentum. Bona verò animi tum ſimpliciter,id eſt per ſe meliora ſunt,tum etiam ad commoditatem noſtram relata,quàm bona corporis.*

15 Quantum cuique virtutis ac prudentiæ. *Hoc quiſque felicior eſt,quo magis virtutibus moralibus & intellectualibus præditus:qui habitus ſunt,aut plus actionibus fungitur,quæ ab his habitibus proficiſcuntur. Nam bona corporis &*

poris &

poris & externa, non ſunt partes felicitatis, ſed tanquam inſtrumenta, vt in artificijs ſiue inſtrumentis opus confici non poteſt, ipſa tamen non ſunt partes ipſius artis, quo intelligitur felicitatem non conſiſtere in indiuiduo, ſed patere latius, & alium alio feliciorem, vt fortiorem & liberaliorem eſſe, ſed quicquid bonis addatur, id nullum bonum maius felicitate reddit. Eſt enim felicitas ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Itaq; felicitas non poteſt cum alio bono connumerari: nam quodcunque bonum addas, pars eſt felicitatis, vel eius inſtrumentum: hoc eſt enim, vt obiter difficilem locum expediamus, quod Ariſtoteles Ethicorum libro primo tradit, felicitatem eſſe maximè omnium expetendam, non connumeratam. Nam connumerata, *inquit*, expetibilior eſſet, vel cum minimo bono. *Eſt enim ſenſus. Felicitas connumerari non poteſt cum alijs bonis, quoniam ipſa cuncta bona complectitur. Nam ſi quis ad ea bona quibus aliquis felix eſt, bonum aliquod addat, non aliquod bonum effecerit maius aut expetibilius felicitate, ſed fortaſſe maiorem felicitatem efficiet. Nam felicitatem connumerari non poſſe, nec cum alio bono eſſe magis expetendam, vt pleriq; putant, ipſe docet decimo Ethicorum, & primo magnorum moralium libro.*

16 Eandem vim & formam habet. *Eiſdem rebus, eademq́; ratione ciuitas dicitur fortis, iuſta, & prudens, quibus ſinguli homines.*

17 Hactenus eſt adiumentis inſtructa. *Cui res & facultates ſuppetunt quantum ſatis eſt ad virtutes fungendas.*

CAPVT II.

1 SVPEREST vt felicitas eadem ſingulorum hominum & 1.
ciuitatis dici debeat, an ſecus, diſſeramus. quod tamen conſtituere
in promptu eſt, cunctis eandem eſſe conſentientibus. Nam qui
ſingulorum hominum beatam vitam 2 opibus metiuntur, ij o- 2.
mnes ciuitatem ſi fuerit opulenta, felicem eſſe confirmabunt.
Qui verò tyrannicam vitam cæteris omnibus anteferunt, hi ciuitatem plurimis imperantem feliciſſimam eſſe, confitebuntur. Si
quis autem ſingularem hominem 3 propter virtutem maximè pro- 3.
bat, is ciuitatem quo magis virtute prædita ſit, hoc feliciorem eſſe
aſſeuerabit. Sed hæc iam duo ſunt quæ diſputatione indigent. Primum vtra ſit magis expetenda vita, quæ in adminiſtratione Reipub. & ciuitatis communione verſatur, an quæ velut 4 peregrini 4.
& hoſpitis vita eſt, & à ciuili communitate ſeiuncta. Deinde quæ
ratio Reip. & ſtatus ciuitatis optimus ſit, ſiue Reip. adminiſtratio

omnibus

omnibus expetenda ſit, ſiue quibuſdam, non pleriſq; tamen. Hoc
enim intelligentiæ & conſiderationis ciuilis munus eſt, non quid
5. ſingulis expetendum ſit conſtituere. Nos autem hoc in loco 5 quæ-
ſtionem hanc explicandam ſuſcepimus. Nam vt illud eſſet extra
negotium vagari, ſic huius commentationis hoc munus habetur.
6. Hæc igitur neceſſario eſt optima Reſpub 6 per quem ordinem re-
ctiſsimè quiſque habere, ac beatè viuere poteſt. Nec id eſt dubi-
tabile, ſed inter ipſos qui vitam quæ cum virtute degitur, maximè
7. expetendā eſſe conſentiunt, controuerſia eſt, 7 vtra ſit magis expe-
tenda, ciuilis & actiua, an quæ à rebus omnibus exterioribus ſeiun-
cta eſt, hoc eſt contemplatiua, quam ſolam nonnulli vitam philo-
ſophorum eſſe dicunt. Has enim duas vitas ferè qui virtutem ma-
ximo ſtudio & ambitione colunt, tum priores, tum etiam noſtra
memoria deligere videntur, duas vitas dico, ciuilem, & philoſo-
phorum. Neque verò parui refert, vtri veriora dicant. Neceſſe eſt
enim vt qui intelligentia prudentiaque valent, tum ſinguli homi-
nes priuatim, tum Reſpub. communiter vitam inſtituant ad melio-
rem finem ſpectantes. Quidam igitur ſic exiſtimant finitimis impe-
rare, ſi heriliter fiat, iniuſtiſsimum eſſe: ſin autem ciuiliter, abeſſe
quidem iniuriam, tamen impedimento eſſe, quominus liceat otio
& iucunditate frui. Alij tanquam ex aduerſo ſolam actiuam, ciuilē-
8. que vitam viro dignā eſſe putant: 8 officia enim quæ à ſingulis vir-
tutibus ducuntur, non magis priuatos homines attingere, quā eos
qui funguntur publicis muneribus & Rempub. adminiſtrant, ſic i-
gitur quidam exiſtimant. Alij ſolam herilem & tyrannicam Reip.
rationem felicem eſſe dicunt. Quinetiam apud quoſdam hic eſt
Reip. finis, quo leges ſpectant, vt vicinis dominentur. Itaque cum
multi multorum mores inſtitutaque ſint, lateque pateant: tamen
9. ſi leges 9 ad vnum quoddam referantur, omnes huc ſpectant, vt vi-
10. ctoria & imperio potiantur; vt Lacedæmone, atque in Cretā, 10 tum
educatio, tum ſumma legum ferè bellis accommodantur. Præterea
11. in cunctis nationibus 11 quæ poſſunt eſſe facultate rei gerendæ ſu-
periores, huiuſmodi facultas in honore eſt, vt apud Scythas, Perſas,
Thraces, & Gallos. Apud quoſdam enim leges quædam ſunt in
hanc virtutem incitantes, vt Carthagine ferunt, annulorum orna-
tum cuique pro numero bellorum, quibus interfuerit, concedi. Et
olim apud Macedones lex erat, vt capiſtro cingerentur, qui
nullum hoſtem occidiſſent: & apud Schytas, qui nullum in-

ter-

teremiſſet hoſtem: hinc ex poculo, quod in ſolenni quodam epulo circumferebatur, bibere non licebat. Et apud Hiſpanos bellicoſam gentem faſtigiatę baſes circum cuiuſque tumulum tot numero erigebantur, quot hoſtes interemiſſet: & multa huiuſmodi alia, apud alios partim legibus ſancita ſunt, partim moribus recepta. Quanquam ſi conſiderare libeat per abſurdum fortaſſe videatur, hominis ciuili facultate præditi officium eſſe præcepta dare poſſe, quomodo in finitimos 12 volentes iuxta, & inuitos imperium dominatuſq; teneatur. Nam quod ius non eſt, id quomodo ad ciuilis hominis & legumlatoris officium pertineat? Non eſt autem ius, vt non modo iuſtè imperitetur, ſed etiam iniuſtè. Fieri autem poteſt, vt iniuſtè quis vincat. At in cæteris ſcientijs hoc fieri non videmus. Neq; enim medici vel gubernatoris munus eſt, vt hic nautas, ille ægrotantes vel perſuadeat, vel cogat. Multi tamen herilem dominatum, ciuilem principatum eſſe putant. Et quod in ſe quiq; nec iuſtum eſſe, nec vtile dicunt, hoc eos in alios exercere non pudet, cum ipſi 13 inter ſe iuſtum imperium quærant, 14 in alios autem quid iuſtum ſit, nihil laborent. 15. At hoc natura heriliter imperare, illud non heriliter probabile eſt. Quod cum ita ſit, non eſt conandum, vt omnibus heriliter imperetur, ſed ijs duntaxat, qui tali imperio ſunt idonei: quemadmodum ad epulum ſeu ſacrificium non homines, ſed quod eſt huic rei ad venandum idoneum, venari oportet: eſt autem idoneum animal ſylueſtre menſis accommodatum. At fieri poſſet, vt ciuitas vna beata, quę rectè ſcilicet adminiſtraretur, 16 ſeparatim ſita eſſet. Quod enim prohibet, quominus alicubi ſeorſum habitetur, & iuſtis legibus vtatur? Cuius Reip. ratio nec ad bellum, nec ad ſuperandos hoſtes eſſet accommodata. Faciamus enim nihil adeſſe tale. Omnes igitur bellicas procurationes honeſtas eſſe, ſtatuere cõuenit, non tamen quaſi rerum omnium vltimum, ac ſummum bonum, 17 ſed illas huius eſſe gratia. Eſt autem probi legũlatoris munus, ciuitatem ac genus hominum, & omnem aliam communitatem intueri, & quomodo recta vita & felicitate, quæ in eos cadere poſſit, potiantur conſiderare. Erit tamen in quibuſdam legitimis inſtitutis differentia. Illud quoq; legumlatoris officium eſt, ſi qui finitimi ſint, quo quiq; modo tractari debeant, & quę in quoſq; ſint officia ſeruãda diſpicere. Cæterum ad quem finem ſpectare, & quo dirigi optima Reſpub. debeat, poſtea ſuo loco differemus.

Margin: 12. 13. 14. 15. 16. 17.

1 Supereſt vt felicitas eadem vniuſcuiuſque hominis, & ciuitatis dici debeat. *Eandem eſſe ciuitatis felicitatem, quæ hominis ſingularis communi hominum ſententia declarat. Nam quicunque beatum eſſe hominem locupletem dixerit, is ciuitatem opulentam felicem eſſe confirmabit: eodemque modo de imperio & virtute ſtatuet, qui alterutro vitam beatam metietur. Sed illud differendum eſt, vtra ſit magis expetenda vita, quæ in actione & ciuili adminiſtratione verſatur, an quæ procul ab huiuſmodi negotijs abeſt. Illud autem conſtat eum eſſe optimum ſtatum Reipub. cuius ordine recte beateq́ viuitur. Sed inter eos qui beatam vitā virtute metiuntur, controuerſia eſt, alteris actiuam, alteris vitam contemplatiuam præferentibus. Sunt autem qui felicitatem in imperio herili & tyrannico poſitam eſſe ducant, quorum leges huc maximè ſpectant, vt ciuitas latiſſimè dominetur. Itaq; fortiſſimis viris honores apud eos propoſiti ſunt, & ignauis ignominia, cum tamē iniuſtum ſit, in omnes ſubiectos heriliter imperare. Nam imperium herile in eos duntaxat conuenit, qui natura vel ſerui ſunt, vel tam improbi, vt ſint herili imperio coercendi. Itaq; non eſt rectè inſtituta Reſp. in qua ſumma legum ad victoriam & imperium propagandum dirigitur.*

2 Opibus metiuntur. *Felicitatem in diuitijs conſiſtere putant.*

3 Propter virtutem maximè probat. *Felicem eſſe putat, quia virtute præditus eſt.*

4 Peregrini & hoſpitis vita. *Abhorrens à ciuilibus muneribus, vt peregrini in aliena ciuitate ſolent.*

5 Quæſtionem hāc. *Quæ ad ciuitatem & ciuilem adminiſtrationem pertinet. Nam quæ ſingulorum virtutem & felicitatem attingunt, hæc in libris de moribus diſputata ſunt.*

6 Per quem ordinem. *Per quam Rempub. Nam Reſpub. eſt ordo ciuitatis, vt tertio libro memoratum eſt.*

7 Vtra ſit magis expetenda. *Hanc quæſtionem ipſe libro decimo Ethicorum dirimit, vbi contemplatricem vitam actiuæ præfert conuenienter, ſcilicet Chriſtianæ philoſophiæ, & euangelico illi teſtimonio*, Maria optimam partem elegit: *elegerat enim contemplationem, dum Martha rebus agendis eſſet occupata.*

8 Officia quæ à ſingulis virtutibus ducuntur. *Actiones quæ à ſingulis virtutibus manant, nō magis ad eos qui vitam degunt priuatam, coluntq́ virtutes intellectuales pertinere, quam ad eos qui Rempub. adminiſtrant, & in moralibus virtutibus verſantur.*

9 Ad vnum quoddam. *Ad vltimum finem ipſis propoſitum.*
10 Tum educatio. *Inſtitutio morum.*
11 Quæ poſſunt eſſe ſuperiores. *Quæ vires & facultatem habẽt ad vincendum.*
12 Volentes iuxta, & inuitos. *Velint nolint. Nam liberis hominib. inuitis imperare iniuſtum & tyrannicum eſt, niſi natura ſerui ſint, & iniuſtè, contraque ſuam vtilitatem imperium recuſent: tunc enim cogi bello poſſunt: eſtq́; id bellum natura iuſtum, vt ipſe libro primo, capite quinto teſtatur. Tales enim prudentiorum ac potiorum imperio iuſtè, & cum ſua commoditate parent: ad iuſtitiam autem compellere, vt conuiuij Euangelica parabola confirmat Auguſtinus, iuſtum & pium eſt.*
13 Inter ſe. *Inter ipſos ciues.*
14 In alios. *In ſubiectos populos.*
15 At hoc eſſe natura heriliter imperans, illud non hériliter. *Credibile eſt quoddam imperium herile lege naturæ niti, id ſcilicet quod habetur in homines natura ſeruos, aliud imperium lege naturæ non eſſe herile, quod in liberos habetur.*
16 Separatim ſita. *Longiſſimè ab alijs ciuitatibus & hoſtibus remota, vbi nulla eſſet occaſio, vel neceſſitas, nec inferendi, nec propulſandi bellum.*
17 Sed illas huius eſſe gratia. *Bellicas procurationes ſiue actiones ad ſummum bonum referri.*

CAPVT III.

1 IN eos autem vtroſque qui cum vitam quæ ex virtute degi- 1.
tur, omnibus anteferendam eſſe confiteantur, 2 de vſu tamen eius 2.
diſſentiunt, nobis diſputandum eſt. Alteri enim imperia ciui-
lia idcirco improbant, quoniam 3 liberi hominis vitam à vita ci- 3.
uili diuerſam, & maximè omnium expetendam eſſe putant. Al-
teri 4 hanc cunctarum optimam eſſe contendunt. Nam fieri poſſe 4.
negant, vt 5 rectè is agat, qui nihil agit: felicitatem autem idem eſſe, 5.
quod rectam actionem confirmant, quoniam vtrique partim re-
ctè, partim perperam ediſſerunt. Quod enim alteri liberi homi-
nis, quàm domini potiorem vitam eſſe dicunt, id à verò non ab-
horret: quoniam 6 ſeruo, quia ſeruus ſit, vti nil habet gloriandum: 6.
nam res neceſſarias imperare nullam partem honeſtatis habet. Er-
rat tamen ſi quis omne imperium dominatum eſſe putat. Nec enim
minus liberorum imperiũ à ſeruorum dominatu differt, quã ipſum

7. 7 quod eſt natura liberum, ab eo quod eſt natura ſeruiens, de quibus
8. ſatis primis ſermonibus diſſeruimus. Sed 8 neque vera commenda-
9. tio eſt, ceſſationem magis quàm actionem laudantis. 9 Nam felici-
10. tas, actio eſt: & iuſtorum ac temperantium actiones, 10 multarum
honeſtarumque rerum finem habent. Quibus rebus ſic conſtitutis,
exiſtimabit forſan aliquis, ſummũ bonum eſſe cunctis dominari.
Sic enim fiet, vt plurimas & honeſtiſſimas actiones obeundi pote-
ſtatem habeat, prorſus vt cui licet imperare, is imperium alteri con-
11. cedere non debeat, ſed auferre potius: 11 vt nec pater filiorum, nec
filij patris hac in parte, ad ſummam, nec amicus amici rationem du-
cere debeant. Nam quod optimum eſt, id eſſe maximè omnium
12. expetendum. Rectè autem agere, optimum eſſe. 12 Hoc igitur verè
ſorſitan dicunt, ſi quod eſt omniũ maximè expetendum, id eis qui
ſpoliant, & vim afferunt, eſt affuturum. Sed forſitan adeſſe nequit,
13. & 13 hoc perperam ponitur ab eis. Neque enim amplius honeſtis a-
14. ctionibus is fungi poteſt, 14 qui non tantum excellat, quantum vir
15. vxori, & pater filijs, dominuſque ſeruis præſtat. Ita 15 cum deflexe-
rit, non tantum poſtea poterit rectè agens ad tramitem honeſtatis
16. redire, quãtum iam à virtute diſceſſit. 16 Nam ſimilibus, honeſtum
& iuſtum in viciſſitudine poſitum eſt. hoc enim & æquum eſt, & ſi-
mile. non æquum autem inter pares, & non ſimile inter ſimiles, præ-
ter naturam eſt. Quæ autem præter naturam ſunt, horum nihil eſt
17. honeſtum 17 Si quis igitur alius virtute & agendi facultate optimis
etiam præſtet, huic obſequi honeſtum, & huic parere iuſtum eſt. O-
18. portet tamen 18 non modo virtutem, ſed etiam facultatem, qua ſit
ad agendum inſtructus, adeſſe. quæ ſi rectè dicuntur, & felicitas in
rectè agendo conſiſtit, efficitur vt vita actiua tum publicæ cuiuſque
ciuitatis tum etiam ſingulorum priuatim optima ſit. Veruntamen
19. actiuam vitam 19 ad alios referri non eſt, vt quibuſdam videtur,
neceſſarium: nec eæ tantum cogitationes actiuæ ſunt, quæ earum re-
20. rum gratia fiunt 20 quæ res ex actionibus exiſtunt, ſed eæ multo e-
21. tiam magis, 21 quæ ſeipſis contentæ ſunt, & contemplationes, &
conſiderationes quæ propter ipſas expetuntur. Nam rectè
22. agere, ac proinde actio quædam finis eſt. 22 Sed & eos ma-
ximè propriéque agere dicimus, qui cogitationibus ſunt actio-
num externarum architecti. Cæterum quæ ciuitates ſeorſum ſi-
tæ ſint, & vitam huiuſmodi cæteris prætulerint, has ceſſare & ni-
23. hil agere non eſt neceſſe. 23 Hoc enim per partes fieri poteſt quoniã
ciuitatis

ciuitatis partibus inter ipſas multæ communitates ſunt. quod 24 i- 24.
pſum eodem modo in vno quoque homine fit: 25 26 alioquin vix 25. 26.
Deus ipſe rectè ſeſe haberet, & vniuerſus mundus qui præter proprias actiones ſuas nullis actionibus externis fungitur. Eandem igitur vitam cuique hominum, & publicè ciuitati, ac hominibus optimam eſſe, haud dubiè neceſſarium eſt.

Scholia in Caput III.

1 IN eos autem vtroſque qui cum omnibus anteferendam eſſe confiteantur vitam, quæ cum virtute degitur. *Qui vitam beatam virtute metiuntur, horum alteri ciuili damnata, contemplantium vitam maximè probant: alteri ciuiles actiones ita commendant, vt pro nihilo contemplationem habeant, quorum vtroſque in errore verſari docet. Nam qui vitam publicæ adminiſtrationis immunem imperanti præferunt, errant in eo, quòd omne imperium dominatum eſſe putat: dominatus enim ſeruorum eſt, qui longe diſtat ab imperio quod in liberos habetur. Errat item qui ceſſare & nihil agere actioni præferendum eſſe putat, cum felicitas actio quædam ſit, non tamen quia in principatu multa ſunt agendi occaſiones, idcirco principatus eſt ſummum bonum, præſertim ſi eſt iniuſtus. Sed quanquam vita actiua tum priuatim, tum etiam publicè optima eſt, non tamen ij ſolum agere putandi ſunt, qui iuſtitiam & virtutes ad alios relatas colunt, cum ij etiam qui philoſophantur in actione verſentur. Contemplatio enim actio quædam eſt.*

2 De vſu eius diſſentiunt. *Nam qui ſe Reip. dedunt, ij philoſophos, quique in rerum cognitione verſantur, vti virtute negant, cum nihil agere videantur.*

3 Liberi hominis vitam. *Nam qui publicis muneribus funguntur, ſerui eſſe videntur, ſeruiunt enim Reipub.*

4 Hanc cunctarum optimam eſſe. *Ciuilem præſtare omnibus.*

5 Rectè is agat qui nihil agit. *Rectè agere quid communiter ſignificet, nemo ignorat, ſed conſuetudine Græcorum rectè agere, eſt etiam felicem eſſe. Hæc tamen oratio vtrumque ſignificatum ſpectat.*

6 Seruo, quia ſeruus ſit vti. *Qui ſeruum prudentem adhibet conſilio, is non vtitur ſeruo, quia ſeruus ſit ſed quia vir prudens & amicus. qui verò vtitur eius opera ad corporea & neceſſaria munera, is ſeruo vtitur, vt ſeruo: hac autem imperare nihil habet gloriandum.*

7 Quod eſt natura liberum. *Genere neutro dixit, vt omnia genera complecteretur. Nam & ratio appetitui, vt libero imperat: anima corpori, ut ſeruo, qui-*

uo, quibus de rebus libro primo diſputatum eſt.
8 Nec vera commendatio eſt, ceſſationem magis laudantis quàm actionem *Errat etiam qui nihil agere potius eſſe dicit, quàm agere.*
9 Nam felicitas actio eſt. *Vſus videlicet virtutis.*
10 Multarum honeſtarumque rerum finem habent. *Viri iuſti & temperantes multa præclara facinora edunt, vt iuſtè ſeu temperanter agant. Itaque vſus virtutum in quo felicitas conſiſtit, finis eſt viro iuſto & temperanti propoſitus, quem dum ſequitur & ſpectat, res multas præclaras agit.*
11 Nec vt pater filiorum, nec patris filij rationem habeant. *Vt nulla quiſquam neceſſitudine deterreatur, quin alterum, ſi poſſit, ſpoliet imperio, vt ſibi vendicet.*
12 Hoc igitur verè forſitan dicunt. *Sibi quenque ſummum bonum quærere debere.*
13 Hoc perperam ponitur ab eis. *Velut conſtans & indubitatum ſtatuitur, optimum eſſe & maximè expetendum imperium quacunque ratione partum, iure, vel iniuria, ſiue virtus adſit, & facultas imperandi, ſiue ſecus.*
14 Qui non tantum excellat. *Non eſt iuſtum imperium, niſi virtute & facultate imperans longè præſtet ſubiectis, præterquam ſi pareatur, & viciſſim imperetur, vt inter pares in rectè inſtituta Rep. fit.*
15 Cum deflexerit. *Cum aberrauerit à virtutis & honeſtatis via.*
16 Nam ſimilibus. *Imperium inter ſimiles pareſq́, vt ſit iuſtum & honeſtum, alternum eſſe debet, vt eorum quiſque modo imperet, geratué magiſtratum, modo pareat imperio.*
17 Si quis igitur alius potior virtute ſit, & facultate. *Si quis tantopere excellat, vt virtute & agendi facultate cæteros omnes etiam optimos ſuperet, huic vni tanquam regi eſt imperium deferendum, vt lib. iij. declaratum eſt. Eademq́; ratione ſi qua gens virtute & prudentia, ac imperandi facultate alteri præſtet, inferior ſuperioris imperio parere debet iure naturæ.*
18 Non modo virtutem adeſſe, ſed etiam facultatem. *Virtutem dicere videtur iuſtitiam, & cæteras morum virtutes, facultatem verò prudentiam, & peritiam, & fortaſsis etiam vires ad cogendum iuſtum imperium recuſantes.*
19 Ad alios referri. *Vt opus iuſtitiæ vel liberalitatis.*
20 Quæ res ex actionibus exiſtunt. *Vt de victoria quæ fortiter agendo paritur.*
21 Quæ ſeipſis contentæ ſunt. *Vt cogitationes ſeu contemplationes mathematicorum theorematum, & motuum naturalium, quæ ſui cauſa, non alterius obeuntur.*

22 Sed

22 Sed eos maximè. *Eos potiſſimum auctores eſſe externarum actionum, exempli gratia, victoriæ, qui cogitationibus architectos imitantur, id eſt quorum conſilio, non opera, res efficitur, vt imperator, cuius conſilio & imperio prælium eſt in tempore, æquoq; loco commiſſum, magis agit, paritq; victoriam, quàm milites qui pugnando hoſtes concidunt, & in fugam vertunt. quo intelligitur cogitationem, actionem quandam eſſe, & qui contemplatur hūc non ceſſare, ſed aliquid agere.*

23 Hoc enim per partes fieri poteſt. *Id eſt viciſſim, vt modo ciues philoſophentur, modo Rempub. gerant, vel per partes ciuitatis. Nam licet eis res non ſit cum hoſtibus, & externis ad actiones obeundas, tamen in communionibus, quas partes ciuitatis habent inter ſe, diuites cum pauperibus, nobiles cum popularibus iuſtitiæ, fortitudinis, liberalitatis, & aliarum moralium virtutum actiones obire poſſunt, & ita modo philoſophari, modo ciuilibus muneribus, & moralibus virtutibus fungi*

24 Ipſum eodem modo fit, in vno quoque homine. *Vt idem modo philoſophetur, dum ſuppetit otium: modo gerat Remp. aut alias res agat, quæ ad vſus vitæ & virtutes morales pertinent.*

25 Alioquin vix Deus ipſe. *Si ſemper eſſet contemplandum, & omnino à cæteris actionibus abſtinendum, contemplatio ſola non ſatis eſſet ad commodam & beatam vitam hominis, qui multis rebus indiget ad vitam degendū. Nam philoſophantium contemplatio, vt ipſe libro primo de prima philoſophia teſtatur, nobilior eſt quàm vt ad humanas vtilitates referatur, ac idcirco Deo magis qui nulla re indiget, conuenit, quàm hominibus qui multis rebus indigent, quiq; ob eam cauſam omiſſa contemplatione, rebus neceſſarijs interdum ſeruire coguntur. Siue ergo ciuitas, ſiue ſingularis homo vitam contemplatiuam elegerit, non tamen poteſt ſemper contemplari, quin propter humanas neceſſitates alijs actionibus implicetur, tum vt officio poſcente, domeſticis, cognatis & amicis, denique ijs qui ſunt fidei ſuæ commiſſi proſpiciat. Vt enim re nulla indigeat, quæ à contemplatione & proprijs actionibus ad externas auocet, vix Deo, & vniuerſo mundo datum eſt, qui nulla externa re indigent, cuius cauſa externas obire debeant. Quæ omnia huc ſpectant, vt doceat errare, qui nihil eos agere dicunt, qui contemplationi vacant. Agunt enim non ſolum cogitando, cum cogitationes actiones quædam internæ ſint, ſed etiam externis actionibus fungendo, ad quas neceſſario propter humanam indigentiam deflectunt.*

26 *Aut illud.* Alioquin vix Deus. *Referendū eſt ad id quod dixerat contēplationes & cogitationes eſſe actiones, & qui cōtēplatur agere, alioquin Deus non eſſet beatus, quia nihil ageret, cum non agat extrinſecus, ſed contempletur tan-*

tur tan-

tur tantum. Nam ſi nihil agit, non rectè agit, ac proinde non eſt felix, cum felicem eſſe ſit rectè agere. Sed prior ſententia commodior videtur, & proximè dictu conuenientior. Vocat autem vniuerſum mundum cælum ſupremum, omnia ſuo complexu continens, quod animatum Ariſtotelis opinione, & quaſi Deus quidam eſt. Quod autem dicit vix Deo datum eſſe, vt ſine externis actionibus ſit felix, non ſic accipi debet, quaſi felicitati Dei obſit aliqua difficultas, ſed referendum eſt ad noſtram intelligentiam, qui quomodo Deus ſine vlla externa actione felix eſſe, & quomodo viuere valeat, vix poſſumus intelligere, proprijs tantum actionibus, contemplationiq́; vacando, poſſit ſine vlla ad actiones externas deflectendi neceſſitate: non quòd Deus non ſit actionum externarum auctor, ſed quia internis duntaxat actionibus intellectus aut voluntatis cuncta conficit. Nam ipſe dixit & facta ſunt, *id eſt ſola voluntate confecit omnia.*

CAPVT IIII.

1\. 1 SED quoniam quæ nunc de ipſis dicta ſunt, præfati ſumus, ac ſuprà de cæteris Rebuſpublicis diſputauimus, hinc initium ad reli-
2\. quam diſputationem capiemus. Vt primum quæ fundamenta 2 ciuitatis ex animi ſententia conſtituendæ iacienda ſunt diſſeramus. Nec enim fieri optima Reſpublica poteſt, niſi copia rerum ſit mediocriter inſtructa. Itaque multa prius fundamenta velut optando
3\. iaci debent, 3 quanquam horum nihil adeſſe impoſſibile eſt, vt ciuium multitudinem & magnitudinem agri. Nam quemadmodum cæteris artificibus, vt textori & nauium ædificatori materia ſuppetat oportet operi conueniens, quæ quo fuerit commodius præparata, hoc artis opus neceſſario pulchrius exiſtet: ſic homini ciuili legumq́ue latori apta, conuenienſq́ue materia adeſſe debet. Cęterum ex ijs quæ ad ciuilem copiam faciunt, primum de hominum multitudine, quot & quales natura adeſſe cōueniat, deque agro eodem modo quantus & qualis eſſe debeat, diſſerendum eſt. Plerique igitur felicem ciuitatem magnam eſſe oportere putant. Quod ſi verū eſt, quæ ciuitas magna ſit, quæ viciſſim parua, nō intelligunt, habitantium numero & multitudine ciuitatis magnitudinem metiē-
4\. tes, cum tamen 4 ad potentiam magis quàm ad multitudinem ſpectare oporteat. Eſt enim ciuitatis officium quoddam & opus, quod quæ obire maximè poteſt, hanc maximam eſſe ciuitatem exiſtimare conuenit: vt Hippocratem non hominem, ſed medicum maiorem

rem eſſe dicas altero, à quo magnitudine corporis ſuperetur. Cæterum quanuis in æſtimanda ciuitatis magnitudine ſit multitudinis habenda ratio, non tamen oportet quamcunque multitudinem ſpectandam eſſe putare. Nam fortaſſe in ciuitatibus magnum ſeruorum, inquilinorumq; & peregrinorum numerum adeſſe neceſſe eſt: ſed 5 eorum multitudinem intuendam, qui pars ciuitatis 5.
ſunt, & ex quibus vt proprijs partibus ciuitas conſiſtit: quippe horum ingens multitudo magnę ciuitatis eſt argumentũ. Ex qua verò ciuitate 6 opifices ſordidarum artium complures numero, armati 6.
vero pauci prodeunt, hæc non poteſt eſſe magna. Nec enim magna ciuitas hoc eſt, quod ciuitas hominibus frequentiſſima. Vix autem fieri poſſe, ac fortaſſe ne vix quidem, vt ciuitas hominib. frequentiſſima rectè legibus adminiſtretur: res ipſa declarat. Nam quæ rectè adminiſtrari videntur, harum nullam eſſe cernimus multitudine redundantem. cuius rei 7 ipſa quoque ratio fidem facit. Nam 7.
lex ordo quidam eſt, recta legum inſtitutio, vt ordinatione recta ſit neceſſe eſt. At nimius numerus ordinem tenere nequit. 8 Hoc e- 8.
nim diuinæ potentiæ, quæ hoc vniuerſum continet, munus eſt. Cũ igitur pulchritudo in multitudine & magnitudine conſiſtere ſoleat, 9 cui ciuitati cum magnitudine memoratus terminus adeſt, hæc 9.
eſt neceſſario pulcherrima. Sed vt cæterarum rerum animalium, ſtirpium, & inſtrumentorum, ſic ciuitatis menſura quædam eſt, & modus: horum enim quodque nec ſi valde exiguum ſit, nec ſi excedat magnitudine, vim ſuam retinebit, ſed modo prorſus naturam amittet, modo in ſtatum commodum delabetur. Vt nauigium prorſus non erit, nec ſi vnius palmi ſit, nec ſi pateat ſtadijs duobus, ſed 10 ad quandam magnitudinem progreſſum, modo propter 10.
exiguitatem, modo propter exuperantiam incommodam nauigationem efficiet. Eodem modo ciuitas ſi ex admodum paucis conſiſtat, adiumentis neceſſarijs carebit. ſin autem ex nimium multis, abundabit quidem neceſſarijs adiumentis, ſed 11 quaſi gens non ciui 11.
tas erit: nec enim facilè eſt Rempub. adeſſe. Quis enim dux nimiæ multitudinis erit, 12 aut quis præco niſi Stentori ſimilis? itaque 13 12. 13.
prima ciuitas ea ſit neceſſe eſt, quæ ex multitudine quanta primum ſatis eſt ad rectè viuendum in cõmunitate ciuili cõſtat. Sed quaquã fieri poteſt, vt maior ciuitas ſit, quæ hanc multitudinẽ excedat, 14 14.
hoc tamen, vt diximus, nõ eſt indeterminatum Quis autem ſit exuperantis magnitudinis terminus, ex operibus intelligere in prõptu

eſt.Nam ciuitatis actiones quædam imperantium, aliæ ſunt impe-
15. rata facientium.15 Eſt autem imperantis munus imperare & iudica
16.17. re.16 Ad iudicandum porrò de iuſtis & magiſtratus 17 pro digni-
tate mandandos,vt ciues,qualis quiſq; ſit, cognoſcant inter ſe, ne-
ceſſe eſt.quod vbi fieri non poteſt,neceſſario praua erit eorum quę
18. iudicia & magiſtratus attingunt condicio.Quippe 18 in vtroque te-
merè agere iniuſtum eſt,quod haud dubiè in nimium frequenti ci-
uitate vſu venit.Ad hæc peregrini & inquilini haud magno nego-
tio poſſunt ad Rempub.obrepere,quippe vbi latere propter nimi-
am ciuitatis multitudinem nō eſt factu difficile. Hæc eſt igitur op-
19. tima ciuitatis finitio,19 maxima multitudo copia rerum ad viuen-
dum inſtructa,quæ perſpici ſine magno negotio poſsit. Sed de ma-
gnitudine ciuitatis hactenus.

Scholia in Caput IIII.

1 Sed quoniam quæ nunc de ipſis dicta ſunt præfati ſumus.*Quæ hactenus dicta ſunt de vita beata, exordij loco ſunt ad diſputationem de optima Repub. propoſita,cuius fundamentum eſt,vt copia rerum neceſſariarum adſit. Sed hæc copia duas habet potiſſimas partes, quarum altera in multitudine hominum,altera in regionis, ſiue agri magnitudine conſiſtit. Itaque cōſiderandum eſt,quot homines,& quales natura ſuppetere debeant, & item quantus & qualis ager.Cæterum ad magnitudinem ciuitatis facultas eſt potius,& potentia quàm multitudo hominum ſpectanda, & in ipſa multitudine conſtituendæ ciuiū multitudo,non ſeruorum,& inquilinorum,& peregrinorum intuenda. Neque vero ciuitas optima putanda eſt, quæ ſit hominibus frequentiſsima.talis enim rectè adminiſtrari nō poteſt, vt res ipſa & exēpla optimè inſtitutarū ciuitatum declarant,quæ non ſunt nimium hominū multitudine frequentes,quod ipſum ratione quoque demonſtratur. Nam maxima hominū multitudo turbam cōfuſionemq; parit.Lex autē ordo quidā eſt, quo fit,vt maxima multitudo legi & legitimo ordini ſit aduerſaria. Debet igitur eſſe magna ciuitas,vt pulchra ſit,non tamen nimis magna, ſed in qua ciues inter ſe cognoſci queant,ne virtutes cuiuſque vitiaq; ad deligendos magiſtratus & iudices ignorentur,néue peregrini latenter poſsint ad magiſtratus obrepere.*

2 Ciuitatis ex animi ſententia conſtituendæ.*Ad condendam, & legibus inſtituendam ciuitatem,quale optare poſſemus,vt intelligatur hoc meliorē quamque ciuitatem,ſiu Rempub.fore, quo proprius ad hāc formam, quā*

animo & cogitatione conſtituimus,acceſſerit.

3 Quamuis horum nihil adeſſe impoſsibile eſt.*Sic formam ciuitatis & Reipub. cogitatione,quaſi optādo fingimus,vt cū aliqua deſiderari poßint, quædam tamen adeſſe neceſſe ſit,vt hominum multitudinem, & agrorum. Hæc enim legumlatori ſuppetere debent,non ab ipſo exquirenda afferendaque ſunt,vt textori lana, fabro materia ſuppeditanda ſunt, non ab ipſis facienda.*

4 Ad potentiam magis quàm ad multitudinem. *Nam ſi omnes ſerui aut inopes ſint,ciuitas,vt in tertio libro docuit, non erit, quamuis ſit magna multitudo.*

5 Eorum multitudinem intuendam. *Quot ſunt ij,ex quibus quaſi ex partibus ciuitas conſiſtit,id eſt quibus aditus eſt ad Rempub. gerendam, qui propriè ciues appellantur.*

6 Opifices complures.*Sordidarum artium artifices,qui in numero ciuium non habentur.*

7 Ipſa quoque ratio fidem facit. *Non ſolum ſenſus & experientia, vt modo diximus declarat,ſed ipſa quoque ratio docet.*

8 Hoc enim munus eſt diuinæ potentiæ.*Solus Deus hoc præſtare poteſt,vt maximam multitudinem in ordine cōtineat, & recte moderetur,qui vniuerſum mundum ſumma ratione gubernat.*

9 Cui cū magnitudine memoratus terminus adeſt. *Quæ magna quidē eſt,ſed ita vt rectè poßit legibus adminiſtrari,& ciues inter ſe cognoſci.*

10 Ad quandam magnitudinē progreſſum. *Cum ad aliquem terminum magnitudinis in maius aut minus proceſſerit.*

11 Quaſi gens erit.*Quaſi natio quædam ex multis populis conſiſtens.*

12 Aut quis præco niſi ſtentori ſimilis. *Stentor præco vocalißimus fuit in bello Troiano,libro quinto Iliados ab Homero celebratus,quem,hominum quinquaginta vocem æquaſſe tradit.*

13 Prima ciuitas.*Quæ minor multitudo ciuitas non eſſet.*

14 Sed hoc,vt diximus,non eſt indeterminatum.*Id eſt infinitum.nā licet prima ciuitate poßit eſſe altera maior, & hac etiam alia maior, tamen tantum poteſt creſcere multitudo,vt ciuitas eſſe deſinat.*

15 Eſt autem imperantis munus. *Imperans in Rep. dicitur, qui magiſtratum gerit.Nam magiſtratus ipſe imperium dicitur, & iudices magiſtratum gerunt.*

16 Ad iudicandum de iuſtis. *Ad deligendum viros iuſtos, quibus tribunalia & iudicia rectè committantur. Nam iudicare ſæpe Ariſtoteles pro eo dicit quod eſt ſuffragiis deligere,vt nos quoque ſæpe admonuimus.*

17 Pro dignitate mandandos. *Vt delectus hominum ad magiſtratus gerendos pro virtute & cuiuſque facultate fiat.*

18 Nam in vtroque temerè agere. *In deligendis iudicibus, & cæteris magiſtratibus mandandis errare.*

19 Maxima multitudo *Ciuium multitudo, copia rerum ad vſus vitæ, non modo neceſſarios, ſed etiam liberales inſtructa, & ea quidem maxima, ſed ita vt ciues inter ſe cognoſci poſſint. Nam licet minor multitudo poßit eſſe ciuitas, tamen vt ſit optima & pulcherrima ciuitas, qualem velut optantes inſtituimus, debet eſſe maxima, dum tamen modum non excedat, ſed omnes inter ſe cognoſci poßint, & quæ magnam copiam rerum vitæ commodarum habeat. Nam pulchritudo non eſt ſine magnitudine, vt ſuprà dixit, & item in quarto libro Ethicorum, in quæſtione de magnitudine animi.*

CAPVT V.

1. 2. 1.2 SIMILIS eſt regionis agrique ratio, de cuius qualitate non dubium eſt, quin maximè copioſus cunctorum approbatione ſit commendabilis, qualem eſſe neceſſe eſt rerum omnium feracem. Nam omnia ſuppetere, & nihil deſiderari, hoc demum eſt eſſe co-
3. pioſum. 3 Multitudine verò & magnitudine tanta eſſe debet, vt incolentes valeant in otio liberaliter ſimul, & temperanter viuere: quod rectè an ſecus præcipiamus, poſtea erit accuratius diſpiciendum; cum omnino de opibus atque diuitijs mentionem faciemus, & quam rationem modumque habere in ipſo vſu conueniat diſſeremus. Hæc enim commentatio multas habet controuerſias propter eos qui in vtranq; vitæ exuperantiam, quidam in tenuem & illiberalem vitam, alij è contrario in luxum trahunt. De forma verò regionis non eſt factu difficile præcipere, ſed in quibuſdam eſt rei militaris peritis habenda fides, qui oportere aiũt, vt hoſtib. ad inuadendum difficilis, ipſis verò facilis ſit ad eruptiones & excurſiones faciendas. Præterea quemadmodum hominum multitudo cognitu facilis eſſe debet (vt diximus) ſic item ager. Agrum aũt facilem eſſe
4. cognitu eſt eius eſſe naturæ, vt 4 facilè poſſit ſubſidium ferri. Vrbẽ verò ſi ex animi ſententia conſtituere licet, oportuno loco ad mare poſitam eſſe oportet. Vt autem ad agrum probè ſita ſit, vna conditio (de qua dixim⁹, adeſſe debet) vt ſit locis omnib. ad ferẽdam opem cõmunis: altera vt commodè fructus prouenientes deportari poſſint. Præterea vt ligna ſeu materia, & ſi quid aliud id genus

age-

ager ferat, non incommodè conferri valeant.

Scholia in Caput V.

1 Similis eſt regionis, agrique ratio. *Regio ſiue ager optimus eſt, conſenſu omnium, qui maximè copioſus & rerum omnium ferax ſit, eaq́; magnitudine & bonitate, vt ciues poßint ex eo liberaliter & ſimul temperatè viuere. Forma verò regionis maximè probatur, quæ ad bellum gerendum eſt accommodata, vt hoſtibus aditu difficilis ſit, ciuibus facilis ad eruptiones & excurſiones faciendas, & huiuſmodi, vt facilè in omnes partes ſubſidio iri poßit. Situs ad mare cõmodißimus habetur, ſed ager non ſolum ad res bellicas debet eſſe, quemadmodum diximus, accommodatus, ſed etiam ad fructus prouenientes, & materiam atq; ligna in vrbem importandum.*

2 Similis eſt regionis agrique ratio. *Quod græcè eſt χώρα, id latinè modo regio dicitur, modo ager: quocirca interpres verbum vnum græcum duobus latinis expoſuit.*

3 Multitudine & magnitudine tanta. *Tam longè & tam latè patere.*

4 Facile poſsit ſubſidium ferri. *Vt quocunque loco hoſtes incubuerint, facilè poßit ex vrbe in vicos, aut caſtella, & poſſeßiones, & ex caſtellis in vrbem ſubſidium mitti.*

CAPVT VI.

1 Commerciũ verò maritimum, ciuitatibus, quæ rectis legibus adminiſtrantur, conferat an ſecus, non deſunt qui multifariam in quæſtionem trahant, quoniam in ea peregrinos diuerſis legibus aſſuetos verſari 2 ad rectam legum inſtitutionem nocere, & vrbem nimis frequentem facere cõtendunt. Nam ex vſu maris importandis, exportandiſque rebus multos mercatores fieri, idque à recto ſtatu ciuitatis abhorrere tradunt. Cæterum his incommodis vitatis, tutius eſſe, & ad rerum neceſſariarũ copiam commodius, vt vrbs atque regio maritima ſit, non poteſt dubitari. Nam vt hoſtibus obſiſtatur, eos quorum ſaluti conſulitur, vtrinque terra marique ſubſidij facultatem habere debent ijdem ſi vtriuſque compotes ſint, inuadentibus, ſi non vtrinque, at certè 3 ex altera parte nocendi maiorem facultatem habebunt. Præterea ex rebus neceſſarijs quæ apud eos deſiderantur, inuectas accipere, & viciſsim 4 quæ de prouenien-

5· tibus ſuperſunt, has exportare licet. Nam ciuitas 5 mercaturam ſibi,
non alijs exercere debet. Qui verò apud ſe cunctis mercatum inſti-
tuunt, hi quæſtus gratia mercaturam exercent: quæ auaritia ſi vitan
da ciuitati eſt, fugienda eſt etiam talis mercatus inſtitutio. Sed cum
6· multis in regionibus & ciuitatibus naualia & portus 6 ad vrbem op-
portuno loco ſitos nunc quoque videamus, atque ita vt neque oppi
dum turba naualis habitet, neque tamen procul abſit in loco muris,
& alijs huiuſmodi munitionibus ſepto, non dubium eſt, ſi commo-
dum ex horum hominum communitate capitur, quin id bonum
huiuſmodi ciuitati ſit affuturum. Sin autem incommodum, nó eſt
difficile ferendis legibus cauere, & quos oporteat, & quos inter ſe
7· verſari non conducat conſtituendo. Cæterum 7 copiarum nauali-
um aliquem numerum ſuppetere commodiſſimum eſſe, in próptu
eſt intelligere, cũ non ſibi ſolum, ſed finitimorum etiã quibuſdã prę
ſidium habere paratum, & timori eſſe conueniat, vt terra, ſic item
mari. De multitudine verò & magnitudine harum copiarum, pro
8· ratione vitæ ciuitatis ſtatuendum eſt. Nam 8 principalem & ciui-
lem vitam acturæ ciuitati potentiam hanc ad actiones obeundas
mediocrem ſuppetere neceſſe eſt. Hominum verò magnã multitu-
dinem quæ ex turba nauali conficitur, vt ciuitatibus adſit, non eſt
neceſſe. Nec enim cõuenit vt hoc hominũ genus pars ciuitatis ſit,
9· quoniam 9 vectores, claſſicique milites, qui principatum tenent, &
in quorum poteſtate turba naualis eſt, liberi ſunt, & ex pedeſtribus
10· copijs. 10 Quod ſi accolarum & agros colentium multitudo adſit,
nautarum copiam abundè ſuppetere neceſſe eſt, vt hac quoque me-
moria quibuſdam vſu venire notámus, vt Heracleotarum ciuitati,
11. qui 11 licet minorem alijs vrbem obtineant, multas tamen triremes
complent. De regione igitur & portubus, deque vrbibus & mari,
copijſque naualibus, ad hunc modum diſſeruiſſe ſatis ſit. De ciuili
verò multitudine, quo termino finienda ſit, ſuprà eſt à nobis decla-
ratum.

Scholia in Caput VI.

1 Commercium verò maritimum conferat, an ſecus. *Commercium maritimum quaſdam habet incommoditates: nocet enim ciuitati rectè inſtituta. Peregrinorum, qui facilè vndiq; per mare influunt, conſuetudo, prauis ſcilicet moribus, & diuerſis inſtitutis imbutorum, quorum contagione vitium in*

um in ciuitate contrahitur. Item facit vt vrbs hominum frequentiſſima turba repleatur, quæ rerum perturbationem parit. Sed contra reputando his incommodis vitatis, commercium maritimum magnas commoditates affert. nam ſi bello ciuitas laboret facilius poteſt ab amicis & socijs ſubſidium per mare ſubmitti, & ipſi poſſunt facilius hoſtibus nocere. Præterea ſi quæ res neceſſariæ in vrbe deſiderantur, ex alijs regionibus importandi facultas adeſt, & viciſſim quæ ſuperſunt ex ijs quæ abunde in regionem agroq; proueniunt exportandi. Incommoda verò peregrinorum influentium, & turba naualis vitari poſſunt, ſi locus muniatur ab vrbe diſcretus, vbi hoc genus hominum diuerſetur. Prodeſt etiam ciuitati, vt claſſe valeat: ſic enim & amicis ſubuenire facilè poteſt, & hoſtibus terrori eſt.

2 Ad rectam legum inſtitutionem nocere. *Nam legibus legumq; ordini & inſtitutis, conſuetudo diuerſis moribus & inſtitutis aſſuetorum hominum obeſt. Et quia plurimi confluunt, vrbs nimis magna turba repletur, quæ nocet, vt ſuprà diximus, ciuitati.*

3 Ex altera parte. *A mari vel à terra bellum inferentibus nocendi.*

4 Et quæ ſuperſunt. *Ex ijs quæ in ea regione proueniunt.*

5 Sibi mercaturam exercere. *Emere res ſibi ad vitam neceſſarias aut commodas, & vendere fructus agrorum ſuperuacaneos, non autem emere vt vendant externis quæſtus gratia: hæc enim negotiatio cupiditatem & auaritiam parit.*

6 Ad vrbem opportuno loco. *Vt Piræus Athenis & Romæ, etiam nunc trans Tyberina regio, & Hiſpali Tranſamna.*

7 Copiarum naualium aliquem numerum. *Claſſem, claſſicoſq; milites aliquo numero.*

8 Principalem & ciuilem vitam. *Si debet alijs populis imperare.*

9 Vectores claſſicique milites liberi ſunt. *Vectores vocantur, qui naui vehuntur, nec ſunt remiges, aut nautæ. Hi ergo & milites qui ad pugnas nauales imponuntur, ingenui homines ſunt, & poſſunt eſſe pars ciuitatis, & ex pedeſtribus copijs aſſumuntur: & item dux ipſe præfectuſq; claſſis ciuis eſt, & qui copijs pedeſtribus interdum præſit, & in horũ poteſtate turba naualis eſt. vocantur autem pedeſtres copiæ in terra militantes, etiam equitatus. Nã iter pedibus conficere dicitur etiam qui equo inuehitur.*

10 Quod ſi accolarum & agricultorum multitudo adſit. *Accolarum conuertit interpres, quod græcè eſt περιοίκων, quo nomine vocantur ruſtici circũ vrbẽ habitantes, quorũ operarijs ad ſuos agros colẽdos vtũtur, vt Bononiæ, & in cætera Gallia Ciſalpina: quorũ ſi adſit in agris multitudo, facilè*

eſt tempore

eſt tempore belli.& cum res poſcit ex ipſis remiges,& nautas imponere, vt Heracleotæ faciebant.

11 Licet minorem alijs. *Qui pauciores triremes Remigibus inſtruunt quo in loco vulgatus codex græcè ἐμμελεστέραν habet pro ἐνδεεστέραν, & ἐκπληροῦντες pro ἐκπληροῦσι.*

CAPVT VII.

1. 1 Deinceps autem quales natura ciues eſſe oporteat explicemus. Quod ſi quis Græcorum fama celebres ciuitates,atque orbem terræ vniuerſum, & gentium, quibus incolitur diſcrimina conſideret,
2. haud erit intellectu difficile. Homines enim 2 qui frigida loca, Europamque inhabitant,ſunt illi quidem animoſi,intelligentia tamē
3. & arte minus ſolertes habentur. Itaque cum 3 libertatem conſtantius tueantur,tamen à recta Reip.ratione ſunt alieni,nec finitimis im
4. perandi facultatem habent. 4 Qui verò Aſiam incolunt, vt intelligentes & artificioſi ſunt,ſic parum animoſi. Itaque imperio ſemper ſubiecti ſunt,& ſeruitute preſsi. Græcorum autem genus, vt locorum medium tenet,ſic eſt vtraque natura præditum:quippe animo ſimul & intelligentia valet. Quamobrem in libertate perſiſtit, & o-
5. ptima ratione ciuilem ſocietatem adminiſtrat,& 5 vnam Rempub. nactum,poſſet vtique cunctis hominibus imperare: quanquã Græ-
6. corum gentes eandem inter ſe differentiam habent, & cum 6 quæ-
7. dam ſimplici natura præditæ ſint, 7 aliæ ad vtranque facultatem ſunt probè temperatæ. Igitur vt legumlatori faciles ſe,dociléſque ad virtutem præbeant,intelligentes haud dubiè, & natura animoſi
8. eſſe debent. 8 Nam quòd quidam ſic cuſtodes affectos eſſe oportere
9. tradunt, vt ſe notis amicos,ignotis autem intractabiles exhibeant: 9 animus eſt qui amorem ingenerat,quippe hanc animæ facultatem eſſe,qua diligimus, argumento eſt,quod animus in familiares & amicos,quàm ignotos, cum ſe contemni putat, magis exaſperatur.
10. Rectè igitur 10 Archilochus amicos incuſans, cum animo ſuo colloquitur. Nónne,inquit, *ab amicis cruciaris?* Item imperium atque libertas ab hac potentia cunctis hominibus proficiſcitur: Animus enim iratus imperioſus & inuictus eſt. Neque verò rectè præcipiunt, qui difficiles ignotis eſſe oportere tradunt, cum erga neminem talem eſſe cõueniat. Nec magnanimi intractabiles natura & difficiles habeantur, præterquam in eos à quibus iniuria laceſſuntur:quod tamen

men in familiares & amicos, vt ſuprà diximus, ſi qua iniuria ab eis ſe aſſici putent, magis vſu venit, idq́ue non ſine ratione. A quibus enim iuuari ſe beneficio oportere putant, ab eis tum offenſam ferre, tum etiam hoc beneficio priuari exiſtimant. vnde prouerbium natum eſt, Difficiles fratrum diſſenſiones: & qui valde amant, valde habent odio. Ciues igitur quot & quales eſſe natura, & regio quanta & qualis eſſe debeat, penè declarauimus: non enim tam accurata & exquiſita confirmatio poſcenda eſt, cum nitimur rationibus, & ii u. cum ſenſum ſequimur, & argumenta rerum.

Scholia in Caput VII.

1 Deinceps autem quales natura ciues eſſe oporteat. *Quatenus procedere oporteat hominum multitudinem in ciuitate, ſuprà docuimus: Nunc autem de ipſorum natura differendum eſt, quæ talis eſſe debet, vt ciues nec ingenio & intelligentia, nec animo deficiant, quales in medio regionum, modijſq́; mundi declinationibus prouenıunt, quarto ſcilicet & quinto climate, quibus Græcia & Italia atq; Hiſpaniæ pars bona continetur. Nam frigoris & caloris temperamentum, ingenio & animo temperatos homines miteſq́; & humanos reddit. Errant enim qui bellicoſos homines, quibus conſtat ciuitatis præſidium, ſuis mites, alienis difficiles eſſe oportere putāt, more canum. Nam qui magno animo ſunt, mitiores habentur, nec cuiquam infenſos ſe & intractabiles præbent, niſi à quibus afficiuntur iniuria.*

2 Qui frigida loca, Europamq́; inhabitant. *Qui loca tenent Europæ in Septentrionem vergentia. Nam Græcia quæ propriè intelligitur, vt Attica & Peloponneſus, Europæ partes ſunt, ſed medium tenent frigoris & caloris, quia medij ſunt inter Septentrionem & Meridiem.*

3 Libertatem conſtantius tuentur. *Quia cum ſint animoſi, audacius ſe contra vim inferentes, & in ſeruitutem redigere volentes ſeſe tuentur: ſed quia non valent ingenio, neſciunt cæteris imperare.*

4 Qui vero Aſiam incolunt. *Ad Meridiem ſcilicet & calorem ſolis, vt in tertio & ſecundo climate. Nam qui in Septentrionem vergunt, vt Scythæ, ſimiles Scythis Europæ ſunt. Qui verò ad torridam zonam acceſſerunt, nec ingenio valent, nec animo propter caloris intemperiem, quæ infeſtat illas regiones, licet non tam vehementer quam veteres exiſtimabant, qui prorſus inhabitabiles eas eſſe credebant. Nulla eſt enim mundi plaga quæ habitari nequeat, licet quædam incommodè, partim nimio calore, partim nimio frigore habitentur. Non igitur vt Scythas nimius algor reddit animoſiſſimos, ſic feruor, a-*

ſtuq; ſolis ingenioſiſſimos eos qui ſolis radijs ad perpendiculum iactis feriuntur: vt exploratum habemus iam pridem nauigationibus ferè Oceano perluſtrato, & altera continente, & nouo, hoc eſt ne fama quidem veteribus cognito orbe, magna ex parte à noſtris hominibus peragrato, & in ditionē redacto. quanquam in his quoque regionibus homines reperiuntur ad artificia ingenioſi magis quàm ad prudentiam, & hoc eſt fortaſſe, quod Ariſtoteles ait in regionibus calidis homines artificioſos procreari, quia nimius calor corporis temperiem corrumpit, qua intus ad rectas imaginationes indiget, quibus vtitur ad intelligēdum. Nam intelligere, vt ipſe tradit libro primo de anima, vel imaginatio eſt, vel non ſine imaginatione, quæ ſine corpore non efficitur. In frigidiſſimis autem regionibus Dei naturæq; prouidētia, homines ſanguine caloreq; abundant, quæ res homines animoſos efficiunt: neq; enim aliter tanto frigori reſiſtere valerent, quin humor, qui aquoſus animalibus in eis regionibus contingit gelaſceret. Quo fit, quemadmodum ipſe in libro de longitudine & breuitate vitæ tradit, vt animalia quib. parum aut nihil ſanguinis eſt, partim nequaquam gignantur in locis adiacentibus Septentrioni: neque in terra pedeſtria, neq; in mari aquatilia partim procreentur quidem, ſed minora, & breuiorис vitæ, rigore incrementum auferente.

5 Rempub. vnam nactum. *Si græci omnes conſentirēt, & vnam Rempub. haberent, cuius caput eſſet vna ciuitas, Athenæ, exēpli gratia, vel Lacedæmon, vt Roma erat Italiæ, cum rerum potiebantur.*

6 Quædam ſimplici natura prææditæ ſint. *Quædam Græcorum gentes animo magis valent, quàm intelligentia, quales habiti ſunt Thebani, aut contra.*

7 Aliæ ad vtranque facultatem *Ad animum & intelligentiam.*

8 Nam quod quidam. *Platonem deſignat, qui ſecundo libro de Repub. cuſtodes vrbis mites ſimul in ſuos, & iracundos in alienos eſſe oportere tradit: nam tales eſſe generoſos canes.*

9 Animus eſt, qui amorem ingenerat. *Animus eſt potentia quædam animæ eius partis quæ ratione vacat, vt ipſe tradit libro tertio de anima, atq; eadem pars animæ cupiditas dicitur, ſi cupiat, ſi iraſcatur animus. Nam θυμὸς græcè, quo verbo hic vtitur Ariſtoteles, modo animus conuertitur latinè, modo ira: & ipſe ..ſtotcles animoſos & iracundos eodem vocabulo ſolet θυμοειδεῖς appellare. Cupiditas autem & ira ad eandem animæ partem referuntur, & ira eſt quædam cupiditas: eſt enim appetitus vindictæ, vt ipſe libro primo de anima teſtatur. animus ergo ingenerat amorem, quoniam beneuolentia ex hac animi potentia proficiſcitur. Itaq; animoſi fortesque viri ad beneuolentiam proclíues ſunt, nec aſperi & intractabiles in quempiam, præterquam*

quam

quam in eos, à quibus afficiuntur iniuria, quam moleſtiùs ferunt ab amicis, quàm ab alienis illatam. Itaq; citius amicis quàm ignotis iraſcuntur: tantum abeſt, vt ſemper alienis infenſi & irati ſint, quod Platoni placebat. vocat autẽ Ariſtoteles ἀγρίους, id eſt agreſtes & intractabiles, quos Plato modo χαλεποὺς id eſt difficiles, modo θυμοειδεῖς, hoc eſt iratos dicit.

10 Archilochus amicos inculans. *Archilochus poëta fuit Lacedæmonius, metri iambici inuentor, quo Lycambem acerrimè inſectatus eſt, propterea quòd filiā quam ſibi deſpōderat denegauit, de quo Horatius noſter:* Achilocum proprio rabies armauit iambo.

11 Cum ſequimur ſenſum & argumenta rerum. *Cum experimentis, vt hoc in loco & exemplis agimus, quæ ratio quædam eſt diſſerendi popularis & oratoria, & minus exacta in confirmādo diligentia deſiderans, quàm cum ingenio nitimur, & rationibus.*

CAPVT VIII.

1 Sed quemadmodum in rebus naturalibus partes 2 totius conſti 1.2.
tutionis 3 non hoc ſunt, quod ea ſine quibus totum conſiſtere non 3.
poteſt: ſic haud dubiè ne ciuitatis quidem partes eſſe exiſtimari de-
bent omnia, quæ neceſſario ciuitatibus adſunt: nec alterius cuiuſ-
piam communitatis, ex qua genus vnum efficitur. 4 Nam vna quæ 4.
dam res æquè inæqualiterve communicata, communis atq; eadem
conſortibus eſſe debet, 5 ſiue cibus ea ſit, exempli gratia, ſiue longè, 5.
lateq; patens ager, ſiue aliud id genus quicquam. 6 Quarum igitur 6.
rerū ea conditio eſt, vt hæc illius gratia ſit, illa cuius gratia in his ni-
hil eſt commune, niſi quod hæc facit, illa ſumit Vt inſtrumento cui
uis & artifici nihil eſt cum opere quod efficitur commune: nihil eſt
enim quod fiat domui animi ſtructore commune, ſed ſtructoris
arti domus eſt quaſi finis propoſita. Ita cum opes ciuitatibus ſup-
petere debeant, ipſæ tamen in ciuitatis parte non numerantur. Cum
plures verò res animatæ diuitiarum partes ſunt. Eſt autem ciuitas
ſimilium hominum communio quædam optima, 7 quoad eius fie- 7.
ri poteſt, viuendi cauſa conflata Sed cum ſummum bonum felicitas
ſit, hæc autem actio, & virtutis vſus quidam perfectus, 8 cuius quidā 8.
compotes ſunt, alij parum aut nihil participes: hæc eſt perſpicuè cau
ſa cur genera & diſcrimina ciuitatis exiſtant, & complures Reſp. fi-
ant Nam cum hoc quiq; alio modo & per alia venentur, diuerſas vi-
tas & varias Reſpub. efficiunt. Cæterum quot ſint ea ſine quibus ci-
uitas non conſiſtat, conſiderare conuenit. In his enim neceſſario

ſunt,quas ciuitatis partes eſſe dicimus. Operum ergo numerus ſumendus eſt:ex his enim facilè res intelligetur. Primum igitur alimentũ,deinde artes ſuppetant oportet. vita enim multis inſtrumentis eget Tertio loco arma deſiderantur. Nam qui Reipub. præſunt,
9. hos armis,tum ad tuendum imperium,9 vt id detrectantes coerceãtur,tum ad vim,ſi quis iniuriam extrinſecus inferre conetur, propulſandam inſtructos eſſe neceſſe eſt. Præterea pecuniarum copia quædam ad vſus & ciuiles & militares deſideratur. Quinta eſt,ſed
10. 10 cunctis præferenda rerum diuinarum procuratio, quod ſacerdo
11. tium nominatur. Sextum, 11 iudicium de commodis & iuſtis inter ipſos,quæ res eſt omnium maximè neceſſaria. Hæc ſunt igitur opera quæ in omni ferè ciuitate requirũtur Nam ciuitas multitudo eſt, non quæuis,ſed cui copia ſuppetit(vt ſæpe dicimus)ad vitam degendam Si qua verò multitudo ſit his rebus deſtituta,ea ſocietas non poteſt ſimpliciter eſſe copioſa.Cum igitur per has operationes ciuitatem conſiſtere oporteat,agricolarum multitudinem, qui in cibo parãdo ſunt occupati,artifices,manum militarem,locupletes,ſacer-
12. dotes,& 12 rerum neceſſariarum commodarumq; iudices ciuitatib. adeſſe neceſſe eſt.

Scholia in Caput VIII.

r Sed vt in rebus naturalibus partes totius conſtitutionis non hoc ſunt quod ea ſine quibus. *Non omnia ſine quibus ciuitas conſtare nequit, ſunt partes ciuitatis,quia in omni communitate aliquid debet eſſe commune, ſiue æqualiter id,ſiue inæqualiter communicetur,. quod tamen non eſt pars communitatis.Sed quarum rerum vna eſt alterius gratia,his nihil eſt commune,ea quidem ratione:ſed alterum agit,alterum cõmoditatem ex illa actione ſeu factione recipit.itaq; licet opes neceſſariæ ſint ciuitati & ipſius gratia, tamen non ſunt partes ciuitatis,ac proinde ne homines quidem omnes qui opes & res neceſſarias ad vitã ſuggerunt,vt agricolæ & opifices. Sex autẽ opera ſunt ſine quib.ciuitas conſtare non poteſt,cibi cõparatio, quæ ad agricolas paſtoresq; pertinet multorũ inſtrumentorũ confectio,quæ ad opifices,vſus armorum,quod eſt militum efficium:opũ comparatio & ſuppeditatio, quod diuites faciũt:ſacrorum procuratio, quæ propria eſt ſacerdotũ:itẽ iudicatio, quæ duplex eſt:altera,qua iudices & tribunalia funguntur:altera,qua Senatores & Conſultores.Nã conſultare eſt de rebus honeſtis & vtilib. iudicare. Quæ ſex opera cum ſint ciuitati cuiq; neceſſaria efficitur vt nulla ciuitas ſine ijs conſtare poſsit,à quib.hæc opera ſiue officia præſtantur.hoc eſt ſine agricolis,pa-*

lis,paſtoribuſq́ʒ,opificibus, militibus, locupletibus,ſacerdotibus, iudicibus,& conſultoribus.

2 Totius conſtitutionis. *Conſtitutionem vocat rem compoſitam ex diuerſis partibus.*

3 Non hoc ſunt. *Non ſunt idem:hæc enim latius patent quàm partes N. omnes partes ſunt ex ijs, ſine quibus totum conſtare non poteſt: ſed non reciprocatur, vt ſine quibus totum conſtare non poteſt, ea cuncta ſint eius partes.*

4 Nam vna quædam res. *In omni communitate oportet eſſe aliquid vnum commune conſortibus ſocijſque communitatis, quod non eſt pars communitatis.*

5 Siue cibus ea ſit. *Vt in animali, cuius omnes partes ſumpti cibi participes ſunt,licet alia magis, alia minus participent.*

6 Quarũ igitur rerum. *Fini,& his quæ ad finem referuntur, nibil eſt commune,ſed illa faciunt,vt ſtructoris ars, & inſtrumenta:finis, vt domus accipit eſſe, aut commoditatem ab illis. Sic igitur opibus & ciuitati,cuius cauſa petuntur,nibil eſt commune.*

7 Quoad fieri poteſt *Pro ratione rerum ſuppetentium.*

8 Et eius quidam compotes ſunt. *Cum quidam ſint virtute præditi,cuius vſu felicitas continetur, alij parum aut nibil virtutis attingant,hinc variæ genera Rerumpublicarum exiſtunt. Nam qui virtutem conſequuntur,& veram felicitatem, hi bonas Reſpub. habent: qui verò felicitatem alio quàm virtute metiuntur,hi malas. Omnes enim felicitatem quærunt, & quaſi venantur, ſed varijs ſemitis:quidam per virtutem(quorum eſt vera, recta,& compendiaria via)alij per diuitias,alij per imperia & gloriam bellicam,à vera ſcilicet via deflectentes.*

9 Vt id detrectantes coerceantur. *Vt qui imperio parere in ciuitate recuſant,vi & metu in officio contineantur.*

10 Cunctis præferenda procuratio *Nam pietas in Deum, cultuſq́ʒ diuinus cunctis procurationibus,& muneribus publicis, & priuatis debet iure naturæ,non diuino ſolum anteferri.*

11 Iudicium de rebus commodis & iuſtis. *Iudicare de rebus cõmodis eſt deliberare in Senatu vel concione,quod pertinet ad conſultores. De rebus verò iuſtis iudicare eſt reddere ius ex tribunali,quod pertinet ad iudices.*

12 Rerum neceſſariarum & commodarum iudices. *Iudices & conſultores. Nam res neceſſarias nunc vocat, quas paulò antè iuſtas, quia nibil magis eſt neceſſarium in ciuitate, quàm vt cuiq́ʒ quod ſuum eſt tribuatur, quod à tribunalium iudicibus efficitur.*

CAPVT IX.

1. 1 His rebus conſtitutis, reliquum eſt vt vtrum hæc omnia ab om-
2. nibus obiri debeant diſpiciamus:(nam fieri poteſt 2 vt omnes agri
colæ ſint,& ijdem opifices,ijdem conſultores,& ijdem iudices,)an
ex ſingulis muneribus memoratis, alijs alia mandari debeant, &
3. 3 quædam propria, quædam neceſſario communia ſint,non tamen
hoc in omni Repub.quoniam,vt diximus,fieri poteſt, vt ab omni-
bus omnia,& non omnia ab omnibus,ſed quædam à quibuſdam o-
4. beantur,4 vnde Rerumpublicarum diuerſitas exiſtit.In ſtatibus e-
nim popularibus cuncta munera ab omnibus obeuntur,quòd con-
tra fit in paucorum potentijs. Sed cum nos de optimo ſtatu Reip.
id eſt,qui maximè omnium poſſet ciuitatem reddere felicem,diſſe
ramus.nec ſine virtute queat, vt ſuprà declarauimus, felicitas con-
tingere,ſatis intelligitur oportere,vt in ciuitate quæ optimo Reip.
5. ſtatu fungitur, 5 & viros ſimpliciter, non poſitione iuſtos ſortita
6. eſt. Ciuium vita 6 nec forenſis ſit,nec in ſordidis artibus verſetur:
7 talis enim vita parum ingenua, & 7 virtuti nonnihil aduerſaria eſt.
8. Sed nec agricultores eſſe conuenit futuros ciues.8 otium enim tum
ad virtutem ingenerandã, tum ad ciuilia munera obeunda requiri
tur.Sed cum genus militare adſit,& item eorum qui de rebus com-
modis conſultant, & qui iudiciales controuerſias cognoſcunt, &
hi potiſſimum partes ciuitatis eſſe videãtur,vtrum hæc diuerſa ſint
— ſtatuenda quæritur,an eiſdem vtrunq; munus mandandum, quod
tamen dijudicare non eſt difficile. quodammodo enim eiſdem
9. mandari oportet,quodammodo diuerſis.Nam quia 9 vtrunq; mu-
10. nus 10 diuerſum ætatis robur deſiderat:alterum enim prudentiam,
alterum vires requirit.hac quidem ratione diuerſis mandari debẽt,
ſed illa eiſdem,quia fieri non poteſt, vt qui vim facere & prohibe-
re poſſunt,ij ſemper ſub imperio cõtineantur.Nam quorum in po-
teſtate ſunt arma,horũ arbitrij eſt,maneat, an ſecus Reſp.relinqui-
tur ergo vt vtriſque ſit hæc Reſp. non tamẽ eodem tempore com-
mittenda,ſed prout ratio naturæ poſtulat:quæ vt iunioribus vires,
ſic ſenioribus prudentiam largitur. Ad hunc igitur modum vtriſq;
11. tribuere,& expedit,& iuſtum eſſe videtur, quoniam 11 hæc diuiſio
rationem ſequitur dignitatis,quinetiam cum ciuib. ſit res familiaris
12. neceſſaria, & 12 ij ſint ciues, penes hos ipſos opes eſſe neceſſariũ eſt.

Nam

Nam neque opificibus ciuitas, nec alteri cuiquam generi, cuius munus à virtute abhorreat, communicatur: 13 quod expoſitione planũ 13.
efficitur. Nam vita beata neceſſario cum virtute contingit: beatam verò ciuitatem 14 non ad partem quandam ipſius, ſed ad ciues om- 14.
nes ſpectantes dicere debemus. Nec verò dubitari poteſt, quin horum poſſeſſiones eſſe oporteat, ſi quidem neceſſe eſt agricultores ſeruos, 15 aut barbaros eſſe, vel ruſticos homines circum vrbem ac- 15.
colentes, quos Græci periœcos appellant. Cæterum 16 ex ijs quę ſu- 16.
prà recẽſuimus, ſupereſt vt de ſacerdotum genere diſſeramus: quãquam hic ordo parum dubitationis habet. Nam cum deos immortales à ciuibus coli fas ſit, ſatis intelligitur nec agricolam, nec opificem ſacerdotem eſſe conſtituendum. Sed cum ciues bipartiti ſint, 17 armis alteri, conſultationibus alteri vacantes, deceatque cultum 17.
dijs immortalibus exhiberi, & in his colendis qui ætate confecta ſunt requieſcere, his ſacerdotia rectè fortaſſis mandarentur. Quæ ſunt igitur ea, ſine quibus ciuitas nõ conſiſtit, & quæ ciuitatis partes, expoſuimus Nam cum agrorum cultores & opifices, & omne mercenariorum genus ciuitatibus adeſſe neceſſe ſit, partes tamen ciuitatis milites & conſultores ſunt, & horum quodque genus diuiſum eſt: quædam enim munera perpetua ſunt, quædam per vices geruntur.

Scholia in Caput IX.

1 HIS reb. conſtitutis reliquum eſt, vt vtrum hæc omnia *Explicatis operibus in omni ciuitate neceſſarijs, ſequitur vt omneſne ciues cuncta opera, an alij alia obire debeant conſideremus. Nam vtrunque fieri poteſt, licet non in omni Rep. Cæterum in optimo ſtatu Reip. vbi ciues ſimpliciter boni & iuſti ſunt, ciues, nec artifices eſſe debent, nec mercatores, quippe quorum vita nec ingenua eſt, & à virtute propter mendacia & auaritiam abhorret, quibus malis frequenter implicantur. nec item agros colere debent, quoniam agricolis otium nec ad officia, quibus fungendis virtus ingeneratur, nec ad obeunda ciuilia munera ſuppetit, quamuis eorum vita procliuior ad virtutem, innocentiorq́ ſit: ergo nec opifices, nec mercatores, nec agricolæ partes ciuitatis eſſe debent, quanquam ſine his ciuitas eſſe non poteſt. Munera verò militaria, & conſultandi, iudicandiq́ officia, quæ ad ciues maximè pertinent, eiſdem hominibus mandari debent, ſed diuerſis ætatibus, prout natura poſcit, quæ iuuenibus vires ad munera militaria, ſenioribus verò prudentiam, &*

rerum

rerum maiorem ad iudicandum & deliberandum cognitionem tribuit. Præterea diuitiæ & poſſeßiones penes hos ciues eſſe debent, qui maximè partes ciuitatis eſſe videntur, atq; eo magis, quòd ſerui aut barbari ſeu periœci agros colere debent. Sacerdotia quoque ciuibus maximis natu, poſtquam ciuilibus muneribus functi fuerint, & quaſi emeriti, mandandi ſunt, vt in cultu diuino & procurandis ſacris acquieſcant.

2 Vt ijdem omnes. *Simul, aut per vices, vt fit in Rep. populari, vbi omnibus omnia munera communicantur.*

3 Quædam propria ſint. *Quibuſdam, certiſqué hominibus mandentur.*

4 Vnde Rerũpub. *Nã vbi vnus tenet imperij ſummam, monarchia eſt: vbi paucis communicatur Reſpub. paucorum potentia: vbi cunctis ſeu pleriſq; Reſp. popularis: quæ genera rurſus in alias ſpecies diuiduntur.*

5 Et viros ſimpliciter, non poſitione iuſtos. *Iuſtos ſimpliciter appellat probos viros, & virtute præditos. nam iuſtus eſt qui iuſtitiam colit: iuſtitia verò idem eſt re, quod virtus, licet ratione differant. nam iuſtitia dicitur quatenus eſt ad alterum: virtus verò, quæ talis quidam habitus, vt ipſe docet Ethicorum quinto. Simpliciter autem iuſtus ſeu probus ciuis eſt, qui veram iuſtitiam habet, veraſq; virtutes, & quibus vir probus cenſetur: poſitione autem qui pro ratione Reipub. bonus ciuis dicitur, quia eſt tali Reipub. accommodatus etiam praua, quamuis homo prauus ſit, ac vitioſus. Nam in optimo ſtatu Reipub. eadem eſt virtus ſimpliciter probiq; viri, quæ probi ciuis, ac idcirco iuſtos viros dixit pro iuſtis ciuibus.*

6 Nec forenſis eſſe debet, nec in ſordidis artibus verſari. *Mercatorũ, inſtitorum, tabernariorumq; vita, vt ſæpe diximus, forenſis ab Ariſtotele nuncupatur. Artes verò ſordidæ, opificum artificia.*

7 Virtuti nonnihil aduerſa. *Quoniam auari, aſtuti, & mendaces magna ex parte homines id genus fiunt, præſertim forenſes.*

8 Otium enim ad virtutem ingenerandam. *Virtus cum ſit habitus ex actibus frequenter obeundis gignitur, ad quos fungendos quoniam agricolis otium non ſuppetit vt fortiter, exempli gratia, in bello vel iuſtè iudicando faciant, idcirco agricolis quaſdam virtutes comparare non datur præſertim ciuiles, licet eorum vita non ſit virtuti contraria, ſed potius opportuna, nec ab operibus neceſſarijs otium ad Rempub. gerendam ſupereſt.*

9 Vtrunque munus. *Tria genera, de quibus proximè agebat, nunc confert in duo, nam vtrunque de duobus dicitur, ſcilicet, quia iudices in tribunalibus controuerſias minuentes, & conſultores in vno iudicum genere continentur, vt ipſe capite ſuperiore vno genere complexus eſt, & infra in hoc ipſo.*

10 Di-

10 Diuerſum ætatis robur. *Nam munus militare vires corporeas deſiderat, quæ in ætate iuuenili contingunt, munus verò conſultandi & iudicandi vires & robur mentis ac intelligentiæ, quod accidit circa annum ætatis quinquageſimum, vt ipſe docet hoc ipſo libro ca. decimoſexto. Itaque iuuenes ad munera militaria maturi ſunt & robuſti, ſenes verò ad iudicandum & deliberandum.*

11 Hæc diuiſio rationem ſequitur dignitatis. *Quia pro facultate & dignitate cuiuſq; ordinis hæc munera diſtribuuntur.*

12 Et hi ſint ciues. *Milites, conſultores, & iudices: itaque horum debent eſſe poſſeſſiones.*

13 Quod expoſitione palam fit. *Quoniam in optimo ſtatu Reip. quem inſtituimus, ciues vt beati ſint, oportere probos eſſe viros, & virtute præditos, velut indubitatum poſuimus. Quo planè intelligitur, non eſſe conſentaneum, vt ciues ſint, qui abhorrent à virtute, vt opifices, & cæteri, de quibus eſt memoratum.*

14 Non ad partem quandam ſpectantes. *Non ſi qua ciuitatis pars felix eſt, protinus erit ciuitas beata, ſed omnes partes felices eſſe oportet: ſine virtute autem felicitas non contingit: ordines igitur hominum abhorrentium à virtute, cum non ſint felices, non ſunt partes ciuitatis felicis, qualis eſt quæ optimo ſtatu Reip. vtitur.*

15 Aut barbaros. *Barbaros Græci vocant cæteros omnes extra ſuum genus. Ariſtoteles autem ciuitatem in Græcia mente & cogitatione fingit, in regione ſcilicet temperata, vt ſuprà dixit, & ferace, quò ſolent externi homines mercenarij victus cauſa confluere, & agros mercede colere: vt Corduba, vnde nos ſumus, accidit, regioni, vt hominum & equorum ſic omnium frugum feraciſſimæ. Huc enim magna turba ruſticorum hominum, ex partibus Hiſpaniæ Septentrioni adiacentibus quotannis confluit, quorum opera ciues Cordubenſes magna ex parte ad agros colendos vtuntur.*

16 Ex ijs quæ ſuprà recenſuimus. *Ex hominum ſex generibus, ſiue ordinibus, quos capite ſuperiore recenſuit: nam ſacerdotes quinto loco numerauit.*

17 Armis alteri, conſultationibus alteri. *Vt ſuprà nomine iudicum complexus eſt conſultores, ſic nunc nomine conſultorum iudices complectitur. Nam vtrique conſultant, diſceptantq; de rebus alij iuſtis, alij commodis, & vtrique iudicant de rebus eiſdem, quæ ſint iuſta, & quæ vtiles.*

CAPVT X.

B 1 NEQVE verò nunc primum aut nuper hoc in eorum, qui
de Rep. philoſophantur, notitiam veniſſe videtur, ciuitatem per
genera diuidi, & militarem manum ab agricolis diuerſam eſſe o-
portere. Quippe hoc modo etiam nunc ſe le res habet, tum in Ae-
gypto, tum in Creta, quod illic Seſoſtris, in Creta vero Minos ſan-
xiſſe memorantur. Comeſſationum etiam inſtitutum antiquum eſ-
ſe videtur: in Creta quidem ab ipſis vſq; Minois regis temporibus:
in Italia vero multo vetuſtior. Cuius gentis hiſtoriæ Italum quen-
dam Oenotriæ regnum obtinuiſſe tradunt, à quo Itali nomine
mutato pro Oenotrijs fuerint appellati, & oram illam Europæ, 2
2. quæ intra Scyleticum, & Lameticum ſinum dimidiati die itinere
diſtantes continetur, Italiam fuiſſe nominatam. Ab hoc igitur Italo
3. Oenotrios 3 ex nomadibus agricolas factos & cum alias leges tra-
4. ditas, 4 tum comeſſationes primum inſtitutas fuiſſe produnt. Itaq;
nonnulli ex poſteris illius concœnationibus etiam nunc, & qui-
5. buſdam legibus vtuntur. 5 Accolebant autem mare Tyrrhenum
6. Opici, vt antiquitus, ſic etiam nunc Auſones cognominati: 6 ad Ia-
pigiam verò & Ionium mare, Syrtimq́ue appellatam, Chaones ſed
Chaones genus ab Oenotrijs ducebant. Comeſſationum igitur in-
ſtitutum hinc habuit originem, diuiſio verò ciuilis multitudinis in
genera, ex Aegypto. Seſoſtris enim regnum longo temporum in-
teruallo regnũ Minois anteceſſit. Vt igitur cætera ferè longo tem-
pore ſæpe ac potius ſæpiſſimè ſine fine inuenta fuiſſe putare conue-
nit (vt enim ratio ſuadet, res neceſſarias inueniendi indigentia ipſa
magiſtra eſt: his autem ſuppetentibus, quæ ad ornatum & vſus li-
berales pertinent accreſcunt:) ſic in ea quæ Reſpublicas attingunt,
accidiſſe credi par eſt. Eſſe autem omnia vetuſta ex Aegyptijs argũ-
7. mentum ſumi poteſt, 7 qui cum vetuſtiſſimi eſſe videantur, leges
atque ordinem ciuilem ſortiti ſunt. Ergo quæ rectè tradita ſunt, ijs
vtendum eſt: quę verò prętermiſſa, hęc vt inueniantur, curandum.
Agros igitur ab ijs qui arma tenent, quiq́ue Rempub. adminiſtrant
poſſideri oportere, & cur ab his agricolas diuerſos eſſe conueniat,
& quantus qualiſq́ue ager eſſe debeat, ſuprà declarauimus. De di-
ſtributione verò, & quos qualeſq́ue agricolas eſſe conueniat, pri-
mum eſt diſſerendum. Nobis enim nec bona, vt quidam dixerunt,

com

communia eſſe, ſed per amicitiam vſu fieri communia, nec quenquam ciuium alimento indigere placet. Comeſſationes autem rectè conſtitutis ciuitatibus eſſe commodas, communis eſt omnium conſenſus. Sed quam ob cauſam idem quoque nobis videatur poſtea diſſeremus. Cum autem concœnationes ciuibus cunctis patere conueniat, nec facilè egeni de ſuo 8 conſtitutam partem conferre, & reliquam familiam alere poſſint, & ſumptus in deorum cultum facere, ad vniuerſam ciuitatem communiter pertineat, nimirum agros bipartitos,& alteram partem publicam, alteram priuatam eſſe: & rurſus vtranque in duas ſecari neceſſarium eſſe videtur,vt publica vectigalia, partim in ſacrificia cultumque deorum, partim in concœnationum ſumptus impendantur: ex priuatorum autem agris altera pars 9 in extremis finibus, altera ad vrbem eſſe debet, vt cum binæ ſortes ſingulis fuerint diſtributæ, omnes ſint vtriuſque loci participes:ſic enim & 10 pari iure continebuntur, & erunt ad finitimorum bella concordes. nam vbi res ſeſe aliter habet,alteri finitimorum inimicitiam parui faciunt, 11 alteri nimis ea & turpiter ſollicitantur.Quare qui finitimis ſunt vicini apud quoſdam lege à conſilijs, cum de bello cum finitimis gerendo deliberatur excluduntur, quaſi rectè dum ſuis rationibus ſeruiunt, conſultare nequeant. Agros igitur in hunc modum propter memoratas cauſas diuiſos eſſe oportet. Agrorum autem cultores vt ſerui ſint, non omnes eiuſdem rationis, nec animoſi, ſic enim & ad opus conficiendum commodi ſunt, 12 & periculum abeſt, ne quid noui moliantur,optabile eſt:ſin minus,13 vt barbari circum vrbem accolentes modo dictis natura ſimiles, quorum priuati in agris priuatis ſint,& priuatim eis qui poſſeſſiones habent famulentur,publici verò in agris publicis.Quomodo autem ſeruis vtendum ſit, & cur eis libertatem præmium proponere conueniat,poſtea diſſeremus.

8.
9.
10.
11.
12.
13.

Scholia in Caput X.

1 NEQVE verò nunc primum,aut nuper. *Aegyptiorum & Cretenſium exemplo ſeu teſtimonio, ciuitatum per genera diſtributionem veterem eſſe docet: & comeſſationes in Creta à Minoe vetuſtiſſimo rege,& ante hunc in Italia ab Italo rege inſtitutas fuiſſe. Italus autem, inquit, nomen dedit genti, quam ex paſtorali vita ad agros colendos reuocauit. Itaque diuiſionis ge-*

nis generum in ciuitate Seſoſtris rex Aegyptius auctor fuit, Italus concænationum. Nam vt cætera ſic quæ pertinent ad ſtatum ciuitatis ſæpe fuiſſe inuenta longiſſimo tempore probabile eſt. Agros autem bipartitos ſic eſſe oportet, vt altera pars ſit publica ciuitatis, altera ſingulorum priuata. Tum publica in duas partes ſecari debet, quarum vna comeſſationibus deſtinata ſit, altera ſacrorum procurationi, & ſacerdotijs. Porrò ſingulorum agri ſic per ſortes debent eſſe diuiſi, vt bina cuique tribuantur, altera circa vrbem, altera in extremis regionis finib. vt par ſit omnium iuris conditio, æqua ſecuritas & viciſſim ſolicitudo ſi bellum cum finitimis extiterit. Agros verò colendi optima ratio eſt. ſi à ſeruis non eiuſdem nationis, nec animoſis colantur, vt facilius pareant, neuè rebus nouis ſtudeant. Proxima vt à barbaris qui rure inhabitent, vel mercede conducti, vel partem fructuum, quibus alantur ferentes.

2 Quæ intra Scylleticum & Lameticum ſinum. *Qui locus eſt in ea parte Italiæ, quæ magna Græcia nominatur. Scylleticus autem ſinus à Scylletio oppido ab Athenienſibus condito cognominatur: Lameticus verò is forſitan eſt. qui Prinæus alio nomine vocatur, ad quem eſt Lacinium promontorium, quod fortaſſe Lametium ab alijs eſt nominatum, aut hic vocabulo à librarijs corrupto Nam his duobus ſinibus peninſulam effici, paſſuum viginti millia patentem Plinius eſt author, quod interuallum non abhorret ab Ariſtotelica menſura.*

3 Ex Nomadibus. *Ex vita paſtorali. Nomades enim vocantur, qui pecora ſequuntur incertis ſedibus vagi, nec tecta ſubeuntes.*

4 Comeſationes tum primum inſtitutas. *Cœnæ communes, ad quas quindeni, vt Lacedæmone: aut viceni, alioué certo numero diebus omnibus conueniebant.*

5 Accolebant autem mare Tyrrhenum Opici. *A Liguſtico mari ad Siciliam, vt Plinius teſtatur, mare Thuſcum appellatur: quòd ex Græcis alij Notium, alij Tyrrhenum, ex Romanis plurimi Inferum vocant. Auſones autem a Strabone regionem campeſtrem circa Pometiam, & item Campaniam tenuiſſe memorantur.*

6 Ad Iapygiam verò & Ionium mare, & Syrtim appellatam Chaones. *Iapygia regio eſt ad Apuliam ſic dicta ab oppido Iapyge, quod poſtea Barion nomen habuit ad mare Ionium, & eam partem quæ Syrtis vocatur. Appellantur autem Syrtes loca maris breuia, & vadoſa. Chaones verò, quos hic memorat, populi ſunt ad Apuliam Italiæ regionem, diuerſi ſcilicet à Chaonibus Epiri, gente ab auctoribus maximè ad montes Acroceraunios celebrata. Chaones igitur Italiæ ab Oenotrijs genus ducere dixit, vt intelligatur hos*

tur hos quoq; vt Oenotrios vſos fuiſſe comeſſationibus, & cæteros de quibus hic meminit in Italia.

7 Qui cum vetuſtiſsimi eſſe videantur. *Non quòd Aegyptus ſit regio vetuſtiſſima, quam ipſe Ariſtoteles inuectu Nili amnis magna ex parte non ita pridem fuiſſe factam, cum prius mare fuiſſet, primo libro metheororum docet: ſed quia ſuperior ac prior eius pars iam olim habitetur, cum aliæ regiones diu fuerint ab habitatoribus vacuæ.*

8 Conſtitutam partem. *Vt Lacedæmone conſtitutum erat quantum quiſq; de ſuo ad comeſſationes quæ non ſiebant ex publico eſſet collaturus, vt explicuimus ſecundo libro.*

9 In extremis finibus. *In locis agri ab vrbe maximè remotis.*

10 Pari iure continebuntur. *Si alteris prope vrbem ſors agri tota tribueretur. alteris in loco remotiſſimo, hi non vterentur pari iuris conditione: nec in bellis vel propulſandis, vel inferendis idem eſſet vtriſq; animus, ſed vt agrorũ ſuorum rationibus conuenire quiſq; putaret, ſic de bello ſuſcipiendo ſententiam diceret.*

11 Alteri nimis. *Qui agros habent ab vrbe remotos, in hoſtiumq; confinio, qui dum agris metuunt, timidè ſolent de bello aduerſus finitimos ſuſcipiendo deliberare, quo ſit vt lege à talibus deliberationibus in quibuſdam ciuitatibus excludantur.*

12 Et periculum abeſt, ne quid noui moliantur. *Nam qui ſunt eiuſdem nationis facilè ſidem habent, & conſpirant inter ſe, & ſi audaces ſunt, non deeſt animus ad deliberata perficiendum: diuerſis autem, & facilius imperatur, nec adeſt occaſio in dominos conſpirandi.*

13 Vt ſint barbari circa vrbem accolentes. *Supra barbaros, & periœcos diſtinxit, nunc eoſdem facit. Nam fieri poteſt, vt non indigenæ, ſed aduenæ ſint qui villas inhabitent, & mercede conducti agros colant, vt magna ex parte ſit in agro Cordubenſi.*

CAPVT XI.

1 Vrbem continenti, mariq́ue, 2 & perinde quoad fieri poteſt, omni agro communem eſſe oportere ſuprà declarauimus. Situm vero 3 ipſius vrbis ad ipſam relatum, ad quatuor ſpectantes optare debemus. Primum ad valetudinem, vt rem neceſſariam. Vrbes enim quæ in ſolem orientem inclinant, & ventis ab ortu flantibus expoſitæ ſunt, ſalubriores habentur. Proximæ ab his quæ in Aquilonem vergunt. hæ namq; magis commodis auris refrigerantur. De reli- 1.2. 3.

nis generum in ciuitate Seſoſtris rex Aegyptius auctor fuit, Italus concænationum. Nam vt cætera ſic quæ pertinent ad ſtatum ciuitatis ſæpe fuiſſe inuẽta longiſſimo tempore probabile eſt. Agros autem bipartitos ſic eſſe oportet, vt altera pars ſit publica ciuitatis, altera ſingulorum priuata. Tum publica in duas partes ſecari debet, quarum vna comeſſationibus deſtinata ſit, altera ſacrorum procurationi, & ſacerdotijs. Porrò ſingulorum agri ſic per ſortes debent eſſe diuiſi, vt bina cuique tribuantur, altera circa vrbem, altera in extremis regionis finib. vt par ſit omnium iuris conditio, æqua ſecuritas & viciſſim ſolicitudo ſi bellum cum finitimis extiterit. Agros verò colendi optima ratio eſt, ſi à ſeruis non eiuſdem nationis, nec animoſis colantur, vt facilius pareant, neuè rebus nouis ſtudeant. Proxima vt à barbaris qui rure inhabitent, vel mercede conducti, vel partem fructuum, quibus alantur ferentes.

2 Quæ intra Scylleticum & Lameticum ſinum. *Qui locus eſt in ea parte Italiæ, quæ magna Græcia nominatur. Scylleticus autem ſinus à Scylletio oppido ab Athenienſibus condito cognominatur: Lameticus verò is forſitan eſt, qui Prinaus alio nomine vocatur, ad quem eſt Lacinium promontorium, quod fortaſſe Lametium ab alijs eſt nominatum, aut hic vocabulo à librarijs corrupto Nam his duobus ſinibus peninſulam effici, paſſuum viginti millia patentem Plinius eſt author, quod interuallum non abhorret ab Ariſtotelica menſura.*

3 Ex Nomadibus. *Ex vita paſtorali. Nomades enim vocantur, qui pecora ſequuntur incertis ſedibus vagi, nec tecta ſubeuntes.*

4 Comeſationes tum primum inſtitutas. *Cœnæ communes, ad quas quindeni, vt Lacedæmone: aut viceni, aliouè certo numero diebus omnibus conueniebant.*

5 Accolebant autem mare Tyrrhenum Opici. *A Liguſtico mari ad Siciliam, vt Plinius teſtatur, mare Thuſcum appellatur: quòd ex Græcis alij Notium, alij Tyrrhenum, ex Romanis plurimi Inferum vocant. Auſones autem a Strabone regionem campeſtrem circa Pometiam, & item Campaniam tenuiſſe memorantur.*

6 Ad Iapygiam verò & Ionium mare, & Syrtim appellatam Chaones. *Iapygia regio eſt ad Apuliam ſic dicta ab oppido Iapyge, quod poſtea Barion nomen habuit ad mare Ionium, & eam partem quæ Syrtis vocatur. Appellantur autem Syrtes loca maris breuia, & vadoſa. Chaones verò, quos hic memorat, populi ſunt ad Apuliam Italiæ regionem, diuerſi ſcilicet à Chaonibus Epiri, gente ab auctoribus maximè ad montes Acroceraunios celebrata. Chaones igitur Italiæ ab Oenotrijs genus ducere dixit, vt intelligatur hos*

tur hos quoq; vt Oenotrios vſos fuiſſe comeſſationibus, & cæteros de quibus hic meminit in Italia.

7 Qui cum vetuſtiſsimi eſſe videantur. *Non quòd Aegyptus ſit regio vetuſtiſſima, quam ipſe Ariſtoteles inuectu Nili amnis magna ex parte non ita pridem fuiſſe factam, cum prius mare fuiſſet, primo libro metheororum docet: ſed quia ſuperior ac prior eius pars tam olim habitetur, cum aliæ regiones diu fuerint ab habitatoribus vacuæ.*

8 Conſtitutam partem. *Vt Lacedæmone conſtitutum erat quantum quiſq; de ſuo ad comeſſationes quæ non fiebant ex publico eſſet collaturus, vt explicuimus ſecundo libro.*

9 In extremis finibus. *In locis agri ab vrbe maximè remotis.*

10 Pari iure continebuntur. *Si alteris prope vrbem ſors agri tota tribueretur. alteris in loco remotiſſimo, hi non vterentur pari iuris conditione: nec in bellis vel propulſandis, vel inferendis idem eſſet vtriſq; animus, ſed vt agrorũ ſuorum rationibus conuenire quiſq; putaret, ſic de bello ſuſcipiendo ſententiam diceret.*

11 Alteri nimis. *Qui agros habent ab vrbe remotos, in hoſtiumq; confinio, qui dum agris metuunt, timidè ſolent de bello aduerſus finitimos ſuſcipiendo deliberare, quo fit vt lege à talibus deliberationibus in quibuſdam ciuitatibus excludantur.*

12 Et periculum abeſt, ne quid noui moliantur. *Nam qui ſunt eiuſdem nationis facilè fidem habent, & conſpirant inter ſe, & ſi audaces ſunt, non deeſt animus ad deliberata perficiendum: diuerſis autem, & facilius imperatur, nec adeſt occaſio in dominos conſpirandi.*

13 Vt ſint barbari circa vrbem accolentes. *Supra barbaros, & periœcos diſtinxit, nunc eoſdem facit. Nam fieri poteſt, vt non indigenæ, ſed aduenæ ſint qui villas inhabitent, & mercede conducti agros colant, vt magna ex parte fit in agro Cordubenſi.*

CAPVT XI.

1 Vrbem continenti, marique, 2 & perinde quoad fieri poteſt, o- 1.2.
mni agro communem eſſe oportere ſuprà declarauimus. Situm ve-
ro 3 ipſius vrbis ad ipſam relatum, ad quatuor ſpectantes optare de- 3.
bemus. Primum ad valetudinem, vt rem neceſſariam. Vrbes enim
quæ in ſolem orientem inclinant, & ventis ab ortu flantibus expoſi-
tæ ſunt, ſalubriores habentur. Proximæ ab his quæ in Aquilonem
vergunt. hæ namq; magis commodis auris refrigerantur. De reli-

quis autem videndum eſt, vt ſitus vrbis ſit ad ciuiles & bellicas actio
nes accommodatus. Ad bellicas igitur oportet vt oppidanis ſit exi-
tus facilis, hoſtibus aditus impeditus, difficulterque oppidum obſi-
deri queat. Quod verò pertinet ad aquas & fontes, primum eſt,
4. 4 vt aquarum ſuppetat intima copia. quod ſi non contingat, inuen-
ta eſt à prioribus huic incommodo medendi ratio per ciſternas im-
bribus excipiendis comparatas, magnas, & multarum aquarum ca-
5. paces, quæ nunquam oppidanos deficiant, 5 ſi bello intra oppidum
compulſi, vſu agri prohibeantur. Sed quoniam incolentium vale-
6. tudinis habenda ratio eſt, hoc autem primum in ſitu, vt 6 in tali lo-
co, & ad talem vrbs poſita ſit: deinde in ſalubrium aquarum vſu
conſiſtit: huius quoque rei cura eſt non negligenter adhibenda.
Nam quibus rebus plurimis ad corpus & ſæpè vtimur, hæ pluri-
7. mum ad valetudinem conferunt. Cum igitur 7 aquarum vento-
rumque vis talem naturam obtinent, in ciuitatibus quæ prudenter
adminiſtrantur, aquas niſi omnes ſimiles ſint, nec fontium puteo-
8. rumque copia ſuppetat, 8 diuiſas eſſe oportet, vt quæ potui ſunt ap-
tæ, ſeparatæ ſint ab his quæ alijs vſibus accommodantur. Quod ve-
rò pertinet ad loca munita, non eadem perinde ſunt omnibus Reip.
generibus accommodata: vt arces paucorum potentiæ & vnius
9. principatui conueniunt: 9 loci æqualitas ſtatui populari apta eſt:
quorum neutrum, in optimatum Repub. ſed plura loca natura mu-
nita deſiderantur. Priuatarum domorum forma gratior, & ad cæte-
ras actiones commodior eſſe putatur, ſi ſcite conciſa, & ad recen-
10. tiorem 10 & Hippodamium morem ędificata ſit: ad bellorum autem
pericula, diuerſa & antiqua ratio tutior habetur, vt exitus hoſtibus
difficiles, & inuaſoribus inextricabiles præbeat. Itaque vtriuſque ra-
tionis particeps eſſe debet: quod fieri poteſt, ſi ædificium ruſticum
11. opus, quod quidam vitium ordines appellant, imitetur: ſed nec 11
totam vrbem conciſam facere conuenit, ſed per partes, & loca: ſic e-
nim & munitior & ornatior fuerit. De muris autem qui vrbes laudi
& virtutis opinioni ſtudentes cinctas eis eſſe oportere negant, hi ni-
mis ruditer & priſca ſimplicitate præcipiunt, præſertim cum earum
12. ciuitatum, quæ illo modo ſeſe iactant & oſtentant, errorem 12 rebus
13. ipſis conuictum eſſe videant. Præterea licet 13 aduerſus ſimiles, nec
longe numero ſuperiores velle ſeſe murorum præſidio tueri turpe
ſit, tamen quoniam accidit fierique poteſt, vt qui bellum inferunt
14. tanto ſuperiores ſint, 14 vt humana & paucorum virtute impetus
eorum

eorum ſuſtineri nequeat, idcirco ſi ſaluti conſulendũ eſt, & iniuriæ contumeliæque vitandæ, murorum præſidium tutiſſimum, & bellicis rationibus conuenientiſſimum eſſe putari debet, præſertim hoc tempore tormentis & machinis ſolerti ratione ad obſidendas oppugnandaſque vrbes inuentis. Simile eſt enim non eſſe muros vrbibus circunducendos cenſere, & regionem quærere incurſionibus opportunam, æditioraque loca demoliri: eodemque modo non circumdare parietes domibus priuatis, quo minus habitatores imbelles & ignaui fiant. Sed nec illud ignorare oportet, qui vrbes incolunt muris circumuallatas, his vtroque modo vrbibus vti licere, 15 quaſi 15.
habentibus muros, & 16 quaſi non habentibus: quod ſi muris care- 16.
ant, fieri non poteſt. Hoc cum ita ſit, non ſolum muri circunducendi ſunt, ſed danda etiam opera, vt tum ad vrbis ornatum, tum 17 ad 17.
bellicos nuper excogitatos vſus ſint accommodati. Vt enim qui bellum inferunt, rationes quærunt quibus ſuperiores ſint rei gerendæ facultate: ſic quædam inuenta ſunt, alia quærenda & ſolerter inueſtiganda his, qui bellum propulſant. Nam qui rectè inſtructi ſunt, & habent parata præſidia, in hos 18 ne ſuſcipere quidem bellum a- 18.
nimos inducunt.

Scholia in Caput XI.

1 VRBEM continenti, marique, ac perinde quoad fieri poſſit, omni agro communem eſſe oportere. *In deligendo loco vrbis condendæ quatuor rerum eſt habenda ratio, valetudinis, belli, ciuilium actionum, & rerum neceſſariarum inuectionis, aut etiam exportationis. Ad valetudinem ſalubritatemq́; facit, vt vrbs in ſolis ortum, aut certè in Septentrionem vergat: deinde vt eam poſitionem ac formam habeat, vt oppidanis exitus ſit facilis, hoſtibus difficilis aditus, ſitusq́; incommodus ad vrbem obſidendam. Quod verò pertinet ad aquas, quarum penuria interdum obſeſſos ad deditionem compellit, fontes aut putei ſuppetere debent: qui ſi minus contingant, capaciſſimas ciſternas comparatas eſſe oportet ad pluuias aquas excipiendas. Et quoniam magni intereſt ad valetudinem, quibus aquis vtamur, ſi copia non ſuppetat ſimilium, & commodarum aquarum, diuidendæ ſunt, ne ſalubres & commodæ in alios vſus, quàm in potum abſumantur. Loca verò munita, non eadem omnibus Rebuſpub. conueniunt, ſed arces paucorum potentiæ & monarchiæ, æquatus locus populari Reipub. ſtatus optimatum neutrum, ſed complura loca*

loca munitiora natura. Domus quoq; priuata ea forma ſunt ædificanda, vt exitus domeſticis pateat, inuadentibus autem ſit aditus difficilis. Vrbs quoq; ipſa muris debet eſſe munita, vt tormentis etiam & machinis bellicis, eorum firmitudo reſiſtat.

2 Et perinde quoad fieri poteſt, omni agro communem. *Sic vrbem ſitam eſſe oportere ait, vt continenti mariq; media ſit, ac eodem modo quatenus fieri poſſit, in media regione locata, non in loco mediterraneo, ſed ſic in ora maritima, vt agros habeat ex omni parte continentis.*

3 Ipſius vrbis ad ipſam relatum. *Quatenus pertinet ad poſitionem ipſius vrbis, & mænium, ac ædificiorum, non ad regionem ſiue agrum, & ea quæ extrinſecus ſunt.*

4 Vt aquarum ſuppetat intima copia. *Vt ſit aquarum ſcatentium intra oppidum copia ex puteis aut fontibus.*

5 Si bello intra oppidum compulſi. *Si preſſi obſidione aquam ex agro petere prohibeantur.*

6 In tali loco, & ad talem. *Intereſt enim ad valetudinem, vt poſita ſit vrbs non ſolum idoneo loco vtpote edito, non depreſſo & paludoſo, ſed etiam ad ortum, vel Septentrionem vergente, quiq; longè à locis paludoſis & ſimilibus abſit.*

7 Aquarum ventorumq́ue vis talem naturam obtineat. *Quoniam aqua & in potu, & in multis obſonijs vtimur: ventos autem vt aerem ſpirando in præcordia frequenter recipimus, eiſdemq́; per omnes corporis partes afflamur.*

8 Diuiſas eſſe oportet. *Varijs ciſternis & receptaculis ſeparatas, vt ad hominum potum commodiores hauriantur ad iumentorum, & cæteros vſus diuerſa.*

9 Loci æqualitas *Vt nulla ſint loca, nec opere, nec natura munita.*

10 Ad Hippodamium morem ædificata. *Ad eam rationem, cuius auctor fuit Hippodamus architectus Mileſius, qui Piræum Athenienſibus ædificauit.*

11 Totam vrbem conciſam *Vrbem conciſam, vt domum conciſam, quod græcè eſt εὔτομον, vocat, quæ ſit ſcitè & ratione ad ornatum & commodam habitationem ædificata.*

12 Rebus conuinci. *Vſu rerum & periculis experimentiſq; redargui, & declarari errorem earum ciuitatum quæ ſe muris non indigere iactant, vt Lacedæmonij, quorum Almacidas rogatus, cur ipſorum vrbs non eſſet muris munita, reſpondit:* hi ſunt, *inquit,* Lacedæmoniorum muri: *oſtendebat autem Lacedæmoniorum iuuentutem. quorum errorem Thebani duce Pelopida*

& Epami-

& Epaminunda, coniecerunt & declararunt, qui magno exercitu Laconicam regionem hoſtiliter ingreßi, vrbem ipſam Lacedæmonem obſidione cinxerũt, & parum abfuit, quin expugnarent, quo tempore optandum Lacedæmonijs, vt vrbem firmißimo muro munitam haberent.

13 Aduerſus ſimiles. *Contra hoſtes qui ſimili apparatu & facultate belli gerendi ſunt instructi.*

14 Vt humana & paucorum virtute. *A paucis hominibus, qui quantũuis fortißimi ſint, homines tamen ſunt, non dij.*

15 Quaſi habentibus muros. *Si ſe intra vrbem continentes muros hoſtibus obiecerint.*

16 Quaſi non habentibus. *Si eductis copijs caſtra extra vrbem poſuerint.*

17 Ad bellicos nuper excogitatos vſus. *Propter machinas & tormenta bellica, quæ his temporibus ſunt ad vrbes oppugnandas inuenta.*

18 Ne ſuſcipere quidem bellum animos inducunt. *Inſtructos & munitos, non ſolum non ſuperant hoſtes, ſed ne bello quidem laceſſunt.*

CAPVT XII.

1 Sed cum ciuium multitudinem in comeſſationes, muros autem in propugnacula & turres locis opportunis diſpoſitas diuiſos eſſe oportea, res ipſa monere videtur, vt 2 comeſſationes quædam in propugnaculis conſtituantur: atque hæc quidem ad hunc modum cuipiam inſtituenda eſſe videantur. Templa verò dijs immortalibus dicata, & principales magiſtratuum comeſſationes 3 locum opportunum & eundem habere debent, exceptis ſacellis, quæ lege ſeparantur, & ſi quod aliud eſt oraculum: talis autem erit locus, 4 ſi eminentiam probe ad virtutis ſitum accommodatum habeat, ſitq́ue vicinis partibus vrbis munitior. Sub hoc autem loco forum conſtituere oportet ei ſimile, 5 quod in Theſſalia Liberum appellant. Hoc autem eſt huiuſmodi, vt nec rebus venalibus inquinari, nec artificibus, aut agricolis, & cæteris id genus patere debeat, niſi ſi quis fuerit à magiſtratibus accerſitus: qui locus gratus etiam atque iucundus erit, ſi fuerit ſeniorum exercitationibus deſtinatus. 6 Nam & hunc ornatum per ætates diuiſum eſſe decet: & apud adoleſcentes quoſdam magiſtratus, apud magiſtratus autem ſeniores verſari: præſentia enim magiſtratuum ante oculos obſeruando verum pudorem ingenerat, & 7 timorem ingenuum. Forum autem rerum

Right margin: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

venalium huic diuerſum eſſe debet,ſeiuncto loco,& ad res quę tum à mari,tum ex agro mittuntur conuehendas opportuno. Sed cum ciuitatis multitudo in ſacerdotes & magiſtratus diuidatur, locum ad cœnam conueniendi ſacerdotibus iuxta ſacras ædes conſtitutum eſſe decet. Magiſtratibus autem qui contractuum curam ha-
8. bent,quiq́ue 8 cauſarum ſcripturis & in ius vocationibus cęteriſq́ue ſimilibus præſunt, item ædilibus & vrbanorum ædificiorum præfectis, comeſſandi locus circa forum & publicum aliquem conuen-
9. tum debet eſſe conſtitutus, cuiuſmodi eſt locus 9 foro neceſſario circumiectus: ſuperius enim forum vacare, hoc autem actionibus neceſſarijs ſeruire cenſemus. In agro autem memoratum ordinem imitari oportet,vt ibi,quo magiſtratibus (quos quidam ſyluarum cuſtodes,alij præfectos agrorum appellant)propugnacula,& ad cuſtodiam comeſſationes ſuppetere neceſſe eſt.Fana quoque per agrū
10. eſſe debent,10 tum Dijs,tum etiam heroibus diſtributa. Sed nunc tempus in his accuratius explicandis conterere ſuperuacaneum eſt. Nec enim talia intelligere,ſed facere potius difficile eſt. Nam 11 di-
11 cere optantis eſt opus,vt autem eueniat,fortunæ beneficium.De his igitur hactenus.

Scholia in Caput XII.

1 Sed cum ciuium multitudinem diuiſam eſſe in comeſſationes oporteat.*Cum totam ciuitatem in conuentus hominum,qui ſint vnà cœnaturi partitam eſſe oporteat, conſentaneum eſt, vt in murorum turribus ſint loca militum comeſſationibus conſtituta:in vrbe autem opportuno ac edito loco,tū templa dijs immortalibus dicata,tum ſummorum magiſtratuum cœnationes extrui debent,vt hac vtraq; ædificia vicina aut etiam contigua, ſint inter ſe ſublimitate conſpicua.Infra hunc locum forum ſit, quod magiſtratibus tantum & ciuibus frequentetur ad colloquendū, & ſeniorum deambulationes. Seorſum autem forum rerum venalium eſſe debet, opportuno loco ad merces & fructus,tum à mari,tum ab agru excipiendum.Sacerdotibus quoq; comeſſationum loca iuxta templa locanda ſunt: Tabellionibus verò ac ædilibus, & præfectis ædificiorum circa forum rerum venalium.Eodem modo per agrum munita loca exædificare conuenit agri præfectis, tum cuſtodiæ, tum etiam comeſſationibus apta,atque item deorum,heroumq; templa.*

2 Comeſſationes quædam in propugnaculis.*Comeſſationes nunc appellat loca ipſa,quo cœnandi cauſa conueniebant, alias cœnæ ipſa communes,*

ſeu con-

ſeu conuiuia comeſſationes vocantur.

3 Locum opportunum & eundem. *Vt in eadem vrbis parte, loco ſcilicet edito, ſint ſummorum magiſtratuum cœnationes, & deorum templa, exceptis ſanis quibuſdam, aut oraculis, & adytis, quæ lege ſolent à populi frequentia ſummoueri.*

4 Si eminentiam probè ad virtutis ſitũ accommodatam habeat. *Locus ſummorũ magiſtratuum comeſſationibus, templiſq; deorum idoneus erit, ſi cæteris vrbis partibus ſublimior munitiorq; ſit, qualem decet eſſe ſitum ædificiorum quibus virtus continetur. Vocat autem virtutem, tum deos, deorumque imagines, tum ſummos magiſtratus, quippe quorum virtute & prouidẽtia ſtat ciuitas, & Reſp gubernatur.*

5 Quod in Theſſalia Liberum appellatur. *Mos ſcilicet erat Theſſalicarum vrbium, forum habere à vulgari turba & rebus venalibus vacuum, quod Liberum appellabant.*

6 Nam & hunc ornatum per ætates diuiſum eſſe decet. *Ornatum vocat gymnaſia, vt tale forum ſit locus, vbi ſeniores deambulando ſe exerceant, alius verò locus ſit paleſtris & pila, cæteriſq; adoleſcentum exercitationibus conſtitutus.*

7 Timorem ingenuum. *Qualis decet liberos homines infamiam & turpitudinis notam in primis metuentes. Nam pœnæ plagarumq; timore à rebus turpibus deterreri, ſeruile eſt.*

8 Cauſarum ſcripturis, & in ius vocationibus præſunt. *Tabelliones, qui acta cauſarum & vocationes in ius actionumq; intentiones conſcribant.*

9 Foro neceſſario circumiectus *Forum neceſſarium vocat forum rerum venalium quæ ſunt ad vitam neceſſaria, vnde emptiones & venditiones actiones neceſſarias appellat: & forſitan etiam iudicia quæ ſint ad hoc forum exercenda. Nam tribunalia iudicia de rebus neceſſarijs ſuprà nominauit. Adiuuat hanc ſententiam, quod modo de tabellionum comeſſationibus præcepit.*

10 Tum dijs, tum etiam heroibus. *Heroes appellantur homines, qui præſtantia virtutis eam gloriam ſunt inter mortales conſecuti, vt fama fuerint inter deos relati.*

11 Dicere optantis eſt. *Præcipere facienda perinde eſt, ac ſi quis ea precibus à Deo petat, quod perfacilè eſt: conficere autem pertinet ad fortunam, vt ſcilicet perficiendi facultas adſit, & adiumenta neceſſaria.*

CAPVT XIII.

1 DE his igitur longiore diſputatione omiſſa, iam de ipſa Re- 1. pub. ex quibus & qualibus ciuitas conſtare debeat vt ſit beata

& rectè adminiſtretur, diſſeramus. Duo ſunt in quibus cuiuſque
2. rei bonitas & rectitudo conſiſtit: vnum vt 2 propoſitum atque finis actionum ſit recte conſtitutus: alterum vt actiones quæ ducunt ad finem inueniantur. Hæc enim & diſcrepare inter ſe, & conuenire poſſunt. Nam modo finis rectè propoſitus eſt, ſed homines agendo ipſum non aſſequuntur: modo cuncta quæ ducunt ad finem faciunt, ſed finis quem ſibi propoſuerunt eſt malus: interdum in vtroque peccatum eſt, vt in medicina nonnunquam nec rectè quale corpus ſanum eſſe debeat iudicant, nec eius quem ſibi finem propoſuerunt res efficientes inueniunt: cum tamen in artibus & ſcientijs vtrunque tenere, & finem & actiones, quibus fi-
3. nis comparatur, oporteat. 3 Omnes igitur rectè viuere, vitamque beatã expetere perſpicuum eſt, ſed quidam id aſſequi poſſunt,
4. alijs facultas 4 propter fortunam quandam vel naturam abeſt.
5. Quoniam ad rectè beateque viuendum 5 adiumenta quædam de-
6. ſiderantur, 6 ſed pauciora rectius affectis, peius autem plura: ſed
7. 7 quidam protinus ab initio vitam beatam facultate ſuppetente, non rectè quærunt. Sed quoniam propoſitum nobis eſt Rempub. optimam conſiderare, hæc autem eſt, per quam optimè ciuitas adminiſtratur: per hanc verò adminiſtratur optimè, per quam licet fieri beatam: ſatis intelligitur in quo vita beata poſita ſit, explora-
8. 9. tum eſſe oportere. qua de re 8 in libris de moribus. 9 Si qua eſt illorum librorum commoditas, & felicitatem virtutis vſum perfectum eſſe diximus, & hunc non expoſitione, ſed ſimpliciter,
10. 10 expoſitione dico, quæ neceſſaria ſunt: ſimpliciter verò, quod eſt honeſtum: vt ex iuſtis actionibus pœnæ & animaduerſiones proficiſcuntur, illæ quidem à virtute, tamen neceſſariæ ſunt, neceſſarioque honeſtatem habent. Vt enim neque ſinguli, neque ciuitas vniuerſa quoquam horum indigeat, expetibilius eſt: actiones verò quæ pertinent ad honores & rerum copiam, ſimpliciter ſunt ho-
11. 12. neſtiſſimæ: 11 illud enim eſt malum tollere: 12 huiuſmodi verò actiones è diuerſo præparationes bonorum effectioneſque ſunt. Cæterum licet vir probus paupertatem, morbumq; & cæteras calamitates rectè magnoque animo ferat, felicitas tamen in rebus oppoſitis ſita eſt. Nam & illud eſt in libris de moribus declaratum, virum probum eſſe cui per virtutem bona ſunt quę ſimpliciter ſunt bona,
13. vt intelligatur neceſſarium eſſe 13 hos vſus ſimpliciter & probos & honeſtos eſſe. Quo fit, vt bona externa felicitatis cauſã homines eſſe putent,

putent, perinde ac ſiquis lyram optimè & commodiſſimè fidibus canendi potius, quàm artem cauſam eſſe putat. Ex dictis igitur quædam ſuppetere, alia à legumlatore comparari neceſſe eſt. 14 Itaque 14.
vrbis ac ciuitatis ex his rebus quæ arbitrio fortunæ gubernantur, conſtitutionem precibus optamus: ipſam enim dominam eſſe conſtituimus. Vt autem ciuitas probis moribus prædita ſit, iam nõ fortunæ, ſed ſcientiæ opus eſt, atque conſilij. Eſt autem proba ciuitas, eo quod ciues omnes quibus Reſpub. communicatur, probi ſunt:
15 nobis porrò Reſpublica ciuibus omnibus communicatur. Hoc 15.
igitur videndum eſt, quo modo vir prob. fiat. † Nam ſi fieri poſſet †.
vt probi eſſent ciues vniuerſi, non autem ſinguli, ſic eſſet expetibilius 16.17: quoniã vt ſint vniuerſi, ſequitur ex eo quod ſinguli ſunt, 16.17.
Fiunt autem boni probíq; tribus rebus, natura, morib. atque ratione. Nam primum naſci oportet, id eſt hominem eſſe, non ex alio genere animantium, tum 18 vt certo quodam modo corpore & a- 18.
nimo ſit affectus. 19 Quædam verò ſunt quæ natura exiſtere non 19.
ſatis eſt: moribus enim mutantur in diuerſa, cum nonnulla ancipitis naturæ ſint, quæ per mores nunc in peius, nunc in melius mutantur. Cætera igitur animantia ſic viuunt, vt naturam maximè ſequantur, 20 quædam nonnihil etiam mores: homo verò ducitur e- 20.
tiam ratione, qua ſolus ipſe præditus eſt. Hæc igitur inter ſe congruere & conſentire debent. Multa enim homines præter mores & naturã propter rationẽ faciũt, ſi ſibi aliter eſſe melius perſuaſerint. Quales igitur ciues eſſe oporteat vt tractabiles ſe, dociles que legumlatori præbeant, ſuprà declarauimus. Reliquum eſt vt de diſciplina, educationeque diſputemus: homines enim quædam aſſueſcendo, quædam audiendo diſcunt.

Scholia in Caput XIII.

1 DE his igitur longiore diſputatione. *Duo ſunt in quibus rectè ac viciſſim perperam agere contingit, finis, & ea quæ ad finem ducunt: in quibus rectè fit, ſi finis bonus proponatur, ſimulq; inueniantur ea, quæ quaſi via recta ducunt ad finem. Erratur autem ſi vel finis improbus proponatur, vel ſi probus, tamen via quæ ducat ad finem non inueniatur. Cum igitur in neutro errare oporteat, & omnes vitam beatam expetant, quidam tamen hanc aſſequuntur, aliis aſſequendi facultas, vel à fortuna negata eſt, vel à natura quidam & ſi facultas adſit, tamen in ipſa vita beata conſtituenda labuntur. Ita-*

quæ primum omnium quæ res vitam beatam efficiat, ſtatuere oportet: hoc autem ſumendum eſt ex libris Ethicorum, in quibus vitam beatam poſitam eſſe in vſu perfecto virtutis declaratum eſt, ad quem bona externa & corporis debent tanquam inſtrumenta ſuppetere. Iſt igitur beata ciuitas, quæ virtutem colit, probaq́; eſt. Ciuitas porrò proba eſt, cuius ciues omnes, quibus Reſpub communicatur, viri probi ſunt. Itaque legumlatoris munus eſt, quomodo vir probus fiat conſiderare, deq́; educatione & diſciplina præcipere. Probus autem tribus rebus efficitur, natura, moribus, & ratione, quæ interdum diſcrepant inter ſe. Erit igitur optima educatio & inſtitutio, vt ſic homo afficiatur, vt natura & mores, ipſaq́; ratio inter ſe ad virtutem colendam conſentiant.

2 Propoſitum atque finis ſit rectè conſtitutus. *Vt quod proponitur quaſi finis, ſit verè bonum, non ſpeciem duntaxat boni præferens.*

3 Omnes igitur rectè viuere. *Bonam vitam ducere, ſed bonitatem vitæ non omnes virtute metiuntur. Nam quidam qui voluptatibus fruuntur, eos bene viuere & bene agere dicunt, & quod quiſque maximè probat, hoc habentem ſiue fruentem rectè, ſeu bene viuere, & dicit, & putat, & hac ratione omnes rectè viuere cupiunt. Nam ſi rectè viuere ad virtutem referas, multi fuerunt & ſunt, qui non expetunt rectè viuere, ſed prauè, hoc eſt vitioſè ſeu delitioſè.*

4 Propter fortunam quandam vel naturam. *Si deſint bona externa quæ ad fortunam referuntur, vel bona corporis, vt ſi prauè conſtitutum corpus habeat, & faciem turpem & minimè liberalem, quæ pertinent ad naturam.*

5 Adiumenta quædam deſiderantur. *Externa bona, & corporis.*

6 Sed pauciora rectius affectis. *Maiore animi virtute præditis. Nam quo quiſque melior eſt, & virtutibus inſtructior, hoc minus adiumenta vel fortunæ, vel corporis ad rectè viuendum deſiderat.*

7 Quidam tamen protinus ab initio vitam beatam non rectè quærunt. *Quidam cum bene beateq́; viuendi adiumenta & facultatem habeant, errant tamen vltimo bono, quæ felicitas dicitur, conſtituendo, ab ipſo deliberationis initio. Nam primum in deliberatione ineundoq́; conſilio eſt finis, quo ferri dirigiq́; debet omnis deliberatio.*

8 In libris de moribus. *In primo & decimo Ethicorum.*

9 Si qua eſt illorum librorum commoditas. *Si quam vtilitatem afferre poſſunt illi libri, & nobis hoc in loco vſui eſſe poſſunt.*

10 Ex poſitione dico, quę neceſſaria sũt. *Poſitione dicitur aliq̃d eſſe tale, cũ tale eſt ſi poſitũ ſit aliud quaſi ex cõditione, vt poſito aliquo fine quaſi bono, licet*

licet malus ſit, quacunque ad illum finem ducunt, ſunt bona poſitione, id eſt ex conditione, ſi finis bonus eſt, vel pro ratione finis: qua differendi ratio multis in locis vſurpatur ab Ariſtotele. Hic igitur opera virtutis poſitione honeſta ſe dicere declarat, opera neceſſaria vt mulctas & animaduerſiones. Nam ſi peccata & flagitia in vrbe patrentur, pœnarum irrogationes neceſſariæ ſunt, ac proinde iuſtæ & honeſtæ non per ſe, ſed ex poſitione & conditione, ſi ſint homines improbi & ſcelerati: aliter enim non licet otio & trãquillitate frui, ſi crimina maneant impunita. Itaque neceſsitas hæc opera reddit honeſta.

11 Illud enim eſt malum tollere. *ἄιρεσις græcè modo electionem ſignificat vt προαίρεσις, modo delectionem ſiue ſublationem vt ἀφαίρεσις. Itaque ἄιρεσις vocabulũ eſt ancipitis intelligentiæ, vt tollere latinè, quod modo accipere ſiue aſſumere ſignificat, modo auferre, & de medio tollere, quo verbo ex induſtria vſus eſt interpres, vt quemadmodũ græcè ſic item latinè flecti poſsit in vtranque partem pro cuiuſque ſententia: nam locus vtrunque intellectum admittit. Tollere ergo malum dixit pro eo quod eſt de medio tollere, & auferre. Nam pœnæ & animaduerſiones velut medicinæ ad ſanandos animi morbos adhibentur, vt alios plectendo, alios exemplo deterrendo vitia criminaq́ ex animis hominum & ciuitate tollantur: optabilius eſt tamen vt nulla tali medicina ſit opus: vel tollere malum dixit pro ſumere & eligere malum, quoniam ex duobus malis, leuius ſeu minus eſt eligendum, vt ipſe docet Ethicorum tertio. Cum igitur crimina & flagitia in vrbe patrantur, aut iniuria ſingulorum, perturbatioq́ ciuitatis permittenda eſt, aut pœnis & animaduerſione delicta vindicanda, quod vtrunque per ſe malum eſſe videtur, ſed poſterius minus malum, ac proinde cum neceſsitas vrget eligendum: quia minus malum, vt habetur Ethic. quinto, vicem habet boni: ſed vtriuſque ſenſus eadem eſt ſumma, punitiones non eſſe per ſe bonas, ſed ſuppoſitione & neceſſitate.*

12 Huiuſmodi verò actiones. *Rectè diuitijs & imperijs ac honoribus vti, quod per virtutes morales efficitur. Nam tales operationes & virtutum vſus præparant, efficiuntq́ felicitatem.*

13 Hos vſus. *Vſus virtutis quibus vita beata conſiſtit. Quo fit vt homines bona externa felicitatis cauſam eſſe putent, quia ipſorum rectus vſus vitam beatam facit: quod tamen debet vtentis virtuti, non ipſis externis bonis acceptum referri, quæ virtuti ſunt pro inſtrumento, vt lyra fidibus canenti, ſiue arti fidibus canendi inſtrumentum eſt.*

14 Itaque vrbis ac ciuitatis. *Velut optando, & precibus à Deo (quam fortunã interdũ vocamus) expoſcendo, ſitum vrbis ac regionis mente conſtituimus,*

mus,

mus, & qualis eſſe debeat declaramus, & item ex quibus & qualibus homi-
nibus ciuitas conſiſtere: diuitias habentibus, & moderatè ſolertib. & animo-
ſis & ad virtutem procliuibus : quæ quia non ſunt in noſtra poteſtate, ad for-
tunam referimus, quaſi beneficia fortunæ ſint: probos autem mores & virtu-
tes ingenerare, & rectis legibus inſtituere legumlatoris opus eſt, cum hæc ad
ſcientiam prudentiamq; & conſilium pertineant, ſintq; in noſtra poteſta-
te.

15 Nobis autem Reſp. *Ex noſtra ſententia & inſtitutione non ſunt ciues,*
quibus Reſp. non communicatur.

† Nam ſi fieri poſſet. *Si fieri poſſet vt ciues vniuerſi probi eſſent, ipſaq; ci-*
uitas velut animal quoddam probum eſſet probitate quadam à ſingularium
partium & vniuſcuiuſq; ciuis bonitate diuerſa, expetibilior eſſet vniuerſo-
rum, & totius ciuitatis quàm ſingulorum, ſiue vniuſcuiuſq; probitas. Nam
bonum quo latius patet, eſtq; magis vniuerſale, hoc expetibilius habetur, vt i-
pſe tradit Ethic. 1.

16 Quoniam vt ſint vniuerſi. *Quemadmodum ciuitas eſt effectione ſin-*
gulis hominibus & vicis poſterior, ſic eſt natura prior, vt lib. 1 dictum eſt, ac
proinde perfectior, & finis atque totum. quo fit vt eius bonitas bonitati parti-
um ſit præferenda. Tamen fieri non poteſt vt vniuerſi ſimul ſint boni, quin ſin-
guli boni ſint. Immo quia vnuſquiſq; bonus eſt, idcirco vniuerſi ſunt boni, &
ciuitas proba, & hoc eſt fortaſſe quod ait.

17 Qoniam vt ſint vniuerſi. *Vt ſit ſenſus, ſi fieri poſſet vt vniuerſa ciuitas*
eſſet proba abſq; eo, vt quiſque ciuis eſſet probus, expetibilius foret vt tota ci-
uitas eſſet proba, atque proinde felix, quã vt ſinguli ciues : quoniam bonum
vniuerſale maius eſt & expetibilius priuato. Tamen id fieri non poteſt, quo-
niam idcirco omnes ſimul, ſiue vniuerſa ciuitas eſt proba, quia vnuſquiſque
ciuis probus eſt, vt paulò ante dixerat.

18 Vt certo quodammodo corpore & animo ſit affectus. *Vt corpus*
ſit ſanum & firmæ valetudinis, anima ad virtutes procliuis.

19 Quædam verò ſunt quæ exiſtere natura non ſatis eſt. *Vt ingenium*
& ſolertia, & virtutes naturales quæ ſunt ancipitis naturæ : poſſunt enim
tum ad bonum, tum ad malum per conſuetudinẽ flecti : hoc eſt enim quod i-
pſe. 1. lib dixit, hominem eſſe armatum prudentia & virtute, quibus vti po-
teſt in vtranque partem. Non igitur ſatis eſt habere natura facultatem anci-
pitem, niſi rectè agendo ex ancipiti certum faciat, & in ſolam virtutem per
vſum & conſuetudinem reuocet morem, ſiue habitum veræ virtutis ingene-
rando.

20 Quædam nonnihil etiam mores. *Vt equi, canes, & elephanti, qui*
habent.

habent quiddam ſolertiæ ſimile, & quædam meditando, aſſueſcendoq́; diſcunt, vnde quoſdam quaſi mores induunt, quos à natura non acceperant.

CAPVT XIV.

1 SED cum omnis communitas ciuilis ex imperantibus, ac im- 1.
perio ſubiectis conſtet: num qui præſunt, & qui paret diuerſos an
perpetuo eoſdem eſſe oporteat, videndum eſt. 2 Huic enim diui- 2.
ſioni conſentanea debet eſſe diſciplina. Si ergo alij alijs tantopere
præſtarent, quanto dij heroeſque hominibus excellere putantur,
primum ipſo ſtatim corpore, deinde animo longè ſuperantes, vt
indubitata eſſet 3 manifeſtaque ſubiectis imperantium præſtantia, 3.
haud dubiè commodius foret, eoſdem ſemper imperare, & eoſ-
dem ſemper eſſe ſubiectos. Sed quoniam 4 hoc ſumere non facilè 4.
eſt, nec id vſu venit, 5 quod Scylax de regibus Indorum prodit, qui 5.
tantopere ſubiectos excellunt, multis ex cauſis neceſſe eſſe intelli-
gitur, vt omnibus ſimiliter imperandi, & parendi viciſſitudo com-
municetur. 6 Aequabilitas enim eadem eſt ſimilibus, & Rempub. 6.
quæ ſit præter ius conſtituta, difficile factu eſt permanere. 7 Cum 7.
ſubiectis enim faciunt regionis incolæ, quicunque ſunt rerum no-
uarum ſtudioſi, nec poſſunt tot eſſe numero qui Rempub. admini-
ſtrant, vt 8 his omnibus ſint potentiores. Nam qui tenent imperi- 8.
um, ſubiectis potiores eſſe oportere, nō eſt dubitabile. Quæ qua ra-
tione fiant, & quomodo ſit Reſpub. communicanda, munus eſt le-
gumlatoris conſiderare: qua de re ipſi quoque ſuprà memorauimus.
Quippe 9 ipſa natura delectum dedit ex eodem genere, alios 9.
iuniores, alios ſeniores efficiens: quorum illos imperio ſubeſſe, hos
autem imperitare decet. Neque verò quiſquam quòd propter ætatem
ſubiectus ſit indignatur, nec ſe potiorem eſſe cenſet, præſertim
qui ſit hoc honore ſuam vicem, cum proceſſerit ætate, functurus.
Quodammodo igitur ijdem eſſe dicendi ſunt qui tenent imperi-
um, & ſubiecti quodammodo diuerſi: ac proinde diſciplinam quo-
dammodo eandem eſſe neceſſe eſt, aliàs diuerſam. Nam vt rectè
quiſquam imperet, hic oportere aiunt, vt prius fuerit imperio ſub-
iectus. Sed imperium, vt ſuperioribus libris memorauimus, alte-
rum ad imperantis, alterum ad parentis commoditatem refertur:
quorum illud herile, hoc liberorum eſſe dicitur. Cęterum 10 impe- 10.
rata quædam non operibus differunt, ſed fine. Itaque multa quæ

 ſeruilia

ſeruilia opera eſſe videntur, honeſtè ab ingenuis adoleſcentibus obeuntur: actiones enim honeſti & inhoneſti diſcrimine, non tam per ſe, quàm ex fine diſtinguuntur, & eo cuius gratia fiunt. Sed quoniam ciuis & imperantis eandem virtutem eſſe ſtatuimus, quam viri optimi, eundemque parere prius oportere, deinde imperio fungi, hoc legumlatori prouidendum & conſiderandum eſt, quo-
11. modo, & per quæ ſtudia & exercitationes viri boni fiant, 11 & qui ſit optimæ vitæ finis. Sed duæ ſunt animæ partes, quarum altera per ſe rationis eſt compos, altera per ſe quidem ratione vacat, poteſt ta-
12. men rationi parere: quarum partium virtutes eſſe dicimus, 12 per quas vir bonus quodammodo dicitur. Sed in vtra magis finis poſitus ſit, dubium eſſe nō poteſt ijs qui noſtram partitionem ſequun-
13. tur. 13 Semper enim deterius melioris eſt gratia, vt licet tum in ijs quæ per artem fiunt, tum in rebus naturalibus animaduertere. Eſt autem potior pars rationis compos: quæ ratio noſtro partiendi
14. more duplex eſt, actiua & contemplatiua. 14 Vt hanc quoque partem eodem modo ſecari ſit neceſſe, ſimilis eſt actionum ratio: qua-
15. rum quæ ſunt rei natura melioris, hæ ſunt 15 ijs qui omnes aut duas aſſequi poſſunt expetibiliores. Semper enim id cuique maximè ex-
16. petendum eſt, 16 quo ſummo potiri poteſt. Omnis autem vita in negotium & otium, bellum & pacem diuiſa eſt. Et ex rebus agendis
17. quædam neceſſariæ & vtiles, quædam honeſtæ ſunt, quarum 17 eundem eſſe neceſſe eſt quem de partibus animæ & earum actionibus delectum, vt bellum pacis, negotium otij: neceſſaria verò vtiliaque honeſtorum cauſa ſuſcipiantur. Adhæc igitur omnia ſpectanti viro ciuili condendæ ſunt leges, tum per animæ partes, tum per ipſarum actiones, ſed ad meliora & fines ſpectare magis debet: eodemque modo vitæ atque rerum partitiones conſiderare. Facultas enim negotia atque bella gerendi adeſſe debet, magis tamen pace atque otio fruendi: item neceſſaria commodaque agendi, ſed magis quę honeſta ſunt obeundi. Ad hos igitur fines puerorum educatio, & cæterarum quæ diſciplina indigent ætatum inſtitutio dirigēda eſt. At tamen qui ex Græcis optimam Reipub. formam his temporibus habere putantur, & legumlatores qui has Reſp. condiderunt, hi neque ad meliorem finem earum rationem direxiſſe, nec ad omnes virtutes legibus diſciplinaque tradendis ſpectaſſe videntur: ſed ad eas importunè delapſi ſunt, quæ vtiles eſſe putantur, & ad vincendum accommodatiores. A quorum errore poſterorum quo-

quorundam ſcriptorum ſenſus & præcepta non abhorrent, qui Lacedæmoniorum Rempublic. laudantes propoſitum legumlatoris probant, quòd omnia ad victoriam & bellum dirigendo conſtituerit: quorum vitium cum ratione poteſt facilè conuinci, 18 tum rebus ipſis nuper conuictum eſt & declaratum. Vt enim plerique hominum latè dominari felicitatem eſſe putant, propterea quod inde magna rerum commodarum copia ſuppeditetur, ſic Thibro, & quicunque de Lacedæmoniorum Repub. ſcripſere, ipſorum legumlatorem laudant, quia cum eſſent periculis exercitati, multorum imperio ſunt potiti. Quod ſi verum eſt, dubitari non debet, quin Lacones, poſtquam imperare deſiuerunt, nec amplius ipſi felices ſint, nec probus legumlator. 19 Hoc quoque dictu ridiculum eſt, Lacedæmonios in eius inſtitutis manentes, nullaque re legum vſum impediente, rectam beatamque vitam amiſiſſe. Sed neque de imperio rectè exiſtimant, quod legumlator in honore habere putari debet. Nam liberorum imperium quàm herile honeſtius eſt, & magis cum virtute coniunctum. Præterea nulla cauſa eſt cur ciuitas beata putari aut legumlator commendari debeat in eo, ſi finitimis imperandi gratia ad victoriam exercuit, cum in his rebus magnum inſit nocumentum, quoniam haud dubiè eandem rationem ſequutis, ſuę cuique ciuitatis imperio, ſi facultas adſit, potiri conandum eſſet: quod crimen Pauſaniæ regi, 20 quanuis talem honoris gradum obtinenti, Lacones obijciunt. Nulla igitur talis vel ratio vel lex nec ciuilis eſt, nec vtilis, nec vera. Hæc enim eadem priuatim ac publicè optima eſſe legumlator perſuadere debet, & talem opinionem animis hominum ingenerare. Bellicas autem exercitationes non idcirco meditari homines debent, vt in ſeruitutem redigant 21 ea conditione indignos: ſed primum ne ipſi alijs ſeruiant, deinde, vt principatum quærant, quo ſubiectorum vtilitati conſulant, non vt in omnes dominatum exerceant, tum 22 vt ſeruitute dignis dominentur. Cæterum legumlatori id potius elaborandum eſſe vt tum leges quæ res bellicas attingunt, tum cætera inſtituta ad otium & pacem referantur, res ipſæ docent cum rationib. congruentes: quoniam tales ciuitates magna ex parte bellum gerentes conſeruantur, eædem imperio potitæ corruunt. Nam pacem agentes, tanquam ferrum ſplendorem amittunt, idque legumlatoris culpa, qui rationem, qua quieſcere poſſint & in otio eſſe, non docuerit.

Scholia in Caput XIV.

1 SED cum omnis communitas ciuilis ex imperantibus conſtet, ac imperio ſubiectis. *Vt recta educationis præcepta dentur, illud primum ſtatuere oportet, num ijdem ſemper imperium tenere debeant, an diuerſi, qui per vices imperent, rurſuſq; pareant imperio. Si ergo, inquit, alij alijs eſſent longè tum corpore, tum animo præſtantes, eſſet haud dubiè commodius, vt potiores ſemper imperarent. At inter ſimiles & pares iuſtior eſt atque tutior imperandi & parendi alterna viciſſitudo. Duce igitur natura quæ alios iuuenes, alios ſeniores effecit, ſic eſt Reſpub. conſtituenda, vt ſeniores imperent, iuniores imperio pareant, vt quodammodo ijdē, quodammodo diuerſi teneant imperium, eandemq; rationem & diuerſitatem ſequatur educatio. Cæterum imperium in adoleſcentes liberorum eſſe debet, non herile, id eſt ad parentium, non ad imperantium commoditatem referri. Nam opera ipſa imperata honeſta ſint, an ſecus, non tam re ipſa quàm ex fine iudicantur. Eſt igitur legumlatoris munus, quibus ſtudijs & moribus ciues optimi ſiant conſiderare, cū eadem ſit virtus optimi viri, & optimi ciuis, & imperantis in optimo ſtatu ciuitatis. Sed cum virtutes habitus quidam animæ ſint, partiū animæ differētiam legum conditori cognitam eſſe oportet. Cum duæ ſint igitur animæ partes, altera rationis per ſe compos, altera expers, apta tamen parere rationi, hæc tanquam ſubiectum eſt virtutum moralium, illa intellectualium, quibus vtriſque vir bonus eſſe dicitur. Cæterum beatam vitam in vſu intellectualium virtutum, quæ potiores ſunt, poſitam eſſe non eſt dubitabile. Sed quemadmodum ratio duplex eſt, actiua & contemplatiua ſic etiam virtutes eandem habent differentiam: quarum cum ſint potiores cōtemplatiuæ, harum vſu fieri vitam beatam potius quàm actiuam ſtatuendum eſt: honeſta enim neceſſarijs & vtilibus, otium negotio, pax bello præferenda eſt, & hac ratione dirigenda puerorum educatio, & reliquarum ætatum inſtitutio. quo intelligitur non rectè conſtitutam eſſe Lacedæmoniorum Rempub. cuius inſtituta cuncta ferè ad bellum & victoriam, non ad otium & pacem ſpectant: quæ res multorum incommodorum eſt cauſa.*

2 Huic enim diuiſioni conſentanea eſſe debet diſciplina. *Aliter enim educandus ac inſtituendus eſt qui ſemper imperare debet vel ſemper parere: aliter qui modo parere, modo imperare.*

3 Manifeſtaque ſubiectis imperantium præſtantia. *Vt ſubiecti planè intelligerent, ſe ab imperantibus tum corporis, tum etiam animi viribus ſuperari, ac proinde imperium ipſorum æquo animo paterentur.*

4 Hoc

4 Hoc ſumere non facilè eſt. *Hoc ita eſſe conſtituere, & ponere, quaſi poſtulatum & principium, vt ſolent mathematici.*

5 Quod Scylax de regibus Indorum. *Scylax Cariãdenſis, quæ vrbs eſt in Caria prope Alicarnaſſum, ſcriptor vetuſtus & mathematicus fuit, ſcripſitq́; de ſitu Orbis. Hic igitur, vt videtur, Indos in deferendo regno proceritatem corporis in primis ſpectare ſolitos eſſe prodidit, vt de Aethiopibus ipſe tradidit lib. iiij.*

6 Aequabilitas enim eadem eſt ſimilibus. *Similibus & virtute paribus æquus honor & par commoditas in Repub. debetur. Itaq; niſi paria tribuantur, iniuria fit, & difficile eſt Rempub. permanere. Nam quibus iniuria fit, nec honores & imperia communicantur, hi ſolent in imperantes conſpirare.*

7 Cum ſubiectis faciunt. *Subiectis ciuibus conſpirantibus fauent ruſtici, qui vicos per agrum & caſtella incolentes ſeruire coguntur: ad ſummam, quicunque non contenti præſenti ſtatu Reipub. rebus nouis ſtudent.*

8 Subiectis potentiores. *Vt qui tenent adminiſtrantq́; Remp. potentiores ſint ſubiectis.*

9 Ipſa enim natura delectum dedit. *Deligere & ſeparare docuit, dum alios iuuenes, facit ad parendum propter vires idoneos, alios ſeniores, ad imperandum propter prudentiam accommodatos.*

10 Cæterum imperata quædam. *Nonnulla opera quæ imperantur ipſa per ſe ſeruilia eſſe videntur, vt fodere, foſſamq́; & aggerem ducere, & ſimilia. Hæc enim à ſeruis copia ſuppetente, & mercede conductis, operarijſq́; fieri conſueuerunt. Sæpe tamen iuſſu imperatoris ab ipſis militibus & ingenuis ciuibus honeſtè fiunt vrgentibus hoſtibus. Antiquitus autem hæc officia in bello præſtare conſuetum ac legitimum erat militibus Romanis, cuius rei gratia eorum quiſq; præter arma & quindecim dierum commeatum (auctore Ioſepho) ligonem & ſecurim ſerramq́; & ſportam ſeu ciſtam portabat. Itaq; eadem opera ſi mercede aut in commoditatem imperantis fiant, ſeruiliter fiunt: ſin ſua ſalutis & Reipub. cauſa, honeſtiſſimè.*

11 Et qui ſit optimæ vitæ finis. *Quod ſit ſummum bonum, vitam beatam efficiens.*

12 Per quas vir bonus quodammodo dicitur. *Virum bonum propriè dicere & ſentire ſolemus, qui iuſtus ſit, & cæteris moralibus virtutibus præditus: qui verò ſapientia & intellectu ſit inſtructus, hunc ſapientem potius quàm bonum virum appellare ſolemus, idem tamẽ vir bonus quodãmodo nominatur ob ipſam quam habet ſapientiam, quæ virtus eſt. Nam virtutis proprium eſt,*

vt habentem bonum faciat & perfectum, cum ipſa ſit perfectio quædam, vt ipſe libro ſeptimo de phyſico auditu teſtatur.

13 Semper deterius melioris eſt gratia. *Cum alterum ſcilicet ad alterum refertur natura, vel recta ratione.*

14 Vt hanc quoq; partem eodem modo ſecari *Cum ratio ſit duplex, pars quoq; animæ particeps rationis erit duplex, actiua & contemplatiua: ac eodem modo actiones ipſarum alterius actiua, alterius erunt contemplatiuæ: quarum actionum hæ ſunt magis expetendæ, quæ proficiſcuntur à re, quæ melior eſt natura: pars autem animæ contemplatiua melior eſt natura quàm actiua, quoniam in optimarum & maximarum neceſſariarumq́; rerum contemplatione verſatur, cum actiua in rebus conſtantibus & variantibus verſetur.*

15 Ijs qui omnes aut duas aſſequi valent. *Qui poſſunt moralibus, quæ ſunt in parte rationis expertes & vtriuſq; partis animæ, quæ rationis eſt compos, virtutibus fungi aut duarum ex his tribus.*

16 Quo ſummo potiri poteſt. *Quod eſt maximum ex ijs, quorum ipſe poteſt fieri compos: non enim ſibi impoßibilia, ſed ex poßibilibus optimum quodque expetere debet.*

17 Eundem eſſe delectum. *Vt quemadmodum ex partibus animæ ea præfertur alteri, cuius gratia altera eſt, ſic honeſta rebus neceſſarijs & vtilibus præferuntur. Hæ nanq; honeſtarum rerum, hoc eſt virtutum & officiorum gratia ſunt, & expeti debent: eademq́; ratione pax bello præferenda eſt, otiũ negotio. Hanc igitur rationem legumlator ſequi, & optima quæq; ſpectare optimumq́; finem condendis legibus intueri debet: neq; verò negligenda ratio eſt, quæ negotia bellaq́; gerendi facultatem præbeat: ſed ita vt hæc ad otium & pacem referantur, & hac velut norma eſt puerorum educatio, & ciuium omnis ætatis inſtitutio dirigenda.*

18 Tum rebus ipſis nuper conuictum eſt. *Nuper res ipſa declarauit. Nam imperio Græciæ potiti Lacedæmonij cum pace imperioq; vti neſcirent, imperium amiſerunt, qua de re Cicero,* Quid, *inquit,* Lacedæmonios iniuſtè imperantes, nónne repente omnes ferè ſocij deſeruerunt, ſpectatoresq́; ſeſe otioſos præbuerunt Leutricæ calamitatis?

19 Hoc quoque dictu ridiculum eſt. *Ridicula eſt commendatio laudantis legumlatorem, qui eas leges tulerit, quibus cum vti poſſent Lacedæmonij, rectam & beatam vitam amiſerunt.*

20 Quanuis talem honoris gradum obtinenti. *Pauſanias quanuis regium gradum obtineret, accuſatur tamen à Lacedæmonijs, quòd affectata tyrannide ſolus ciuitati ſuæ voluerit imperitare.*

21 Ea

21 Ea conditione indignos. *Qui liberi ſunt natura, nec digni quibus beriliter vt ſeruis imperitetur.*

22 Vt ſeruitute dignis dominentur. *Vt natura ſeruis, aut ijs quorum deprauati mores id poſtulant, beriliter imperent, iure ſcilicet natura, de quo libro primo memoratum eſt.*

CAPVT XV.

1 CVM autem publicè priuatimque hominibus finis idem eſſe 1
videatur, 2 eodemque modo virum optimum quo Rempub opti- 2.
mam definiri ſit neceſſe, non dubium eſt quin virtutes ad otium fa-
cientes deſiderentur. Vt enim ſæpe diximus, belli pax, otium nego-
tij finis eſt. Cæterum ad otium & vitam liberalem virtutes tum qui
bus in otio, tum quibus in negotio vtimur, conducunt. Multa enim
ex rebus neceſſarijs, vt otioſis eſſe liceat, requiruntur. Itaque tem-
perans ciuitas & eadem fortis eſſe debet, & quæ laboribus & calami-
tatibus non ſuccumbat. Nam ſeruis, vt in prouerbio eſt, otium non
ſuppetit. Qui autem fortiter pericula ſubire nequeunt, hi ſerui fiunt
inuadentium. Fortitudine igitur & tolerantia 3 ad negotium, 4 ad 3 4.
otium autem philoſophia opus eſt. Temperantia verò & iuſtitia v-
triſque quidem temporibus aptæ ſunt, ſed pacem agentibus & otio-
ſis magis neceſſariæ. Nam bellum iuſtos & temperantes eſſe cogit.
Secunda fortuna, & otium cum pace, contumelioſos magis reddit.
Multa igitur iuſtitia, multa temperantia ijs opus eſt, qui felices eſſe
videntur, & rebus omnibus fruuntur, quæ vitam beatam efficere
putantur, vt ſi qui ſunt, quales à poëtis eſſe in Fortunatis inſulis me-
morantur. His enim maximè philoſophia, temperantia, & iuſti-
tia opus eſt, quo magis otioſi ſunt, & talium bonorum copia fru-
untur Cur igitur ciuitatem ad rectè beateque viuendum his virtu-
tibus præditam eſſe oporteat, in promptu eſt intelligere. 5 Cur ergo 5.
turpe ſit bonis vti non poſſe, ſed negotia bellaq; gerétes probos eſſe
videri, pacem autem & otium agitantes 6 mancipiorum vitam imi- 6.
tari, efficitur vt in virtute colenda non ſit Lacedæmoniorum ciui-
tas imitanda, 7 qui nõ eo differunt à cæteris, quòd non idẽ quod alij 7.
ſummũ bonũ eſſe exiſtiment, ſed quòd id per quandã virtutẽ parari
putant. 8 Cũ autẽ hæc ſint maiora bona, hinc palã ſit, his frui quã vir 8.
tutibus præſtare, 9 & horũ fruitionem eſſe propter ſe expetendã: ſed 9.

quomodo

10. quomodo & 10 quibus id rebus contingat, conſiderare oportet. Natura igitur moribuſque & ratione opus eſſe, ſuprà diſſeruimus. Ex quibus cum quales natura ciues eſſe oporteat antè ſit à nobis declaratum, ſupereſt vt ratione an moribus inſtituendi ſint conſide-
11. remus. 11 Nam hæc inter ſe optima conuenientia congruere opor-
12.13. tet. 12 Ratio enim ab optimo fine aberrare poteſt, & 13 per mores
14. ſimiliter duci. Sed nec illud eſt dubitabile, primum quod 14 vt in cæteris, ſic hac in re generatio à principio eſt, & finis à principio quodam, quod eſt alter finis. Cum igitur ratio & intelligentia nobis ſit naturæ finis, vtique ad has oportet generationem & morum inſtitutionem accommodare. Deinde quemadmodum anima & corpus duo ſunt, ſic animæ partes duas eſſe rationis expertem & cō-
15. potem rationis: harumque habitus duos eſſe numero videmus, 15 quarum partium altera eſt appetitus, altera intellectus. Vt autem corpus prius gignitur quàm anima, ſic pars rationis expers quàm
16. compos: argumento, quòd 16 ira & voluntas, itemque appetentia pueris etiam ſtatim genitis adſunt, ratiocinatio autem & intelligentia ætate progredientibus naturaliter ingeneratur. Itaque neceſſario
17. prior eſt corporis cura, quàm animæ, 17 deinde appetitionis: veruntamen appetitus cura ad intellectum, corporis ad animam referri
18. debet. Si ergo legumlatoris partes ſunt, vt 18 alēdorum optima corpora generentur, ab initio prouidere, nimirum prima cura de matrimonio eſt adhibenda, quando & quales in maritalem conſuetudinem conuenire debeant.

Scholia in Caput XV.

1 Cum autem publicè priuatimque hominibus finis idem eſſe videatur. *Cum ſummum bonum in eadem re poſitum ſit ſingulis hominibus & vniuerſæ ciuitati, ſitq́ue vna & eadem virtus, quæ virum optimum & optimam ciuitatem facit, ijs potiſſimum virtutibus præditam eſſe ciuitatem oportet, quæ paci & otio ſunt accommodatæ, vt iuſtitia & temperantia & philoſophia, id eſt virtutes intellectuales: pax enim belli, otium finis eſt negotij. Sed quia pax interdum bello quærenda eſt, & otium negotio, virtutes quoque quibus bellum negotiumq́ue geritur, ſunt neceſſariæ. Colendæ ſunt igitur virtutes, ſed eæ maximè quæ pacem tuentur. Nec imitandus error Lacedæmoniorum, qui licet felicitatem, vt cæteræ bene inſtitutæ ciuitates virtute metirentur, tamen in hoc errabant, quòd eam per bellicam virtutem maximè contingere ſtatuebant,*

ſtatuebant, & hanc potiſſimum exercebant. Itaq; bellum gerentes ſeruabantur, in pace felicitatem & imperium amiſerunt. Prima igitur legumlatoris cura ſit, vt futuri ciues rectè generentur, deinde vt probis moribus inſtituantur. Primum ergo legumlatori quæ ad matrimonia pertinent prouidēda ſunt, vt vir & vxor quales eſſe & quo tempore conuenire debeant rectè ſanciatur.

2 Eodem modo virum optimum. *Quemadmodum vir optimus eſſe definitur, qui veris optimisq; virtutibus eſt præditus, ſic ciuitatem optimam eſſe definimus, quæ veris optimisq; virtutibus inſtructa eſt.*

3 Opus eſt ad negotium. *Vt ad bellum gerendum.*

4 Ad otium philoſophia. *Id eſt virtutes intellectuales, ſtudiumq; bonarum artium, cum ad mores inſtituendos, tum maximè ad contemplationem.*

5 Cum turpe ſit bonis vti non poſſe. *Cauſam reddit cur ciuitas pacis virtutibus inſtructa eſſe debeat, ſcilicet quia turpe eſt non habere otij & pacis bonis vtendi, ſiue fruendi facultatem quæ meliora ſunt, quàm belli negotiorumq; bona.*

6 Mancipiorum vitam imitari. *Turpiter & intemperanter viuere, vt ſerui ſolent.*

7 Qui non eo differunt à cæteris. *Lacedæmonij, vt cætera rectè ſentientes ciuitates vitam beatam in vſu virtutis eſſe conſtituunt, ſed eo differunt, quòd Lacedæmonij vſum bellicæ duntaxat virtutis ſummum bonum eſſe putant, alij cunctarum virtutum vſum, præſertim earum quæ ad otium magis conducunt.*

8 Cum autem hæc maiora bona ſint. *Cum otium & contemplatio maiora bona ſint, quàm morales & bellicæ actiones, conſentaneum eſt vitam quæ otio & contemplatione fruitur, præferendam ei eſſe, quæ fruitur ſiue vtitur virtutibus moralibus, & in ciuilibus actionibus verſatur.*

9 Et horum fruitionem. *Otij & contemplationis fruitionem per ſe expetendam eſſe. Actiones enim, vt ipſe primo libro de prima philoſophia docet, nō ſua ſponte, ſed propter cognitionem expetuntur: cognitio autem propter ſe expetenda eſt.*

10 Quibus rebus hæc bona contingant. *Quomodo ad otium & contemplationem peruenire valeamus.*

11 Hæc enim inter ſe. *Natura mores & ratio. Nam ſi conſtitutio naturalis ſit in vitia valde procliuis, & abhorrens à recta ratione, aut ſi ratio & mores inter ſe diſcrepent, nunquam vir optimus fiet.*

12 Vt ratio aberret ab optimo propoſito. *Vt ratio deflectat ab optimo*

 fine,

10. quomodo & 10 quibus id rebus contingat, conſiderare oportet.
Natura igitur moribuſque & ratione opus eſſe, ſuprà diſſeruimus.
Ex quibus cum quales natura ciues eſſe oporteat antè ſit à nobis declaratum, ſupereſt vt ratione an moribus inſtituendi ſint conſide-
11. remus. 11 Nam hæc inter ſe optima conuenientia congruere opor-
12.13. tet 12 Ratio enim ab optimo fine aberrare poteſt, & 13 per mores
14. ſimiliter duci. Sed nec illud eſt dubitabile, primum quod 14 vt in cæteris, ſic hac in re generatio à principio eſt, & finis à principio quodam, quod eſt alter finis. Cum igitur ratio & intelligentia nobis ſit naturæ finis, vtique ad has oportet generationem & morum inſtitutionem accommodare. Deinde quemadmodum anima & corpus duo ſunt, ſic animæ partes duas eſſe rationis expertem & cō-
15. potem rationis: harumque habitus duos eſſe numero videmus, 15 quarum partium altera eſt appetitus, altera intellectus. Vt autem corpus prius gignitur quàm anima, ſic pars rationis expers quàm
16. compos: argumento, quòd 16 ira & voluntas, itemque appetentia pueris etiam ſtatim genitis adſunt, ratiocinatio autem & intelligentia ætate progredientibus naturaliter ingeneratur. Itaque neceſſario
17. prior eſt corporis cura, quàm animæ, 17 deinde appetitionis: veruntamen appetitus cura ad intellectum, corporis ad animam referri
18. debet. Si ergo legumlatoris partes ſunt, vt 18 alēdorum optima corpora generentur, ab initio prouidere, nimirum prima cura de matrimonio eſt adhibenda, quando & quales in maritalem conſuetudinem conuenire debeant.

Scholia in Caput XV.

1 Cum autem publicè priuatimque hominibus finis idem eſſe videatur. *Cum ſummum bonum in eadem re poſitum ſit ſingulis hominibus & vniuerſæ ciuitati, ſitq; vna & eadem virtus, qua virum optimum & optimam ciuitatem facit, ijs potiſſimum virtutibus præditam eſſe ciuitatem oportet, quæ paci & otio ſunt accommodatæ, vt iuſtitia & temperantia & philoſophia, id eſt virtutes intellectuales: pax enim belli, otium finis eſt negotij. Sed quia pax interdum bello quærenda eſt, & otium negotio, virtutes quoq; quibus bellum negotiumq; geritur, ſunt neceſſariæ. Colendæ ſunt igitur virtutes, ſed eæ maximè quæ pacem tuentur. Nec imitandus error Lacedæmoniorum, qui licet felicitatem, vt cæteræ bene inſtitutæ ciuitates virtute metirentur, tamen in hoc errabant, quòd eam per bellicam virtutem maximè contingere ſtatuebant,*

ſtatuebant, & hanc potiſſimum exercebant. Itaq; bellum gerentes ſeruabantur, in pace felicitatem & imperium amiſerunt. Prima igitur legumlatoris cura ſit, vt futuri ciues rectè generentur, deinde vt probis moribus inſtituantur. Primum ergo legumlatori quæ ad matrimonia pertinent prouidēda ſunt, vt vir & vxor quales eſſe & quo tempore conuenire debeant rectè ſanciatur.

2 Eodem modo virum optimum. *Quemadmodum vir optimus eſſe definitur, qui veris optimiſq; virtutibus eſt præditus, ſic ciuitatem optimam eſſe definimus, quæ veris optimiſq; virtutibus inſtructa eſt.*

3 Opus eſt ad negotium. *Vt ad bellum gerendum.*

4 Ad otium philoſophia. *Id eſt virtutes intellectuales, ſtudiumq; bonarum artium, cum ad mores inſtituendos, tum maximè ad contemplationem.*

5 Cum turpe ſit bonis vti non poſſe. *Cauſam reddit cur ciuitas pacis virtutibus inſtructa eſſe debeat, ſcilicet quia turpe eſt non habere otij & pacis bonis vtendi, ſiue fruendi facultatem quæ meliora ſunt, quàm belli negotiorumq; bona.*

6 Mancipiorum vitam imitari. *Turpiter & intemperanter viuere, vt ſerui ſolent.*

7 Qui non eo differunt à cæteris. *Lacedæmonij, vt cæteræ rectè ſentientes ciuitates vitam beatam in vſu virtutis eſſe conſtituunt, ſed eo differunt, quòd Lacedæmonij vſum bellicæ duntaxat virtutis ſummum bonum eſſe putant, alij cunctarum virtutum vſum, præſertim earum quæ ad otium magis conducunt.*

8 Cum autem hæc maiora bona ſint. *Cum otium & contemplatio maiora bona ſint, quàm morales & bellicæ actiones, conſentaneum eſt vitam quæ otio & contemplatione fruitur, præferendam ei eſſe, quæ fruitur ſiue vtitur virtutibus moralibus, & in ciuilibus actionibus verſatur.*

9 Et horum fruitionem. *Otij & contemplationis fruitionem per ſe expetendam eſſe. Actiones enim, vt ipſe primo libro de prima philoſophia docet, nō ſua ſponte, ſed propter cognitionem expetuntur: cognitio autem propter ſe expetenda eſt.*

10 Quibus rebus hæc bona contingant. *Quomodo ad otium & contemplationem peruenire valeamus.*

11 Hæc enim inter ſe. *Natura mores & ratio. Nam ſi conſtitutio naturalis ſit in vitia valde procliuis, & abhorrens à recta ratione, aut ſi ratio & mores inter ſe diſcrepent, nunquam vir optimus fiet.*

12 Vt ratio aberret ab optimo propoſito. *Vt ratio deflectat ab optimo*

 fine,

ſine,id eſt non rectè ſibi vltimum finem conſtituat.

13 Per mores ſimiliter duci. *Hic locus in græcis exemplaribus variat: in quibuſdam enim διὰ τῶν ἠθῶν ὁμοίων ſcriptum eſt, id eſt per mores ſimiles, in aliis διὰ τῶν ἠθῶν ὁμοίως, per mores ſimiliter: in nonnullis διὰ τῶν ὁμοίων, per ſimilia, quarum dictionum mediam vt commodiſſimam ſecutus eſt interpres Reddit igitur cauſam philoſophus, cur cum dixiſſet naturam, rationem & mores inter ſe congruere debere, addidit optima conuenientia non enim ſatis eſt vt congruant, niſi optima conuenientia congruant, vt in homine rectè natura conſtituto ratio recta ſit ſummo bono conſtituendo, & mores optimi, eidemq́; fini conuenientes. Nã fieri poteſt vt congruant praua conueniẽtia, quod fit cum ratio aberrat ab optimo fine. & eadem ſimiliter mores ſic inſtituendos eſſe ſtatuit, vt ſint fini vltimo perperam ab ipſa conſtituto conuenientes, ab optimoq́; fine abhorreant: tunc enim ratio praua cum prauis moribus congruit, non tamen conuenientia optima, ſed peſſima, quarum conuenientiarum prior bonorũ & virtute præditorum virorum propria eſt, poſterior vitioſorum. Nam vt in homine virtute prædito, recta ratio cum moribus probis, id eſt virtutibus moralibus, qui ſunt habitus in appetitu ingenerati, congruit: ſic in vitioſo praua ratio congruit cum prauis moribus quæ vitia dicuntur. Nec enim ante vitium generatum eſt, quàm praua ratio congruat cum deprauato appetitu.. Nam contra rectæ & incorruptæ rationis quæ in ipſo ſit, iudicium turpiter facere non eſt vitioſi, ſed incontinentis, Ethicorum ſeptimo Mores autem hoc in loco vocat virtutum & vitiorum habitus. Quod autem dictum eſt de ratione & moribus, poteſt de natura ſimul dici, vt praua natura & praua ratio & praui mores inter ſe congruant, quæ erit peſſima conuenientia.*

14 Quemadmodum cæteris in rebus generatio à principio eſt, & finis à principio quodam quod eſt alius finis. *Vt in cæteris rebus naturalibus vel artificioſis, ita ſit in homine. Nam freni, exempli gratia, generatio à principio quodam eſt: ab artifice nanq; ferrum præparante & aptante initiũ ſumit, ipſaq; effectio generatio dicitur, cuius finis eſt ipſum frenum commodũ atq; perfectum. Hic autem finis principium, eſt finis vltimi freni, qui eſt equi commoda flexio & moderatio. Sic igitur accidit in homine, cuius generatio eſt à principio à parentum ſcilicet concubitu & præparatio ſeminæ, cuius generationis primus finis eſt perfecta hominis conſtitutio, cum ad perfectam ætatem peruenerit: hactenus enim homo generari dicitur, vt teſtatur ipſe Ariſtoteles, qui libro ſecundo de generatione tempus naturalis generationis æquale dicit eſſe tempori corruptionis ſiue interitus. Hæc autem perfecta conſtitutio, qui eſt proximus finis generationis, eſt vltimi finis humani principium.*

cipium,qui poſitus eſt in vſu virtutis intellectualis. Ergo finis, ait, ſcilicet v..i..mus eſt à principio quodam,quod principium eſt, alter finis proximus videlicet generationis,dictio enim græca ἀπό τοῦ ἀρχῆς ἄλλου τέλους, *ſic eſt ad verbum conuertenda,*à quodam principio alio fine, *id eſt quod eſt alius finis,vt interpres conuertit.*

15 Quarum partium. *Ex duabus memoratis partibus, quæ rationis eſt expers,appetitus dicitur,cuius habitus ſunt virtutes morales: compos verò rationis intellectus nominatur,cuius habitus ſunt virtutes intellectuales.*

16 Ira & voluntas. *Voluntatem impropriè dixit pro cupiditate quadam. Vt enim ipſe libro tertio de anima tradit,Voluntas in parte rationis compote, cupiditas verò in rationis experte fit.Nam philoſophi quoq;, vt cæteri auctores,interdum popularem conſuetudinem ſequentes, impropriè vocabulis vtuntur.*

17 Deinde appetitionis. *Prima cura debet eſſe corporis in prima ſcilicet generatione & infantia:proxima appetitus,vt moralibus virtutibus per optimam educationem informetur.In hac enim parte animæ virtutes omnes morales generantur,vt ipſe teſtatur magnorum moralium libro primo.*

18 Alendorum. *Qui alēdi ſunt poſteritatis, & Reipub.cauſa. Nam in quibuſdam ciuitatibus, vt Lacedæmone,ſi quis valde deformis aut membris neceſſarijs orbatus,aut quoquo modo natura deprauatus naſceretur, lege ali vetabatur,ſed iuſſu magiſtratuum,qui huic officio conſiderandisq; fœtibus præerant,in barathrum proijciebatur,à qua ſententia ne ipſe quidem Ariſtoteles abhorrere videtur proximo capite.*

CAPVT XVI.

1 Oportet autem legumlatorem in hac ſocietate inſtituenda, ad ipſos & viuendi tempus ſpectare,vt ætatibus ad tempeſtiuitatem cōgruant:nec diſſentiant facultates, vt cum vir generare queat, vxor non poſſit,aut contrà:quæ res ſeditiones inter ipſos mouent,& animos alienant:deinde ad filiorum ſucceſſionem intueri,quoniam filij neque nimio ætatum interuallo ſubſequi parentes debent, tunc enim 2 parū commodè vel filij ſeniorib. parentib. gratiā referre,vel parētes filios opitulari poſsūt:nec rurſus propè ad parentū ętatē accedere. Eſt.n.hoc multifariā incōmodū,tū quia tales filij minore verecūdia patres velut æquales ſuos colūt,& ætatū ꝓpinquitas 3 familiarē adminiſtrationē cōtentioſā facit:pręterea ob id,vnde huc digreſſi ſum⁹,vt corpora procreādorū filiorū 4 apta ſint legūlatoris volū 1. 2. 3. 4.

tati, quæ cuncta ferè vna prouiſione continget. Nam cum generandi finis magna ex parte viris ſit annus ad ſummum ſeptuageſimus,
5 mulieribus quinquageſimus, 5 debet autem coniunctionis initium per ætatem in hæc tempora congruere. Cæterum adoleſcentium coniunctio ad filios procreandos incommoda eſt. Nam cum in omni genere animantium fœtus nouellorum imperfecti & fœminei, exiguaq; forma ſint: eodem modo in homines accidere neceſſe eſt: argumento, quòd quibus in ciuitatibus adoleſcentibus ſolent puellæ nubere, in his homines imperfecti & corporibus exigui ſunt. Ad
6 hæc in partub. puellæ magis laborãt, & plures intereũt 6 Itaq; ob talem cauſam Trœzenijs editu eſſe oraculum quidam interpretãtur, velut multis intereuntibus, propterea quòd adoleſcentulæ nuptui traderentur, non propter fructuum perceptionem. Ad temperantiam quoque nuptui tradi grandiores conducit. Nam quæ aduleſcentulæ rebus venereis vſæ ſunt, hæ minus temperantes eſſe videntur.
7 Marium quoque corporibus ad incrementum abeſſe videtur, 7 ſi
8 coitus inter augeſcendum fiat. 8 Nam huius rei determinatum eſt tempus quoddam, vltra quod augeſcens non progreditur. Ita-
9 que mulieres 9 annos decem & octo, viros autem circiter triginta ſeptem natos matrimonio copulari conuenit. Sic enim coniunctio vigentibus florentibuſq; corporibus fiet, & eodem tempore oppor-
10 tunè filios procreare deſinent: 10 & illis ineunte ætatis robore filij,
11 ſi ſtatim pro ratione temporis generatio fiat, 11 his ætate iam in annum ſeptuageſimum deficiente ſuccedent. Ac coniunctio quidem maritalis quando fieri debeat explicuimus. Anni verò temporibus
12 vti oportet, vt multi nunc vtuntur, hybernum tempus 12 huic conſuetudini deſtinantes. Ipſi ergo ad filios procreandos medicorum & naturalium præcepta conſiderare debebunt. Medici enim rectè de corporum tempeſtiuitatibus diſſerunt, & de ventis naturales auctores, qui flatus Aquilonios Auſtralibus anteponunt. Cæterum qualia corpora fœtibus generandis maximè conducunt, proprius erit diſſerendi locus, cum de puerorum inſtitutione diſputabitur. Nunc rem ſummatim attingere ſatis habeamus. Nam nec athletarũ habitus ad rectam habitudinem ciuilem, vel valetudinem, vel filiorum procreationem vtilis eſt: nec rurſus imbecillus, ac nimis calamitatibus afflictus conuenit, ſed horum medius deſideratur. Habitum ergo laboribus exercitatum habere oportet, ſed non violentis, nec
13 14 15 vt 13 athletarũ habitus, 14 ad vnũ opus, ſed 15 ad liberorũ hominũ a-

ctions

ctiones accommodatis. Hæc autem in viris perinde ac in mulieribus deſiderantur: quibus mulieribus 16 vterum gerentibus corporum eſt adhibenda cura, vt neque deſidia torpeant, nec cibo vtantur tenuiore: quod facilè fuerit legumlatori prouidere, ſi lege ſanxerit, vt ſingulis diebus ſpatium aliquod deos qui generationi præeſſe putantur, venerandi gratia conficiant. Mentem autem contra quàm corpus tranquillam ſecuramque gerere conuenit. Vt enim quæ ex terra gignuntur, ſic fœtus ex prægnante matre bona malaq; contrahunt. De exponendis autem alendiſque fœtibus eſto lex 17 vt nihil alatur mancum, aut membris orbatum. 18 Propter filiorum autem multitudinem ſi fœtus exponi morum inſtituto prohibeantur, determinanda eſt enim procreandorum filiorum multitudo. Sed ſi quibus fuerit aliquid prætere a genitum, abortionem ante ſenſum & vitam facere conueniet. quatenus enim fas ſit, progredique liceat, ſenſu & vita terminabitur. Sed quoniam ætatis initium viro & vxori quando ſit coniunctio maritalis ineunda, definitum eſt: illud quoque quandiu liberis operam dare cõueniat definiatur. Vt enim iuniorum, ſic etiam ſeniorum filij imperfecti, tum corpore, tum etiam mente: confectorum autem ætate imbecilli generantur. Cum igitur ad eam ętatem fuerit proceſſum, qua mẽs & intellectus maximè viget, hæc autem eſt in pleriſque (vt poetę quidam ætatem hebdomadis metientes tradiderunt) 19 circa quinquageſimum annum. Circa hanc igitur ætatẽ, quarto pòſt vel quinto anno deſiſtere à filiorum alendorum generatione tempeſtiuum eſt: in poſterum ita temperandum, vt valetudinis gratia, vel ob aliam huiuſmodi cauſam conſuetudinem habere videantur. 20 Cum alia verò vel alio conſuetudinem habere, dum coniuges erunt & vocabuntur, in rebus turpiſſimis habeatur. Intra tempus verò filios procreandi ſi quis tale quicquam viſus fuerit admittere, infamia notetur, prout criminis magnitudo poſtulat.

16. 17. 18. 19. 20. *(marginal note numbers)*

Scholia in Caput XVI.

1 OPORTET autem legumlatorem in hac ſocietate inſtituenda & ad ipſos & viuendi tempus ſpectare. *Primum in legibus ferendis ad matrimonium pertinentibus habenda eſt viri & vxoris inter ipſos ratio, vt ea ætate conueniant, initiumq; generandi faciant, vt eodem tempore vtrique tempeſtiuum ſit deſinere: deinde filiorum ſucceſſiones ne nimium diſtent, aut*

propè ad patris ætatem accedant. nam vtrunque incommodum eſt: quod fiet, ſi vxor annorum decem & octo à viro annum nato circiter trigeſimum ſeptimum ducatur, quoniam & adoleſcentium, & rurſus ſeniorum filij imperfecti corpore & animo atque imbecilli generantur. Tempus autem anni gignendis filijs accommodatum eſt hybernum, & flantibus aquilonibus ventis. Habitus verò corporis in generantibus probatur, non nimis robuſtus, qualis eſt athletarum, nec rurſus imbellicus & laboribus fractus. Mulieres quoque prægnantes ambulationibus exerceri, & cibis vti ſolidioribus oportet. Præterea vt incipiendi ſic deſinendi filios procreare tempus debet eſſe definitum, ne quinquageſimum quintum annum in viro excedat. Adulteria verò ex vtraque parte in rebus turpiſſimis habenda ſunt, & infamia ſi tempore generationis patrentur, notanda.

2 Quia parum commodè vel filij ſenioribus parentibus. *Prius enim ſenes patres moriuntur, quàm filios alere, & probis moribus inſtituere, & à filijs gratiam eis referentibus iuuari poſſint.*

3 Contentioſam facit familiarem adminiſtrationem. *Quia filius non facilè iuſſis paternis obtemperat, cum eſt patri propemodum æqualis.*

4 Apta legumlatoris voluntati. *Virtutibus accommodata, quæ ſunt legumlatoris prudentia, & inſtitutis in vtraque parte animæ ingeneranda, & ad munera corporea, cum res poſceret obeunda.*

5 Debet autem coniunctionis initium per ætatem in hæc tempora congruere. *Ea ætate vir vxorq; debent in matrimonium conuenire, vt initium liberos generandi cum temporibus deſinendi congruat, vt eodem tempore vir ad annum ſeptuageſimum, vxor ad quinquageſimum perueniãt. Nam* καταβαίνειν *dixit philoſophus, pro* συγκαταβαίνειν *quo verbo bis hoc ipſo cap. vſus eſt in eandem conueniendi ſeu congruendi intelligentiam, ac eadem de re differens.*

6 Itaque ob talem cauſam Trœzenijs. *Quære hiſtoriam: cuius tamen ſumma eſſe videtur. Trœzenios cum multæ mulieres apud eos partubus interirent, oraculum ab Ioue Dodoneo fortaſſe vel Appolline Pythio quæ cauſa eſſet tanti mali petiuiſſe, aut qua ratione deorum ipſis infenſorum ira placari poſſet, oraculumq; huiuſmodi ex adytis aditum fuiſſe, fore vt deorum in Trœzenios ira & calamitas ceſſaret, ſi fructus ſerius perciperent. quod oraculum ſi. quidam exponunt, vt eo immaturas nuptias, & feſtinatam filiorum procreationem oraculo prohibitas eſſe interpretentur, non vindemias, aut meſſes intempeſtiuè properatas.*

7 Si coitus fiat inter augeſcendum. *Dum creſcit adoleſcens,* ἐὰν ἔτι αὐξανομένων ποιῶνται τὴν συνουσίαν. *Sic enim legitur in exemplaribus emenda-*

mendatis, in quibuſdam additum eſt τοῦ σπέρματος, in alijs τοῦ σώματος ſed vtrobique perperam, vt arbitror, & ſine vlla neceßitate propter phraſis ignorantiam.

8 Nam huius rei determinatum eſt tempus, vltra quod augeſcens non progreditur. *Quod tempus animal ſiue homo augeſcendo non excedit.*

9 Annos decem & octo, aut circiter. *Plato in libro quinto de Repub. viginti annorum ætatem in muliere, triginta in viro tempeſtiuam eſſe tradit ad nuptias, vt mulier ad quadrageſimum vſque pariat. Vir generet vſque ad quinquageſimum quintum.*

10 Et illis ineunte. *Qui adoleſcentuli duxerint vxores.*

11 His ætate iam *Qui perfecta ætate matrimonio iuncti ſunt. Succedere autem filius patri, in aliqua ætate intelligendus eſt, cum filius adoleuit, patre illam ætatem agente.*

12 Huic conſuetudini. *Generationi filiorum.*

13 Athletarum habitus. *Vt ſint robuſtißima corpora.*

14 Nec vt athletarum ad vnum opus. *ad palæſtram potißimum.*

15 Ad liberorum hominum actiones. *Vt ad curſum, & iaculandum, & munera militaria obeundum.*

16 Vterum gerentibus. *Pregnantibus.*

17 Vt nihil alatur mancum, aut membris orbatum. *Lacedæmoniorum inſtitutum probare videtur, quod idem Platoni placuiſſe videtur in lib. quinto de Rep. de quo inſtituto ſuperiore capite memorauimus.*

18 Propter filiorum autem multitudinem. *Quidam putauerunt modum imponendum eſſe filiorum generationi, ne propter multitudinem ciues inopia laborarent, quod eſſe neceſſarium Ariſtoteles tradit lib. ij. in ea ciuitate, vbi patrimonia lege æquantur. Si ergo pro reatione deſiſtendum eſt, quoniam filios cæteros vltra præſcriptum numerum genitos exponere, ſeu perimere inhumanum eſt & contra mores, ratio verò à procreatione filiorum deſiſtendi, quam quidam tradiderunt per turpißima diuenticula, nefaria eſt, idcirco abortionem potius inducendam eſſe dicit, antequam fœtus animetur. Hucuſque enim ſine magno flagitio progredi licet. Nam fœtum delere, cum ad ſenſum & vitā peruenerit, homicidium eſt, quod præceptum aduerſus Platonem datum eſſe videri poteſt. Plato enim libro quinto de Repub. Fœtum ſi quis poſt tempus generationi præſcriptum genitus fuerit, & in lucem editus, exponi iubet qui quanquam non edi melius eſſe dicit, non tamen addit abortionem ante ſenſum & vitam eſſe faciendam.*

19 Circa quinquageſimum annum. *Anno quadrageſimo nono, ſi ſequamur.*

mur hebdomadum rationem: nam ſepties ſeptem fiunt quadraginta nouem.

20 Cum alia verò vel alio. *Vt neque vir cum alia muliere conſuetudinem habeat, nec vxor cum alio viro. Nam vtrunque vt eſt, ſic turpiſſimum eſſe putari, & legibus vindicari debet.*

CAPVT XVII.

1. 1 FILIIS autem procreatis, magni referre ad vires corporis putandum eſt, quali cibo nutriantur. Sed ex cæteris animantibus ac gentium conſuetudine, quæ bellicæ habitudini ſemper ſtudent, ſi quis animaduertat, facilè intelligat lactis copioſum cibum cor-
2. poribus eſſe conuenientiſſimum, 2 ſed qui vini ſit expers, morborum cauſa. motibus etiam qui cadere in hanc ætatem poſſunt, exerceri confert. Cæterum ne propter teneritatem membra torqueantur, nationes nonnullæ quibuſdam artificioſis inſtrumentis vtuntur, quæ talium corpus tutum à torſionibus reddunt. Eſt etiam vtile, ſtatī ab ineūte ætate frigorib. aſſueſcere. hoc enim tū ad valetudinē, tū ad munera militaria cōmodiſſimū eſt. Quàobrē barbari magna ex parte, alij frigido flumine infantes mergere, alij paruis indumentis veſtire conſueuerunt, vt Galli. Nam quibuſcunque rebus fieri poteſt, ſtatim ab ineunte ætate aſſueſcere commodius eſt, paulatim tamen aſſueſcere. Eſt autem habitus puerorum aptus natura, propter calorem, vt frigoribus exerceatur. In prima igitur ætate, hæc & huic ſimilis cura adhiberi debet. Proxima verò ætas vſque ad annum quintum, quam nec diſciplinæ conuenit, nec laboribus neceſſarijs tradi, quo minus ſit augeſcentibus impedimento, motu debet, ſed quatenus modo deſidiam effugiat exerceri. Qui motus cum per alias actiones, tum per ludos parandus eſt: ludi verò nec illiberales, nec laborioſi, nec diſſoluti eſſe debent. Neque verò magiſtratibus qui pædonomi ab inſtituendis pueris nominantur, negligenda cura eſt, quales ſermones & fabulas audire huic ætati conueniat. Hæc enim cuncta exordia poſterioribus exercitationibus debent eſſe accommodata. Itaque ludi magna ex parte imitationes eſſe debent earum rerum quæ ſerio poſtea ſunt obeundæ. Puerorum autem fletus & ploratus qui legibus prohibent, non rectè faciunt: conferunt enim ad augeſcendum, quia ſunt quodammodo corporum exercitationes. Spiritus nanque contentio vires ſuggerit laborantibus, quod plorantibus contingit. Eſt autem pædonomorum

rum officium, tum reliquam horum viuendi rationem non negligere, tum prouidere, vt ſeruorum conſuetudinem vitent: hęc enim ætas vſque ad ſeptennium domi alatur neceſſe eſt. Huius igitur ætatis pueri, ne quid illiberale vel audiant vel videant prohibendi sūt. Ad ſummam, vt cætera mala, ſic debet legumlator ſermonis turpitudinem è ciuitate pellere. Nam facilè turpia loquendo, efficitur vt homines his proxima faciant. quòd maximè prouidendum eſt in adoleſcentibus, ne quid tale vel dicant, vel audiant. Siquis autem dicere vel agere vetitorum quicquam viſus fuerit, hunc oportebit, ſi quidem liber ſit, nondum tamen ad comeſationes admiſſus, & caſtigari, & verberibus puniri: ſin hac ætate maior, ignominijs illiberalibus, propterea quòd ſeruiliter viuat, notari. Cum autem ne quis talia loquatur prohibetur, ſatis intelligitur vetari, ne 3 turpes vel 3.
picturas vel fabulas ſpectet. Ad officium igitur magiſtratuum pertinet curare, vt nihil nec fictum, nec pictum ſit, quod tales actiones imitetur, præterquam apud Deos quoſdam, 4 quibus lex laſciuiam 4.
attribuit: apud quos lege pro ſe liberiſque & vxoribus litare permittitur. Iuniores autem ne iamborum vel comœdiæ ſpectatores fiant, lege prohibendi ſunt, donec ad diſcumbendi ætatem peruenerint, & omnes educatio à temulentia & huiuſmodi rerum nocumento tutos reddiderit. Nunc igitur paucis de his rebus diſſeruimus. Poſt autem accuratius erit diſputandum, oporteat, an ſecus, & quomodo: nunc autem locus neceſſario fuit attingendus: nam fortaſſe Theodorus Tragœdus non errabat in eo, quod nulli vnquam ne abiecto quidem histrioni, vt ante ſe in ſcænam prodiret concedebat, propterea quòd ſpectatorum animi primis auditibus capiantur, quod idem in hominum atque rerum conſuetudines accidit. Nam prima quæque magis delectant. Cuncta igitur mala, ſed ea maximè quæ turpitudinem habent, vel odiū pariunt, ſunt procul pueris remouenda. Poſt quinquennium verò duobus annis vſque ad ſeptem, 5 doctrinarum quibus inſtitui de- 5.
bent, ſpectatores fiant oportet. Sunt autem ætates duæ, in quas diſciplinam diuidere neceſſarium eſt: poſt ſeptennium vſque ad pubertatem: & rurſus hinc ad annum vnum & vigeſimum. Nam qui hebdomadis ætates partiuntur, hi magna ex parte non rectè præcipiunt. Sed cum omnis ars omniſque diſciplina naturæ defectus explere ſoleat, naturæ diuiſio nobis ſequenda eſt. Primum igitur videndum erit, num quis ordo in pueros ſit ſtatuendus: Deinde pu-

blicè,an priuatim,vt nunc in pleriſque ciuitatibus fit,curam puerorum adhibere oporteat: Tertio,qualis demum ſit ea procuratio ſtatuenda.

Scholia in Caput XVII.

1 FILIIS autem procreatis,magni referre ad vires corporis putandum eſt,cuiuſmodi cibo ijdem alantur. *Explicatis quæ ad rectam filiorum generationem pertinent,iam videndum eſt primum,qui cibus ſit infantibus accommodatus,& quæ exercitationes, deinde,animus qua ratione ſit inſtituendus. Vſus ergo naturalis cæterorum animantium,& conſuetudo earum gentium,quæ viribus ad bellum aptis ſtudent,apertè declarant,lac eſſe cibum infantibus accommodatiſſimum. Prodeſt etiam infantibus agitari motibus, qui cadere poſſunt in illam ætatem. Præterea frigoribus aſſueſcere valetudinem confirmat, & corpus aptum ad officia militaria reddit. à quinquennio ad ſeptennium luſionibus exercendi ſunt honeſtis, nec talibus, vt corpus affligant. puerorum ploratus prohibendi non ſunt,quippe cū ad augeſcendum faciant. Quod verò pertinet ad morum inſtitutionem,curandum eſt,ne pueri cum ſeruis verſentur,aut colloquantur, néue quicquam turpe vel videant vel audiant. Sunt etiam pueri ab omni turpi ſpectaculo ſummouendi.*

2. Sed qui vini ſit expers. *Lac cibus commodiſſimus eſt pueris,niſi vino fuerit corruptum: quod accidit,ſi merum nutrix largiter hauſerit, perinde eſt enim,ac ſi puer ipſe biberet,vt eſt in libro de ſomno & vigilia. quamobrem, inquit, nec infantibus vinum, nec nutricibus conducit. Nam fortaſſe nihil intereſt,ipſi bibant,an nutrices,ſed aquoſum bibere oportet, & modicum vinū, quoniam eſt ſpiritoſum,& tanto magis atrum,propterea ſcilicet,quod infantes reddit comitiales(vt Galli)Celtas vocat Ariſtoteles, quos interpres Gallos vertit, publicam ſententiam conſuetudinemq́; ſequutus. Suſpicor tamen Ariſtotelem Celtarum nomine Germanos ſignificaſſe, non ſolum hoc in loco, ſed in quibuſdam alijs. Nam quod hic Ariſtoteles de Celtarum moribus refert,idem Cæſar in commentarijs, & Mela de ſitu Orbis, de moribus Germanorum memorant, & quod Ariſtoteles libro tertio Ethicorum tradi refert,Celtas nec in terræ motu,nec in maris tēpeſtate timere,multo magis Germanorum naturæ conuenit, quàm Gallorum: quam mihi ſuſpicionem mouit Honoratus Ioannes Valentinus vir domi nobilis, græcè & latinè doctiſſimus, cum quo propter egregiam eius eruditionem & humanitatem libenter ſoleo ſermones tum familiares,tum etiam literatos conferre.*

3 Turpes fabulas ſpectet. *Vt comœdias turpes,dum aguntur in theatris.*

4 Quibus lex laſciuiam attribuit. *Vt Priapo Deo, & Baccho, ac Veneri.*

5 Spectatores iam fieri oportet doctrinarum. *Vt exercentes ſe in palæſtra, currentes, iaculantes, ludos equeſtres agitantes conſpiciant, atque item voce vel fidibus canentes audiant. Hæc enim ſtudia & exercitamenta doctrinas vocat, quia ſunt à pueris & adoleſcentibus diſcenda, ſed ea maximè quibus & corpora & animi durantur ad bellum, vt indicat Vergilius noſter, qui ex præceptis, vt videtur, Ariſtotelis, ſtudia puerorum, duritia ac labori ſtudentium pulcherrimè perſequutus eſt illo carmine,*

Durum à ſtirpe genus natos ad flumina primum
Deferimus, ſæuoque gelu duramus & vndis:
Venatu inuigilant pueri, ſyluaſque fatigant,
Flectere ludus equos, & ſpicula tendere cornu.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

ARISTOTELIS DE REPVBLICA LIBER OCTAVVS,

Interprete & enarratore
IOANN. GENESIO SEPVLVEDA
CORDVBENSI

CAPVT I.

LEGVM igitur latori plurimum operæ ponendum eſſe in puerorum educatione, 1.
quod in ciuitatibus prætermiſſum [2] Reipub. 2.
nocet, nemo dubitauerit: quoniam ad quamque Rempublicam ſua eſt adminiſtratio dirigenda, cum [3] ſui quanque mores & tueri, 3.
& ab initio fundare ſoleant, hoc eſt populares mores Remp. popularem, & paucorũ potentiam, qui ſunt huic generi accommodati: ſemper tamen optimi quique mores melioris Reipub. ſunt cauſa. Præterea cum ad omnes facultates & artes quædam ſint exordia doctrinę, & quib an-

te aſſueſcere conueniat; vt earum cuiuſque muneribus fungamur dubium eſſe non poteſt, quin idem in virtutis actiones accidat. Sed
4. quoniam 4 vnus eſt omnis ciuitatis finis, haud dubiè neceſſarium eſt, vt vna eademque ſit cunctorum educatio & diſciplina, eademque cura & procreatio, idque publicè, non priuatim, quemadmodum nunc ſuorum quiſque filiorum curam gerit, & eos prout viſum eſt, priuatim inſtituit, cum tamen communium communem eſſe exercitationem oporteat, & ſimul ciuium quiſque ſe non ſuum, ſed omnes ciuitatis eſſe putare debeat. Eſt enim vnuſquiſ-
5. que ciuitatis pars: 5 procuratio verò cuiuſque partis procurationem totius ſpectare debet, lege naturæ quo nomine laudandi ſunt Lacedæmonij, qui magnum ſtudium in pueros, & magnam curam, eamque publicè conferunt. De educatione igitur leges eſſe ferendas, eamque publicam eſſe oportere, perſpicuum eſt.

Scholia in Caput I.

1 LEGVMLATORI plurimum operæ ponendum eſſe in puerorum educatione. *Perſequitur rationem pueros educandi & inſtituendi inchoatam libro ſuperiore, quam curam legumlatori maximè neceſſariam eſſe docet. Nam mores ciuium tum ad inſtituendam, tum ad conſeruandam cuiuſque generis Rempub. multum faciunt. Placet autem non priuatim inſtitui pueros, ſed publicè, more Lacedæmoniorum.*

2 Reipublicæ nocet. *Neglecta cura pueros inſtituendi Reipublicæ officit.*

3. Sui quanque mores. *Sic quæque Reſp. optimè & inſtitui ab initio, & deinde conſeruari poteſt, & ſolet, ſi mores ciuium ei generi conſentiant.*

4 Vnus eſt omnis ciuitatis finis *Quia ciuitas vniuerſa vnum & eundem finem ſpectat, eademq́ue re felicitatem metitur, idcirco ciues omnes eodem modo inſtituti ac educari debent publicè.*

5. Procuratio cuiuſque partis. *Adminiſtratio ſingularum partium debet ad totius adminiſtrationem referri.*

CAPVT II.

1. 1 QVAE ſit autem educatio, & quomodo pueri inſtitui debeant,
2. cognitum eſſe oportet. Nunc enim 2 de operibus ambigitur, cum
3. non eadem omnes pueris diſcenda eſſe exiſtiment, 3 nec ad virtu-

tem,

tem,4 nec ad optimam vitam. Sed neque illud ſatis cõſtat,5 ad mo- 4. 5.
res animæ,6 an ad intelligentiã potius inſtitutio ſit dirigenda,7 Ex 6. 7.
vſitata quidem educatione turbulenta eſt & obſcura conſtituendi
ratio: num rebus ad vitam vtilibus, an iis 8 quæ ad virtutem perti- 8.
nent,9 an rebus præſtantioribus exerceri debeant. Nam hæc om- 9.
nia 10 quibuſdam ſe iudicibus tuentur. De his enim quæ virtutem 10.
attingunt, nihil eſt de quo inter omnes conueniat. Nam virtutem
ſtatim non eandem colunt omnes, vt merito de ipſius exercitatio-
ne diſſentiant. Ex operibus igitur vtilibus neceſſaria eſſe diſcenda
certum eſt: ſed cum liberalia illiberalibus diuiſa ſint, non eſſe om-
nia diſcenda, perſpicuum eſt, ſed ea duntaxat ex vtilibus eſſe obe-
unda, quæ obeuntem ſordidum non efficiunt. Sordidum autem o-
pus & ars doctrinaque ſordida putari debet, quæcunque liberorum
hominum corpus vel 11 animum vel intelligentiam inutiles ad v- 11.
ſus actioneſque virtutis reddunt. Quamobrem quæcunque artes
corpus in deteriorem habitum inducunt, mercenariaſque operas
ſordidas appellamus, propterea quòd mentem impediunt abiectã-
que reddunt. 12 Scientijs autem quibuſdam liberalibus operam 12.
quadamtenus impendere, non eſt illiberale, ſed qui hoc facit alio-
rum cauſa, is ſæpe mercenaria ſeruiliq; opera fungi videri poteſt. 13 13.
Vulgatæ igitur diſciplinæ, vt ſuprà diximus, ancipites ſunt, & in v-
tranque partem flecti poſſunt.

Scholia in Caput II.

1 QVAE ſit autem educatio, & quomodo pueri inſtitui debeãt. *Duo ſunt legumlatori conſideranda in conſtituenda educatione, Primum quæ ſint pueris addiſcenda: Secundum quomodo ſint inſtituendi. Nec enim conſtãt, quo referri debeat educatio, ad commoditatem, an ad morales virtutes, an ad cognitionem rerum & contemplationem: quanquam ex rebus vtilibus non dubium eſt, quin neceſſaria ſint addiſcenda, non tamen illiberales, ſed quæ ſint homine ingenuo digna. Scientiæ verò liberales non propter alios, ſed propter ſe cuique ſunt addiſcendæ.*

2 De operibus ambigitur. *Non de modo, ſed de rebus ipſis & ſtudijs ac exercitamentis, quibus pueri ſunt inſtituendi.*

3 Nec ac virtutem. *Quoniam alij aliam virtutem magis probant.*

4 Nec ad optimam vitam. *Alij enim alio felicitatem metiuntur.*

5 Ad mores animæ. *Ad virtutes morales.*

6 An ad intelligentiam. *Ad contemplationem, & intellectuales virtutes.*

7 Ex vſitata quidem educatione. *Si ad vulgarem & communem educationem ſpectare libeat in præceptis educationis tradendis, vt ea ſcilicet edoceamur & dirigamur, parum nos iuuare poterit.*

8 Quæ pertinent ad virtutem. *Moralem intellige.*

9 An rebus præſtantioribus. *In cognitione rerum & contemplatione. Nam τὰ περιττὰ, quas res præſtantiores ſolet interpres conuertere, Ariſtoteles quæ neceſſarijs & vtilibus excellentiora ſunt, vocare conſueuit, qualis eſt rerum naturalium, & Dei, mundiq́, & maximarum mundi partium cognitio & contemplatio, vt ſuprà non ſemel declaratum eſt, & in primo libro de prima philoſophia Alexander Aphrodiſienſis exponit, quem ipſi adoleſcentes voluntate Clementis pontificis maximi è græco in latinum ſermonem conuertimus.*

10 Quibuſdam ſe iudicibus tuentur. *Suos auctores habent, à quibus tradita ſunt.*

11 Animum vel intelligentiam. *Partem animæ rationis expertē, in qua virtutes morales ingenerantur: vel ſuperiorem, qua prudentia & cæteræ intellectuales virtutes gignuntur. Itaque non ſolum artificum, ſed etiam agricolarum, & omnis generis mercatorum & mercenariorum vitam in artibus & actionibus ſordidis verſari tradit.*

12 Scientijs quibuſdam liberalibus. *Vt muſicæ, & arti pictoriæ. poteſt etiam hoc ad doctrinas referri, in quarum ſtudio vitiū illud vitari debet, quod Cicero in C. Sulpitio, & in Sex. Pompeio damnauit, quod alter in aſtrologia, alter in geometria magnum ſtudium, multamq́ operam in res obſcuras atq́ difficiles contuliſſent, eaſdemq́ minimè ad ſolidam illarum ſcientiarum cognitionem neceſſarias, quæ doctrinæ & artes, ſi non ſponte ſua & cognitionis gratia, ſed ob alias cauſas, vel vt aliorum voluptati quiſpiam aut commoditati ſeruiat petantur, mercenariæ fiunt & ſeruiles.*

13 Vulgatæ igitur diſciplinæ. *Rationes inſtituendi pueros quæ traditæ ſunt & vulgatæ, quam ſuprà vſitatam educationem vocauit, nihil habent certi & definiti, quo poſſimus ad veram inſtituendi rationem tradendam erudiri: hæ verò ſunt literæ, palæſtra, muſica, & pictura, de quibus deinceps diſputabit. Nam literæ poſſunt tum ad mercaturam referri, & opera neceſſaria & vtilia, tum ad liberales diſciplinas & contemplationem: & pictura & muſica eodem modo, vt proximo capite declarabitur Quo fit vt hæc vulgaris inſtituendi ratio ſit anceps, cum poſſit vt ad honeſtam & liberalem vitam, ſic ad vtilitatem referri.*

CAPVT

CAPVT III.

1 SED quatuor ferè ſunt, quibus inſtituere pueros conſueue- 1.
runt, 2 literæ, paleſtra, muſica, & quarto loco ars pictoria, qua non 2.
nulli pueros inſtituendos curant: ſed literaria & pictoria 3 tan- 3.
quam vtiles ſint ad vitam, & multifariam commodas: palæſtra 4 4.
quaſi ad fortitudinem conducat. Cæterum muſica in controuerſi-
am venire poteſt, vtpote cui plerique nunc dant operam volupta-
tis gratia, 5 cum tamen initio in diſciplinæ parte poneretur, pro- 5.
pterea quòd ipſa natura, vt ſæpe diximus, poſtulat, vt non modo
negotia rectè gerendi, ſed etiam otiō honeſtè fruendi facultas ad-
ſit. 6 Hoc eſt enim cunctorum principium, vt rurſus de ipſo diſſe- 6.
ramus, quoniam & ſi vtrunque expetendum eſt, otium tamen præ-
ferri debet, ſed non id quod in ludo conſumitur: 7 tunc enim ludus 7.
nobis neceſſario finis eſſet vitæ. quod fieri non poteſt, & inter nego
tia magis ludis eſt vtendum: nam qui laboribus exercetur, is alter-
nam requiem deſiderat. Eſt autem ludus requieſcendi gratia Ne-
gotium verò 8 cum labore & contentione geritur. quamobrem in- 8.
ducendi ſunt ludi 9 occaſionem vſus obſeruantibus, vt tanquam 9.
medicamentum adhiberi videantur, 10 quoniam hic animi motus 10.
remiſſio eſt, & propter voluptatem requies. Otio autem ipſo volu-
ptas felicitaſque & vita beata contineri videtur. 11 in hoc enim i- 11.
pſo, vt otio fruamur, voluptas & felicitas, vitaque beata contineri
videtur: quod occupatis non ſuppetit, ſed otioſis. Nam qui in nego-
tio eſt, is cuiuſpiam finis gratia, tanquam is non adſit, negotiatur.
Felicitas autem finis eſt, quam non cum dolore, ſed cum voluptate
contingere omnes exiſtimant. Cæterum hanc voluptatem non ean-
dem omnes, 12 ſed ſibi quiſque ſuoq; habitui accommodatam ſta- 12.
tuunt: optimus autem quiſque eam eſſe decernit, quæ optima eſt, &
à rebus honeſtiſſimis proficiſcitur. Ad otium igitur vitæ liberalis,
vt quædam diſcant, ac eis inſtituantur, oportet: vtque inſtituta hæc
& diſciplinæ propter ſe, quæ verò ad negotium pertinent, vt ne-
ceſſariæ & aliarum rerum gratia ſuſcipiantur. Quocirca priores mu-
ſicam in parte diſciplinæ, non vt rem neceſſariam ſtatuerunt (nihil
enim habet huiuſmodi) nec vt vtilem, quemadmodum 13 lite- 13.
ræ vtiles ſunt ad rationem quæſtuariam, & rei familiaris admini-
ſtrationem, & 14 ad doctrinam & ad opera multa ciuilia. Sed ars pi- 14.
ctoria

ctoria vtilis eſſe videtur, vt melius de artificum operibus iudicemus. Nec rurſus quemadmodũ paleſtrã, ſic muſica valetudini viribuſq; confert: neutrum enim ex ipſa videmus exiſtere. Reliquum eſt igi-
15. tur vt muſica 15 ad vitam in otio liberaliter degendam diſcendã ſit, quo ipſam videmus à veteribus referri. Quam enim vitam liberorum hominum eſſe putant, huic muſicam attribuunt. Itaque Homerus in carminibus ait,

Quàm iuuat ad lautam cœnam accerſire Thaliam?

Et ſic quoſdam alios præfatus, inquit,

Cantoremq; vocant, modulis qui mulceat omnes.

Et alio in loco Vlyſſes eam vitam optimam eſſe confirmat, cum homines, inquit, lætitia perfuſi ſunt.

Perq; domum cantu fruitur conuiua recumbens.

Eſſe igitur diſciplinam quandam, qua non vt vtili aut neceſſaria, ſed quaſi liberali & honeſta filij ſint inſtituendi, perſpicuum eſt. Ceterum vna ſit, an plures, & hæ quę ſint, & quomodo docendæ, poſtea differemus. Nunc id tantum profecimus, quod noſtram ſententiam quodam veterum teſtimonio ex traditis diſciplinis confirmauimus; hoc enim muſica declarat. Nec dubitari poteſt, quin ex neceſſarijs aliqua doceri pueros conueniat, vt literis erudiri, non ſolum propter commoditatem, ſed etiam quia fieri poteſt, vt ex his ad alias diſciplinas procedatur. Eademque ratione inſtituendi ſunt
16. arte pingendi, non quo minus in rebus priuatis emendis errent, 16 nec ſupellectilis aut veſtis emptione & venditione fallantur, ſed potius quoniam ex hac exiſtit corporum pulchritudinem contemplandi ratio. Commoditatibus autem vbique duci, nec magnum decet, nec ingenuum animum: ſed cum moribus, an ratione ſermo-neque inſtitui pueri, & corpore prius an mente exerceri debeant,
17. in promptu ſit intelligere. Ex his palã fit oportere pueros 17 gymnaſticæ & pædotribicæ tradi, quarum altera corporis habitus, altera verò opera qualitate quadam afficiuntur.

Scholia in Caput III.

1 SED quatuor ferè ſunt, quibus inſtituere pueros conſueuerunt. *Quatuor facultates ſunt, quibus parentes filios ſuos inſtituendos curare ſolẽt, literæ, paleſtra, muſica, & ars pictoria, propter quaſdã ſcilicet vtilitates. Nã*

litera

litera ad multa negotia ſunt vtiles. Pictoria facit ne fallamur in tabulis pictis. Palaſtra ſiue gymnaſtica, quoniam ad res bellicas prodeſt. De muſica dubitari poteſt. Nam licet quidam ea vtantur oblectationis gratia, veteres tamen partem quandam rectæ educationis eam eſſe ſtatuerunt, ad otium ſcilicet rectè fruendum. Nam otium finis eſſe optimæ vitæ ſtatuendum eſt, non tamen otium quod in luſionibus conſumitur, ſed quod in optimarum rerum contemplatione ponitur. Nam ludus non finis eſſe, ſed laboribus interponi debet, quaſi medicina ad vires per requiem recipiendas, vt iterum labor ſuſcipiatur. Itaq; ludus tanquam res neceſſaria negotijs obeundis eſt adhibendus: muſica vero tanquam honeſta, & ad otium fruendum in vita liberali accommodata. Eodemq; modo facultas pictoria non vtilitatis gratia diſcenda eſt, ne in emptionibus fallamur, ſed quia prabet corporis pulchritudinem, dijudicandi & contemplandi facultatem.

2 Literæ & palæſtra *Literæ ſunt legendi & ſcribendi facultas. Palæſtra alio nomine, vtroq; græcè gymnaſtica vocatur. ſed palæſtra, Latinis eſt magis vſitatum vocabulum, quo ſignificantur omnes ferè corporis artificioſa exercitationes.*

3 Tanquam vtiles ad vitam. *Itaq; finem harum vtilitatem quandam faciunt, de qua infrà memorabitur.*

4 Quaſi ad fortitudinem *Ad munera militaria.*

5 Cum tamen initio. *Veteres qui muſicæ fuerunt auctores, ad rectam & honeſtam educationem muſicam pertinere ſtatuerunt, ipſamq; in numero liberalium ſcientiarum poſuerunt.*

6 Hoc eſt enim cunctorum principium. *Otium cunctis ponitur tanquam principium deliberationis in vita inſtituenda, quia cũcta ad otium referuntur tanquam ad finem. Itaq; principium hoc in loco vocat finem, quoniam eadem res & finis dicitur & principium. Nam quod eſt primum in deliberatione & conſideratione, id vltimum eſt in effectione, Ethicorum iij. & finis in actionibus principium eſt, vt ſuppoſitiones in mathematicis, ſeptimo Ethicorum.*

7 Tunc enim ludus neceſſario finis eſſet. *Si ludiorum otium eſſet felicitas, finis optimæ vitæ poſitus eſſet in ludo: quod fieri non poteſt. Nec enim ad ludum & iocum nati ſumus, vt inquit Cicero, ſed ad ſeueritatem potius, & quædam ſtudia grauiora atq; maiora.*

8 Cum labore & contentione. *Contentio animi contraria eſt remiſſioni & relaxationi.*

9 Occaſionem vſus obſeruantibus. *Debet enim tempus obſeruari ad ludum & iocum, cum ſcilicet requies ad vires corporis aut animi labore de-*

 fatigati

fatigati recipiendas eſt neceſſaria.

10 Quoniam hic animi motus. *Motus qui fit in ludo, eſt animi relaxatio, & idem propter voluptatem eſt requies.*

11 In hoc enim ipſo *Otium latè patet, complectiturq́; voluptatem & vitam beatam, quod negotio abeſt. Nam qui negotiatur, is alicuius rei quam non habet gratia negotiatur. felicitatis ſcilicet cauſa, tanquam eam nondum ſit aſſecutus.*

12 Sed ſibi quiſque, ſuoq́; habitui. *Vitioſus prout ipſi & vitioſis habitibus quos animo induerit conuenit: ſic voluptatem comitem beatæ vitæ ſtatuit, turpem ſcilicet & vitioſam: vir probus honeſtam, & quæ ex rebus honeſtiſsimis capitur.*

13 Literæ vtiles ſunt ad rationem quæſtuariam. *Nam ſine literis non poteſt confici accepti & expenſi libellus, qui vtilis eſt mercatoribus, & patribus familias.*

14 Ad doctrinam. *Vt procedatur ad artes, & ſcientias liberales. Sunt etiam vtiles literæ ad ciuiles actiones, quæ multifariam ſcripturis indigent & monumentis.*

15 Ad vitam liberaliter degendam. *Vitam liberalem vocat, quæ ſibi vacat, nec eſt in rebus neceſſarijs aut vtilibus parandis occupata.*

16 Nec in ſupellectilis aut veſtis. *Supellectilis nomine vaſa omnia eſcaria & potoria, menſa, lecti, & candelabra, & cætera id genus continentur: quæ ſi ſculpta ſint, quaſi picta poſſunt pictoris iudicio diſcerni. Veſtis autem vocabulo tapetes etiam & aulæa veniunt, & ſtragula omnis generis, quæ omnia græcè τῶν σκευῶν nomine intelliguntur.*

17 Gymnaſticæ & pædotribicæ tradi. *Gymnaſtica eſt, quæ alio nomine vocatur palæſtra, facultas exercendi corpus ad vires corporis valetudinemque confirmandam, & bonam habitudinem ingenerandam. Pædotribica verò pertinet etiam ad corporis exercitationem, non tamen virium habituumq́; et valetudinis gratia, vt gymnaſtica ſed operum, id eſt vt pueri diſcant iaculari, gladio punctim caſimq́; ferire, equos flectere, & cætera corporis liberalia militariaq́; munera obire. Altera igitur, id eſt, palæſtra, corporis habitus afficitur qualitate quadam, quia robuſtus fit, & rectè valet. Altera id eſt pædotribica, opera militaria aſſiciuntur bonitate, id eſt rectè obeuntur.*

CAPVT IIII.

1\. 1 NVNC igitur ciuitates quæ curam in pueros maximè conferre
2\. videntur, aliæ 2 athletarum habitum ingenerant, quæ res ſpeciem

defor-

deformat,& obeſt corporum incremento.Lacones autem licet hoc errore non labantur,tamen laboribus feros & immanes reddunt, tanquam hoc ſit ad fortitudinem accommodatum. Sed vt ſæpè diximus,nec ad vnam virtutem, nec ad hanc maximè eſt ea cura referenda:& ſi ad hanc referri debet,tamen qua id ratione fiat,Lacones non compererunt.Non enim neque in cæteris animantibus, neque in gentibus fortitudinem 3 comitem feritatis eſſe notamus, ſed mitiores & leonis ſimiles mores affectari.Sunt autem multæ nationes ad cædes & humanarum carnium epulas procliues, vt ex ijs qui Pontum accolunt,Achæi & Eniochi. Et 4 ex mediterraneis gentes aliæ quædam his ſimiles, aliæ etiam immaniores, quæ cum latrocinijs deditæ ſint,à fortitudine tamen abhorrent. Præterea Lacones ipſos ſcimus, dum aſſiduè laboribus exercentur, alijs præſtitiſſe. Nunc autem & ludis gymnicis, & bellicis certaminibus eſſe cæteris inferiores.Non enim idcircò præſtabant,quòd pueros ad eum modum exercerent,ſed eo tantum, quòd aduerſus non exercitatos exercebant. Ad honeſtatem igitur primæ partes deferri debent,non ad feritatem. Non enim lupus, nec alia vlla fera, ſed vir probus aptus eſt honeſto periculo ſubeundo. 5 Cæterum qui pueris ad hæc nimiam licentiam præbent, nec eos rerum neceſſariarum diſciplina imbuendos curant, hi pueros reuera ſordidos efficiunt ad vnum tantum opus vtiles ciuili rationi reddentes, idque,vt ratio docet,peius alijs.6 Non igitur ex prioribus factis iudicium,ſed ex præſentibus eſt faciendum. Nunc enim concertatores habent & æmulos diſciplinæ, eiſdem antè carebant. Gymnaſtica igitur vtendum eſſe,& quomodo,non eſt controuerſia: debent enim ad pubertatem vſque leuioribus exercitationibus tradi,7 victu violento,& laboribus neceſſarijs remotis, ne ſint augeſcentibus impedimento. Quas res hoc malum parere poſſe non paruo argumento eſt, quòd 8 inter Olympionicas duos treſúe ad ſummum reperias, qui viri & ijdem adoleſcentes fuerint victoria potiti,propterea quòd iuniores dum ſe neceſſarijs exercitationibus dedunt,vires exhauriunt. 9 Sed cum tres annos à pubertate diſciplinis alijs tribuerint, tunc conuenit laboribus & 10 certa ciborum neceſſitate proximam ætatem exercere. Nam ſimul mentem & corpus laboribus fatigare non conuenit: quoniam hi labores contrariarum rerum efficientes ſunt. Labor enim corporis,menti eſt impedimento,mentis autem,corpori. De muſica &

Margin: 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

ca & ſi quædam ſuprà diſſeruimus, non tamen erit alienum vlterius eadem repetentes procedere, vt quæſtioni quæ de ipſa poſſet induci, occaſionem prębeamus. Nec enim facilè eſt muſica quam vim habeat, nec cuius gratia ſit capeſſenda conſtituere, num ludi, &
11. quietis alternæ, 11 vt ſomnus & largior vini potus. Hæc enim per ſe non rebus honeſtis, ſed iucundis annumerantur, ſimulque ſollicitudinem, vt Euripides ait, excutiunt. Itaque muſica in hunc ordinem redigitur: & his vtuntur eodem modo vino, ebrietate & muſica: ſaltationem quoque his rebus annumerant. Ad ludum igitur & requiem muſica referri debeat quæritur, an magis putanda ſit nonnihil ad virtutem pertinere, vt quemad-
12. modum gymnaſtica corpus, 12 ſic ipſa mores qualitate quadam afficere valeat, rectè lętandi facultate per conſuetudinem inducta, an
13. 14. aliquid 13 ad vitam liberalem atq; prudentiam conferat. 14 hoc enim tertium memoratorum ponendum eſt. Palam eſt igitur pueros non eſſe ludi cauſa inſtituendos: nec enim diſcere ludus eſt, cum non ſine moleſtia erudiantur. Sed neq; vitam liberalem pueris decet ac talib ætatibus tribuere, cum finis imperfecto non conueniat, ſed forſitan ſtudium puerorum ludi cauſa, quo in virili & perfecta ętate fruantur, inductum eſſe videatur. Quod ſi ita eſt, quid tandem habent cauſæ cur ipſi doceātur, & non potius Perſarum, Medorum-
15. que regū more 15 per alios id faciant, & voluptate atq; diſciplina fruantur, cum ſit neceſſe melius id fieri ab illis qui hoc ipſum opus & artem profitentur, quàm ab his qui tātum temporis & operæ in eo, quantum modo in diſcendo poſuerunt? Quod ſi ipſos in talib reb. elaborare oportet, debent ijdem ipſi etiam condiēdorum obſoniorum artem, negotiumq; ſuſcipere: quod multum habet abſurditatis. Eadem manet difficultas, ſi ea vis muſicæ eſt, vt mores meliores efficiat. Nam quid attinet ipſos diſcere, & non potius audire alios,
16. vt rectè & oblectentur, & iudicare valeant 16 Laconum more, qui quamuis nō didicerint, tamē, vt ferunt, rectè poſſunt qui ſint optimi, & qui non optimi cantus iudicare. Eadem eſt ratio, ſi ad iucundam liberalemq; vitam adhiberi debet. Quid enim attinet ipſos diſcere, & non alijs vtentibus frui? Licet autem opinionem quàm de dijs habemus conſiderare: neq; enim Iupiter ipſe cantare, aut fidib.
17. canere 17 à poetis memoratur: quin ſordidos tales homines appella
18. mus: atq; eo munere præterquam ludentem 18 non eſt viri non temulenti fungi. Sed de his rebus, poſtea fortaſſis locus erit diſſerendi.

Scholia in Caput IIII.

1 Nunc igitur ciuitates quæ curam in pueros maxime conſerre videntur. *Dupliciter erratur in puerorum educatione. Nam quædam ciuitates dum robuſtiſſimos facere conantur, ſpeciem deturpant, corpora detorquentes, & per nimios labores obſunt, quo minus corpora in proceritatē augeſcant. Alij vt Lacedæmonij feras & immanes reddunt, cuncta ad vnam virtutem bellicam referentes, cum tamen educatio non ſit ad hanc maximè dirigēda: nec ſi ſit, feritas faciat ad fortitudinem, vt exemplu declaratur. Itaque ad honeſtatem, non ad feritatem exercitationes ſunt referendæ. Gymnaſtica igitur vtēdum eſt vſq; ad annum quartumdecimum, ſed ita vt pueri leuioribus laboribus exerceantur: nec eis cibus concoctu difficilis tribuatur, ne augeſcentibus obſit. Sed cum tres à pubertate annos ſtudijs alijs tribuerint, hoc eſt ab anno decimooctauo maioribus laboribus eos exercere conuenit, & cibu valentibus ali ad opera neceſſaria accommodatu. De muſica in quæſtionē venire poteſt, requietu voluptatiſq; cauſa ſit capeſſenda, an cōferat ad vitam beatam: ſunt enim in vtranq; partem rationes.*

2 Athletarum habitum. *Roboris ſcilicet corporis & viribus maximè ſtudētes. quæ res homines per labores deformat de quo Quintilianus ait,* Sicut athletarum corpora etiam ſi validiora fiant exercitatione, & lege quadam ciborum, non tamē eſſe naturalia, atq; ab illa ſpecie quæ ſit conceſſa hominibus abhorrere videntur.

3 Comitem eſſe feritatis. *Fortitudo non ſequitur feritatem, nec eſſe ferum hominem & immanem ſiue crudelem, argumentum eſt fortitudinis.*

4 Ex mediterraneis *Ex gentibus Pōticis, quæ non tenēt loca maritima, vt Achæi & Eniochi, ſed longius ab ipſo Ponto Euxino habitant.*

5 Cæterùm qui pueris ad hæc nimiam licentiam præbent, nec eos rerum neceſſariarum diſciplina imbuendos curant *Qui pueris feritati & crudelitati ſtudentib. indulgent, vel eos ad immanitatē inſtitutis ac moribus inducunt, nec temperantia & iuſtitia cæteriſq; virtutibus ad rectè tum in bello & negotijs, tum in pace & otio viuendum neceſſarijs imbuendos curant, hi puerorum animos deprauant, & parum accommodatos reddunt ciuili rationi, quæ ſunt per leges & mores à legumlatore inſtituendi, vt probi viri ciueſq; fiant, præterquam ad fortitudinem, bellumq; gerendum, ad quod etiam ipſum deterius alijs accommodantur. Immanitas enim ac feritas non ſolùm iuſtitiæ ac temperantiæ, cæteriſq; humanioribus virtutibus eſt inimica,*

ſed etiam ad fortitudinem, cuius cauſa petitur à Lacedæmonijs, parum aut nihil iuuat.

6 Non igitur ex prioribus factis. *Ad Lacedæmonios hoc quoq; referendum eſt, qui prius idcirco cæteros vincebant, non quòd meliore ratione exercerentur, ſed quia exercitati cum non exercitatis pugnabant: nunc aũt quãuis exercitati ſint, vincuntur tamen interdum, quia res eſt cum perinde exercitatis.*

7 Victu violento. *Victu athletico, quem paulò pòſt* ἀναγκοφαγίαν *vocat, vt exercitationes neceſſarias, quos hic neceſſarios labores, quibus adoleſcentes exerceri pluſquàm vellent cogebantur: aut labores neceſſarios & neceſſarias exercitationes pro violentis ac modum excedentibus dicit. Nam vt neceſſitas latinè ſic græcè* ἀνάγκη *vim interdum ſignificat. dicuntur autẽ violenti labores intolerabiles, & qui ſibi fatigatum corpus cogunt ſuccumbere.*

8 Inter Olympionicas. *Inter Athletas, qui Olympico certamine victores fuerunt. Adoleſcentia enim nimio labore exercita, & violentis exercitationibus antequã robur & ſtatura perficiatur, fatigata, exhauſtas vires & quaſi effœtum corpus tradit ætati virili.*

9 Sed cum tres annos *Hoc referendum videtur ad opera, quibus pueri ſunt per pædotribicam, de qua paulò antè diximus, inſtituendi.*

10 Certa ciborum neceſſitate. *Lege quadam ciborum. Nam vtroq; modo Quintilianus* ἀναγκοφαγίαν *interpretari videtur lib. duodecimo. quoniam Athletæ cibis duntaxat validis & ad vires confirmandas & augendas accõmodatis vtebantur, ficis ſcilicet aridis aut carnibus. Nam victum Athletarũ in ficu aridis, quib. corpus vireſq; iuuentur, olim conſtitiſſe, ac deinde à Pythagora exercitatore trãſlatum eſſe in carnes Plinius eſt auctor naturalis hiſtoriæ libro trigeſimotertio. A cibis autem leuioribus ſecunduq; menſis velut lege quadã prohibebãtur. Hoc eſt enim quod Paulus ait in epiſtola quæ eſt ad Corinthios prima:* quicunque agone contẽdit, ab omnib. ſe abſtinet, *ab omnibus ſcilicet leuioribus delicatioribusq; cibis.*

11 Vt ſomnus & longior cibi potus. *Somnus vt ab ipſo in libro de Somno & vigilia definitur, eſt affectio quædam ſenſibilis partis vinculo & torpedini ſimilis: eſt enim vacatio ſiue quies ſenſuum omnium, qui cum ſentiẽdo fatigẽtur, vt aliquando quieſcant neceſſe eſt. Huic igitur ſimilis eſt ludus, vt intentio animi per requiem relaxetur ludendo ſeu iocando. Ludus enim latè patet, pertinetq; ad omnia, quæ non ſerio fiunt, aut dicuntur. eadem eſt vini largioris potus ratio, qui eſt quaſi requies ſollicitudinum, & ſeueriorum curarum.*

12 Sic ipſa mores qualitate quadam afficiat. *Vt quemadmodum gymnaſtica bonum habitum corporis ingenerat, ſic muſica bonũ habitum animi. Muſicã*

ſicâ enim homines ſic affici ſolent, vt quandoq; irati placentur, triſtes ad lætiam redeant, quandoq; languens animus concitetur, & varijs modis agitetur, pro diuerſitate ſcilicet concentuum, ſiue tonorũ: quæ ratio ad mores, id eſt ad virtutes morales pertinet habitus enim ex actibus generantur.

13 Ad vitam liberalem atq; prudentiam. *Ad vitam beatam & contemplationem. Nam quod Ariſtoteles græcè dicit* διαγωγὴν *hoc interpres modo vitam liberalem, modo vitam beatam conuertit: in hoc enim intellectu vtitur eo vocabulo Ariſtoteles: prudentiam autem hoc in loco impropriè pro intelligentia & contemplatione poſuit, vt ſæpè ſolent auctores vocabula ad res ſimiles transferre. Nam prudentia propriè in rebus agendis verſatur: contemplatio & intelligentia in rebus neceſſarijs, aut certè in conſideratione, quæ ad actiones exteriores non refertur: ſed interdum alterum pro altero ponitur, quoniam vtrunq; eſt rationis actio & conſideratio quædam. Muſica igitur tunc ad vitam beatam & intelligentiam pertinere dicitur, cum intellectus in muſica contemplatione, vt in quodam intelligibili & ſcientia quadam verſatur, ſonorum ſcilicet proportionem, diſcrimina, compoſitionem, & concẽtuum efficientiam in humanis animis contemplando.*

14 Hoc eſt enim tertium memoratorum. *Nam primum fuit, quod ad requiem & delectationem pertinet. Secundum, quod ad mores animi & affectus ſedandos aut concitandos. Tertium, quod ad contemplandum & philoſophandum.*

15 Per alios id faciant. *Per cantores aut tibicines, & alios muſicos artifices, quibus canentibus ipſi delectantur, & muſica fruuntur.*

16 Laconum more *Vt facere ſolent Lacedæmonij.*

17 A poetis memoratur. *Qui vt viri ſapientes, quid quanq; perſonam deceat, maximè conſiderare, & decorum ſeruare ſolent.*

18 Non eſt viri. *Grauis ſcilicet & honorati, ſeu principis qualem poetæ Iouem faciunt inter deos, præterquam ſi temulentus ſit, aut per ludum faciat, non ſerio, vt mercenarij muſici. Vnde nata eſt cantorum paulò ambitioſorum conſuetudo, quam Horatius non iuſtiſſimè fortaſſe vitium vocauit,* vt nunquam inducant animum cantare rogati, *ne turpiter ſcilicet mercenariorum more alienæ voluptati ſeruire videantur: iniuſſi nunquam deſiſtant, cum ſponte ſua ſunt in eam rem, qua ipſi maximè delectantur, ſine nota ſeruilis animi deducti.*

CAPVT V.

1 SED prima quæſtio eſt, num muſica ſit ex diſciplinarum ordine reijcienda, an ſecus: & ex tribus explicatis rebus cuius vim habeat,

ſed etiam ad fortitudinem, cuius cauſa petitur à Lacedamonijs, parum aut nihil iuuat.

6 Non igitur ex prioribus factis. *Ad Lacedamonios hoc quoq; referendum eſt, qui prius idcirco cæteros vincebant, non quòd meliore ratione exercerentur, ſed quia exercitati cum non exercitatis pugnabant: nunc aũt quãuis exercitati ſint, vincuntur tamen interdum, quia res eſt cum perinde exercitatis.*

7 Victu violento. *Victu athletico, quem paulò pòſt ἀναγκοφαγίαν vocat, vt exercitationes neceſſarias, quos hic neceſſarios labores, quibus adoleſcentes exerceri pluſquàm vellent cogebantur: aut labores neceſſarios & neceſſarias exercitationes pro violentis ac modum excedentibus dicit. Nam vt neceſſitas latinè ſic græcè ἀνάγκη vim interdum ſignificat. dicuntur autẽ violenti labores intolerabiles, & qui ſibi fatigatum corpus cogunt ſuccumbere.*

8 Inter Olympionicas. *Inter Athletas, qui Olympico certamine victores fuerunt Adoleſcentia enim nimio labore exercita, & violentis exercitationibus antequã robur & ſtatura perficiatur, fatigata, exhauſtas vires & quaſi effœtum corpus tradit ætati virili.*

9 Sed cum tres annos *Hoc referendum videtur ad opera, quibus pueri ſunt per pædotribicam, de qua paulò antè diximus, inſtituendi.*

10 Certa ciborum neceſſitate. *Lege quadam ciborum. Nam vtroq; modo Quintilianus ἀναγκοφαγίαν interpretari videtur lib. duodecimo. quoniam Athletæ cibis duntaxat validis & ad vires confirmandas & augendas accõmodatis vtebantur, ficis ſcilicet aridis aut carnibus Nam victum Athletarũ in ficis aridis, quib. corpus vireſq; iuuentur, olim conſtitiſſe, ac deinde à Pythagora exercitatore trãſlatum eſſe in carnes Plinius eſt auctor naturalis hiſtoriæ libro trigeſimotertio. A cibis autem leuioribus ſecundiſq; menſis velut lege quadã prohibebãtur. Hoc eſt enim quod Paulus ait in epiſtola quæ eſt ad Corinthios prima:* quicunque agone contẽdit, ab omnib. ſe abſtinet, *ab omnibus ſcilicet leuioribus delicatioribuſq; cibis.*

11 Vt ſomnus & longior cibi potus. *Somnus vt ab ipſo in libro de Somno & vigilia definitur, eſt affectio quædam ſenſibilis partis vinculo & torpedini ſimilis: eſt enim vacatio ſiue quies ſenſuum omnium, qui cum ſentiẽdo fatigẽtur, vt aliquando quieſcant neceſſe eſt. Huic igitur ſimilis eſt ludus, vt intentio animi per requiem relaxetur ludendo ſeu iocando. Ludus enim latè patet, pertinetq; ad omnia, quæ non ſerio fiunt, aut dicuntur. eadem eſt vini largioris potus ratio, qui eſt quaſi requies ſollicitudinum, & ſeueriorum curarum.*

12 Sic ipſa mores qualitate quadam afficiat. *Vt quemadmodum gymnaſtica bonum habitum corporis ingenerat, ſic muſica bonũ habitum animi. Mu-*

ſicâ

ſicâ enim homines ſic affici ſolent, vt quandoq; irati placentur, triſtes ad lætitiam redeant, quandoq; languens animus concitetur, & varijs modis agitetur, pro diuerſitate ſcilicet concentuum, ſiue tonorũ: quæ ratio ad mores, id eſt ad virtutes morales pertinet habitus enim ex actibus generantur.

13 Ad vitam liberalem atq; prudentiam. *Ad vitam beatam & contemplationem. Nam quod Ariſtoteles græcè dicit* διαγωγὴν *hoc interpres modo vitam liberalem, modo vitam beatam conuertit: in hoc enim intellectu vtitur eo vocabulo Ariſtoteles: prudentiam autem hoc in loco impropriè pro intelligentia & contemplatione poſuit, vt ſæpè ſolent auctores vocabula ad res ſimiles transferre. Nam prudentia propriè in rebus agendis verſatur: contemplatio & intelligentia in rebus neceſſarijs, aut certè in conſideratione, quæ ad actiones exteriores non refertur: ſed interdum alterum pro altero ponitur, quoniam vtrunq; eſt rationis actio & conſideratio quædam. Muſica igitur tunc ad vitam beatam & intelligentiam pertinere dicitur, cum intellectus in muſica contemplatione, vt in quodam intelligibili & ſcientia quadam verſatur, ſonorum ſcilicet proportionem, diſcrimina, compoſitionem, & concẽtuum efficientiam in humanis animis contemplando.*

14 Hoc eſt enim tertium memoratorum. *Nam primum fuit, quod ad requiem & delectationem pertinet. Secundum, quod ad mores animi & affectus ſedandos aut concitandos. Tertium, quod ad contemplandum & philoſophandum.*

15 Per alios id faciant. *Per cantores aut tibicines, & alios muſicos artifices, quibus canentibus ipſi delectantur, & muſica fruuntur.*

16 Laconum more *Vt facere ſolent Lacedæmonij.*

17 A poetis memoratur. *Qui vt viri ſapientes, quid quanq; perſonam deceat, maximè conſiderare, & decorum ſeruare ſolent.*

18 Non eſt viri. *Grauis ſcilicet & honorati, ſeu principis qualem poetæ Iouem faciunt inter deos, præterquam ſi temulentus ſit, aut per ludum faciat, non ſerio, vt mercenarij muſici. Vnde nata eſt cantorum paulò ambitioſorum conſuetudo, quam Horatius non iniuſtiſſimè fortaſſe vitium vocauit, vt nunquam inducant animum cantare rogati, ne turpiter ſcilicet mercenariorum more alienæ voluptati ſeruire videantur: iniuſsi nunquam deſiſtant, cum ſponte ſua ſunt in eam rem, qua ipſi maximè delectantur, ſine nota ſeruilis animi deducti.*

CAPVT V.

1 SED prima quæſtio eſt, num muſica ſit ex diſciplinarum or- 2
dine reijcienda, an ſecus: & ex tribus explicatis rebus cuius vim
habeat,

ctoria vtilis eſſe videtur, vt melius de artificum operibus iudicemus. Nec rurſus quemadmodũ paleſtrã, ſic muſica valetudini viribuſq; confert: neutrum enim ex ipſa videmus exiſtere. Reliquum eſt igi-
15. tur vt muſica 15 ad vitam in otio liberaliter degendam diſcendã ſit, quo ipſam videmus à veteribus referri. Quam enim vitam liberorum hominum eſſe putant, huic muſicam attribuunt. Itaque Homerus in carminibus ait,

Quàm iuuat ad lautam cœnam accerſire Thaliam?

Et ſic quoſdam alios præfatus, inquit,

Cantoremq́; vocant, modulis qui mulceat omnes.

Et alio in loco Vlyſſes eam vitam optimam eſſe confirmat, cum homines, inquit, lætitia perfuſi ſunt.

Perq́; domum cantu fruitur conuiua recumbens.

Eſſe igitur diſciplinam quandam, qua non vt vtili aut neceſſaria, ſed quaſi liberali & honeſta filij ſint inſtituendi, perſpicuum eſt. Ceterum vna ſit, an plures, & hæ quę ſint, & quomodo docendæ, poſtea differemus. Nunc id tantum profecimus, quod noſtram ſententiam quodam veterum teſtimonio ex traditis diſciplinis confirmauimus; hoc enim muſica declarat. Nec dubitari poteſt, quin ex neceſſarijs aliqua doceri pueros conueniat, vt literis erudiri, non ſolum propter commoditatem, ſed etiam quia fieri poteſt, vt ex his ad alias diſciplinas procedatur. Eademq́ue ratione inſtituendi ſunt
16. arte pingendi, non quo minus in rebus priuatis emendis errent, 16 nec ſupellectilis aut veſtis emptione & venditione fallantur, ſed potius quoniam ex hac exiſtit corporum pulchritudinem contemplandi ratio. Commoditatibus autem vbique duci, nec magnum decet, nec ingenuum animum: ſed cum moribus, an ratione ſermoneque inſtitui pueri, & corpore prius an mente exerceri debeant,
17. in promptu ſit intelligere. Ex his palã fit oportere pueros 17 gymnaſticæ & pædotribicæ tradi, quarum altera corporis habitus, altera verò opera qualitate quadam afficiuntur.

Scholia in Caput. III.

1 SED quatuor ferè ſunt, quibus inſtituere pueros conſueuerunt. *Quatuor facultates ſunt, quibus parentes filios ſuos inſtituendos curare ſolẽt, litera, paleſtra, muſica, & ars pictoria, propter quaſdã ſcilicet vtilitates. Nã*

litera

litera ad multa negotia ſunt vtiles. Pictoria facit ne fallamur in tabulis pictis. Palæſtra ſiue gymnaſtica, quoniam ad res bellicas prodeſt. De muſica dubitari poteſt. Nam licet quidam ea vtantur oblectationis gratia, veteres tamen partem quandam rectæ educationis eam eſſe ſtatuerunt, ad otium ſcilicet rectè fruendum. Nam otium finis eſſe optimæ vitæ ſtatuendum eſt, non tamen otium quod in luſionibus conſumitur, ſed quod in optimarum rerum contemplatione ponitur. Nam ludus non finis eſſe, ſed laboribus interponi debet, quaſi medicina ad vires per requiem recipiendas, vt iterum labor ſuſcipiatur. Itaq; ludus tanquam res neceſſaria negotijs obeundis eſt adhibendus: muſica verò tanquam honeſta, & ad otium fruendum in vita liberali accommodata. Eodemq; modo facultas pictoria non vtilitatis gratia diſcenda eſt, ne in emptionibus fallamur, ſed quia præbet corporis pulchritudinem, dijudicandi & contemplandi facultatem.

2 Literæ & palæſtra *Literæ ſunt legendi & ſcribendi facultas. Palæſtra alio nomine, vtroq; græcè gymnaſtica vocatur, ſed palæſtra, Latinis eſt magis vſitatum vocabulum, quo ſignificantur omnes ferè corporis artificioſæ exercitationes.*

3 Tanquam vtiles ad vitam. *Itaq; finem harum vtilitatem quandam faciunt, de qua infrà memorabitur.*

4 Quaſi ad fortitudinem *Ad munera militaria.*

5 Cum tamen initio. *Veteres qui muſicæ fuerunt auctores, ad rectam & honeſtam educationem muſicam pertinere ſtatuerunt, ipſamq; in numero liberalium ſcientiarum poſuerunt.*

6 Hoc eſt enim cunctorum principium. *Otium cunctis ponitur tanquam principium deliberationis in vita inſtituenda, quia cũcta ad otium referuntur tanquam ad finem. Itaq; principium hoc in loco vocat finem, quoniam eadem res & finis dicitur & principium. Nam quod eſt primum in deliberatione & conſideratione, id vltimum eſt in effectione, Ethicorum iij. & finis in actionibus principium eſt, vt ſuppoſitiones in mathematicis, ſeptimo Ethicorum.*

7 Tunc enim ludus neceſſario finis eſſet. *Si ludiorum otium eſſet felicitas, finis optimæ vitæ poſitus eſſet in ludo: quod fieri non poteſt. Nec enim ad ludum & iocum nati ſumus, vt inquit Cicero, ſed ad ſeueritatem potius, & quædam ſtudia grauiora atq; maiora.*

8 Cum labore & contentione. *Contentio animi contraria eſt remiſſioni & relaxationi.*

9 Occaſionem vſus obſeruantibus. *Debet enim tempus obſeruari ad ludum & iocum, cum ſcilicet requies ad vires corporis aut animi labore de-*

fatigati recipiendas eſt neceſſaria.

10 Quoniam hic animi motus. *Motus qui fit in ludo, eſt animi relaxatio, & idem propter voluptatem eſt requies.*

11 In hoc enim ipſo *Otium latè patet, completiturq́; voluptatem & vitam beatam, quod negotio abeſt. Nam qui negotiatur, is alicuius rei quam non habet gratia negotiatur, felicitatis ſcilicet cauſa, tanquam eam nondum ſit aſſecutus.*

12 Sed ſibi quiſque, ſuoq; habitui. *Vitioſus proat ipſi & vitioſis habitibus quos animo induerit conuenit: ſic voluptatem comitem beatæ vitæ ſtatuit, turpem ſcilicet & vitioſam: vir probus honeſtam, & quæ ex rebus honeſtiſsimis capitur.*

13 Literæ vtiles ſunt ad rationem quæſtuariam. *Nam ſine literis non poteſt confici accepti & expenſi libellus, qui vtilis eſt mercatoribus, & patribus familias.*

14 Ad doctrinam. *Vt procedatur ad artes, & ſcientias liberales. Sunt etiam vtiles literæ ad ciuiles actiones, quæ multifariam ſcripturis indigent & monumentis.*

15 Ad vitam liberaliter degendam. *Vitam liberalem vocat, quæ ſibi vacat, nec eſt in rebus neceſſarijs aut vtilibus parandis occupata.*

16 Nec in ſupellectilis aut veſtis. *Supellectilis nomine vaſa omnia eſcaria & potoria, menſæ, lecti, & candelabra, & cætera id genus continentur: quæ ſi ſculpta ſint, quaſi picta poſſunt pictoris iudicio diſcerni. Veſtis autem vocabulo tapetes etiam & aulæa veniunt, & ſtragula omnis generis, quæ omnia græcè τῶν σκευῶν nomine intelliguntur.*

17 Gymnaſticæ & pædotribicæ tradi. *Gymnaſtica eſt, quæ alio nomine vocatur palæſtra, facultas exercendi corpus ad vires corporis valetudinemqué confirmandam, & bonam habitudinem ingenerandam. Pædotribica verò pertinet etiam ad corporis exercitationem, non tamen virium habitusq́; et valetudinis gratia, vt gymnaſtica ſed operum, id eſt vt pueri diſcant iaculari, gladio punctim cæſimq; ferire, equos flectere, & cætera corporis liberalia militariaq́; munera obire. Altera igitur, id eſt, palæſtra, corporis habitus afficitur qualitate quadam, quia robuſtus fit, & rectè valet. Altera id eſt pædotribica, operæ militaria aſſiciuntur bonitate, id eſt rectè obeuntur.*

CAPVT IIII.

1\. 1 NVNC igitur ciuitates quæ curam in pueros maximè conferre
2\. videntur, aliæ athletarum habitum ingenerant, quæ res ſpeciem
defor-

deformat,& obeſt corporum incremento. Lacones autem licet hoc errore non labantur, tamen laboribus feros & immanes reddunt, tanquam hoc ſit ad fortitudinem accommodatum. Sed vt ſæpè diximus, nec ad vnam virtutem, nec ad hanc maximè eſt ea cura referenda: & ſi ad hanc referri debet, tamen qua id ratione fiat, Lacones non compererunt. Non enim neque in cæteris animantibus, neque
in gentibus fortitudinem 3 comitem feritatis eſſe notamus, ſed mi- 3.
tiores & leonis ſimiles mores aſſectari. Sunt autem multæ nationes ad cædes & humanarum carnium epulas procliues, vt ex ijs qui
Pontum accolunt, Achæi & Eniochi. Et 4 ex mediterraneis gen- 4.
tes aliæ quædam his ſimiles, aliæ etiam immaniores, quæ cum latrocinijs deditæ ſint, à fortitudine tamen abhorrent. Præterea Lacones ipſos ſcimus, dum aſſiduè laboribus exercentur, alijs præſtitiſſe. Nunc autem & ludis gymnicis, & bellicis certaminibus eſſe cæteris inferiores. Non enim idcircò præſtabant, quòd pueros ad eum modum exercerent, ſed eo tantum, quòd aduerſus non exercitatos exercebant. Ad honeſtatem igitur primæ partes deferri debent, non ad feritatem. Non enim lupus, nec alia vlla fe-
ra, ſed vir probus aptus eſt honeſto periculo ſubeundo. 5 Cæte- 5.
rum qui pueris ad hæc nimiam licentiam præbent, nec eos rerum neceſſariarum diſciplina imbuendos curant, hi pueros reuera ſordidos efficiunt ad vnum tantum opus vtiles ciuili rationi reddentes,
idque, vt ratio docet, peius alijs. 6 Non igitur ex prioribus factis iu- 6.
dicium, ſed ex præſentibus eſt faciendum. Nunc enim concertatores habent & æmulos diſciplinæ, eiſdem antè carebant. Gymnaſtica igitur vtendum eſſe, & quomodo, non eſt controuerſia: debent enim ad pubertatem vſque leuioribus exercitationibus tra-
di, 7 victu violento, & laboribus neceſſarijs remotis, ne ſint auge- 7.
ſcentibus impedimento. Quas res hoc malum parere poſſe non
paruo argumento eſt, quòd 8 inter Olympionicas duos treſúe 8.
ad ſummum reperias, qui viri & ijdem adoleſcentes fuerint victoria potiti, propterea quòd iuniores dum ſe neceſſarijs ex-
ercitationibus dedunt, vires exhauriunt. 9 Sed cum tres annos à 9.
pubertate diſciplinis alijs tribuerint, tunc conuenit laboribus &
10 certa ciborum neceſſitate proximam ætatem exercere. Nam 10.
ſimul mentem & corpus laboribus fatigare non conuenit: quoniam hi labores contrariarum rerum efficientes ſunt. Labor enim corporis, menti eſt impedimento, mentis autem, corpori. De muſi-

ca & ſi quædam ſuprà diſſeruimus, non tamen erit alienum vlterius eadem repetentes procedere, vt quæſtioni quæ de ipſa poſſet induci, occaſionem præbeamus. Nec enim facilè eſt muſica quam vim habeat, nec cuius gratia ſit capeſſenda conſtituere, num ludi, &
11. quietis alternæ, 11 vt ſomnus & largior vini potus. Hæc enim per ſe non rebus honeſtis, ſed iucundis annumerantur, ſimulque ſollicitudinem, vt Euripides ait, excutiunt. Itaque muſica in hunc ordinem redigitur: & his vtuntur eodem modo vino, ebrietate & muſica: ſaltationem quoque his rebus annumerant. Ad ludum igitur & requiem muſica referri debeat quæritur, an magis putanda ſit nonnihil ad virtutem pertinere, vt quemad-
12. modum gymnaſtica corpus, 12 ſic ipſa mores qualitate quadam afficere valeat, rectè lætandi facultate per conſuetudinem inducta, an
13, 14. aliquid 13 ad vitam liberalem atq; prudentiam conferat. 14 hoc enim tertium memoratorum ponendum eſt. Palam eſt igitur pueros non eſſe ludi cauſa inſtituendos: nec enim diſcere ludus eſt, cum non ſine moleſtia erudiantur. Sed neq; vitam liberalem pueris decet ac talib ætatibus tribuere, cum finis imperfecto non conueniat, ſed forſitan ſtudium puerorum ludi cauſa, quo in virili & perfecta ætate fruantur, inductum eſſe videatur. Quod ſi ita eſt, quid tandem habent cauſæ cur ipſi doceātur, & non potius Perſarum, Medorum-
15. que regū more 15 per alios id faciant, & voluptate atq; diſciplina fruantur, cum ſit neceſſe melius id fieri ab illis qui hoc ipſum opus & artem profitentur, quàm ab his qui tātum temporis & operæ in eo, quantum modo in diſcendo poſuerunt? Quod ſi ipſos in talib reb. elaborare oportet, debent ijdem ipſi etiam condiēdorum obſoniorum artem, negotiumq; ſuſcipere: quod multum habet abſurditatis. Eadem manet difficultas, ſi ea vis muſicæ eſt, vt mores meliores efficiat. Nam quid attinet ipſos diſcere, & non potius audire alios,
16. vt rectè & oblectentur, & iudicare valeant 16 Laconum more, qui quamuis nō didicerint, tamē, vt ferunt, rectè poſſunt qui ſint optimi, & qui non optimi cantus iudicare. Eadem eſt ratio, ſi ad iucundam liberalemq; vitam adhiberi debet. Quid enim attinet ipſos diſcere, & non alijs vtentibus frui? Licet autem opinionem quàm de dijs habemus conſiderare: neq; enim Iupiter ipſe cantare, aut fidib.
17. canere 17 à poetis memoratur: quin ſordidos tales homines appella
18. mus: atq; eo munere præterquam ludentem 18 non eſt viri non temulenti fungi. Sed de his rebus, poſtea fortaſſis locus erit diſſerendi.

Scholia

Scholia in Caput IIII.

1 Nunc igitur ciuitates quæ curam in pueros maxime conſerre videntur. *Dupliciter erratur in puerorum educatione. Nam quædam ciuitates dum robuſtiſſimos facere conantur, ſpeciem deturpant, corpora detorquentes, & per nimios labores obſunt, quo minus corpora in proceritatẽ augeſcant. Alij vt Lacedæmonij feros & immanes reddunt, cuncta ad vnam virtutem bellicam referentes, cum tamen educatio non ſit ad hanc maximè dirigẽda: nec ſi ſit, feritas faciat ad fortitudinem, vt exemplu declaratur. Itaque ad honeſtatem, non ad feritatem exercitationes ſunt referendæ Gymnaſtica igitur vtẽdum eſt vſq; ad annum quartumdecimum, ſed ita vt pueri lenioribus laboribus exerceantur: nec eis cibus concoctu difficilis tribuatur, ne augeſcentibus obſit. Sed cum tres à pubertate annos ſtudijs alijs tribuerint, hoc eſt ab anno decimooctauo maioribus laboribus eos exercere conuenit, & cibis valentibus ali ad opera neceſſaria accommodatis De muſica inquæſtionẽ venire poteſt, requietis voluptatiſq; cauſa ſit capeſſenda, an cõferat ad vitam beatam: ſunt enim in vtrauq; partem rationes.*

2 Athletarum habitum. *Roboris ſcilicet corporis & viribus maximè ſtudẽtes. quæ res homines per labores deformat de quo Quintilianus ait,* Sicut athletarum corpora etiam ſi validiora fiant exercitatione, & lege quadam ciborum, non tamẽ eſſe naturalia, atq; ab illa ſpecie quæ ſit conceſſa hominibus abhorrere videntur.

3 Comitem eſſe feritatis. *Fortitudo non ſequitur feritatem, nec eſſe ferum hominem & immanem ſiue crudelem, argumentum eſt fortitudinis.*

4 Ex mediterraneis *Ex gentibus Põticis, quæ non tenẽt loca maritima, vt Achæi & Eniochi, ſed longius ab ipſo Ponto Euxino habitant.*

5 Cæterùm qui pueris ad hæc nimiam licentiam præbent, nec eos rerum neceſſariarum diſciplina imbuendos curant *Qui pueris feritati & crudelitati ſtudentib. indulgent, vel eos ad immanitatẽ inſtitutis ac moribus inducunt, nec temperantia & iuſtitia cæteriſq; virtutibus ad rectè tum in bello & negotijs, tum in pace & otio viuendum neceſſarijs imbuendos curant, hi puerorum animos deprauant, & parum accommodatos reddunt ciuili rationi, quæ ſunt per leges & mores à legumlatore inſtituendi, vt probi viri ciueſq; fiant, præterquam ad fortitudinem, bellumq; gerendum, ad quod etiam ipſum deterius alijs accommodantur. Immanitas enim ac feritas non ſolùm iuſtitiæ ac temperantiæ, cæteriſq; humanioribus virtutibus eſt inimica,*

ſed etiam ad fortitudinem, cuius cauſa petitur à Lacedæmonijs, parum aut nihil iuuat.

6 Non igitur ex prioribus factis. *Ad Lacedæmonios hoc quoq; referendum eſt, qui prius idcirco cæteros vincebant, non quòd meliore ratione exercerentur, ſed quia exercitati cum non exercitatis pugnabant: nunc aũt quãuis exercitati ſint, vincuntur tamen interdum, quia res eſt cum perinde exercitatis.*

7 Victu violento. *Victu athletico, quem paulò pòſt* ἀναγκοφαγίαν *vocat, vt exercitationes neceſſarias, quos hic neceſſarios labores, quibus adoleſcentes exerceri pluſquàm vellent cogebantur: aut labores neceſſarios & neceſſarias exercitationes pro violentis ac modum excedentibus dicit. Nam vt neceſſitas latinè ſic græcè* ἀνάγκη *vim interdum ſignificat. dicuntur autẽ violenti labores intolerabiles, & qui ſibi fatigatum corpus cogunt ſuccumbere.*

8 Inter Olympionicas. *Inter Athletas, qui Olympico certamine victores fuerunt Adoleſcentia enim nimio labore exercita, & violentis exercitationibus antequã robur & ſtatura perficiatur, fatigata, exhauſtas vires & quaſi effœtum corpus tradit ætati virili.*

9 Sed cum tres annos *Hoc referendum videtur ad opera, quibus pueri ſunt per pædotribicam, de qua paulò antè diximus, inſtituendi.*

10 Certa ciborum neceſſitate. *Lege quadam ciborum. Nam vtroq; modo Quintilianus* ἀναγκοφαγίαν *interpretari videtur lib. duodecimo. quoniam Athletæ cibis duntaxat validis & ad vires confirmandas & augendas accõmodatis vtebantur, ficis ſcilicet aridis aut carnibus Nam victum Athletarũ in ficis aridis, quib. corpus vireſq; iuuentur, olim conſtitiſſe, ac deinde à Pythagora exercitatore trãſlatum eſſe in carnes Plinius eſt auctor naturalis hiſtoriæ libro trigeſimotertio. A cibis autem leuioribus ſecundũq; menſis velut lege quadã prohibebãtur. Hoc eſt enim quod Paulus ait in epiſtola quæ eſt ad Corinthios prima:* quicunque agone contẽdit, ab omnib. ſe abſtinet, *ab omnibus ſcilicet leuioribus delicatioribuſq; cibis.*

11 Vt ſomnus & longior cibi potus. *Somnus vt ab ipſo in libro de Somno & vigilia definitur, eſt affectio quædam ſenſibilis partis vinculo & torpedini ſimilis: eſt enim vacatio ſiue quies ſenſuum omnium, qui cum ſentiẽdo fatigẽtur, vt aliquando quieſcant neceſſe eſt. Huic igitur ſimilis eſt ludus, vt intentio animi per requiem relaxetur ludendo ſeu iocando. Ludus enim latè patet, pertinetq; ad omnia, quæ non ſerio fiunt, aut dicuntur. eadem eſt vini largioris potus ratio, qui eſt quaſi requies ſollicitudinum, & ſeueriorum curarum.*

12 Sic ipſa mores qualitate quadam afficiat. *Vt quemadmodum gymnaſtica bonum habitum corporis ingenerat, ſic muſica bonũ habitum animi. Mu-*

ſicà

ficâ enim homines ſic affici ſolent, vt quandoq; irati placentur, triſtes ad lætiam redeant, quandoq; languens animus concitetur, & varijs modis agitetur, pro diuerſitate ſcilicet concentuum, ſiue tonorũ: quæ ratio ad mores, id eſt ad virtutes morales pertinet habitus enim ex actibus generantur.

13 Ad vitam liberalem atq; prudentiam. *Ad vitam beatam & contemplationem. Nam quod Ariſtoteles græcè dicit* διαγωγὴν *hoc interpres modo vitam liberalem, modo vitam beatam conuertit: in hoc enim intellectu vtitur eo vocabulo Ariſtoteles: prudentiam autem hoc in loco impropriè pro intelligentia & contemplatione poſuit, vt ſæpè ſolent auctores vocabula ad res ſimiles transferre. Nam prudentia propriè in rebus agendis verſatur: contemplatio & intelligentia in rebus neceſſarijs, aut certè in conſideratione, quæ ad actiones exteriores non refertur: ſed interdum alterum pro altero ponitur, quoniam vtrunq; eſt rationis actio & conſideratio quædam. Muſica igitur tunc ad vitam beatam & intelligentiam pertinere dicitur, cum intellectus in muſica contemplatione, vt in quodam intelligibili & ſcientia quadam verſatur, ſonorum ſcilicet proportionem, diſcrimina, compoſitionem, & concentuum efficientiam in humanis animis contemplando.*

14 Hoc eſt enim tertium memoratorum. *Nam primum fuit, quod ad requiem & delectationem pertinet. Secundum, quod ad mores animi & affectus ſedandos aut concitandos. Tertium, quod ad contemplandum & philoſophandum.*

15 Per alios id faciant. *Per cantores aut tibicines, & alios muſicos artifices, quibus canentibus ipſi delectantur, & muſica fruuntur.*

16 Laconum more *Vt facere ſolent Lacedæmonij.*

17 A poetis memoratur. *Qui vt viri ſapientes, quid quamq; perſonam deceat, maximè conſiderare, & decorum ſeruare ſolent.*

18 Non eſt viri. *Grauis ſcilicet & honorati, ſeu principis, qualem poetæ Iouem faciunt inter deos, præterquam ſi temulentus ſit, aut per ludum faciat, non ſerio, vt mercenarij muſici. Vnde nata eſt cantorum paulò ambitioſorum conſuetudo, quam Horatius iniuſtiſſimè fortaſſe vitium vocauit*, vt nunquam inducant animum cantare rogati, *ne turpiter ſcilicet mercenariorum more alienæ voluptati ſeruire videantur: iniuſſi nunquam deſiſtant, cum ſponte ſua ſunt in eam rem, qua ipſi maximè delectantur, ſine nota ſeruilis animi deducti.*

CAPVT V.

1 SED prima quæſtio eſt, num muſica ſit ex diſciplinarum ordine reijcienda, an ſecus: & ex tribus explicatis rebus cuius vim habeat,

2. habeat,2 diſciplinæ,ludi,an vitæ liberalis atque beatæ:ſed tamen rectè omnibus annumeratur,& omnium particeps videtur. Nam ludus requietis eſt cauſa,requies autem neceſſario iucunda,cũ ſit moleſtiæ quam labores inferunt,medicina.Et vitæ beatæ nõ ſolùm honeſtatem,ſed voluptatem etiam ineſſe oportere conſtat, quoniam
3 3 eſſe felicem ex vtraq; conſiſtit. Muſicam verò de numero eſſe iu-
4. cundiſſimarum rerum omnes cõſentimus,tum 4 ſimplicem & nudam,tũ in concentu. Quare Muſæus cantũ mortalibus iucũdiſſimũ eſſe tradit.Itaq; non temerè muſica in hominũ cœtus & vitas corporales adhiberi ſolet,quaſi vim habeat oblectandi quo intelligitur o-
5. portere,vt muſica adoleſcentiores inſtituantur. Nã 5 quæ ſunt abſque nocumento iucunda,hæc omnia non ſolùm fini, ſed etiam al-
6. ternę quieti conueniunt Veruntamen 6 cũ raro ad finem homines perueniant,ſæpè autem requieſcant,& ludis vtantur,efficitur vt nõ ſolum ob alia,ſed etiam propter voluptatem commodum ſit in iucunditatibus,quas muſica præbet,requieſcere. Accidit tamen hominibus vt ludos finem faciant,idcirco fortaſſis, quòd fini voluptas
7. quædam ineſt,& ſi non quæuis:7 hanc autem inquirentes, pro hac
8. illam accipiunt,propterea quòd quædam habet 8 actionum fini ſimilia.Nam vt finis nullius futuræ rei gratia expetendus eſt, ſic huiuſmodi voluptates nullius rei futuræ gratia petuntur, ſed propter antecedẽtes,hoc eſt ob labores & moleſtiam. Cur igitur felicitatem per has voluptates quærunt, hanc merito cauſam eſſe dixeris. Sed
9. qui muſicæ 9 non ob hanc ſolum,ſed etiam quòd ad requieſcẽdum vtilis eſſe videtur operam impendunt: quærendum eſt vtrum hoc ex accidente fiat.Ipſius autem natura altiorem dignitatis gradum
10. teneat,quàm 10 pro eius vſus de quo memorauimus ratione, oporteatq; non ſolum voluptate quæ capitur ex ipſa frui, cuius omnes habent ſenſum,nam muſicæ voluptas quædam naturalis ineſt, vnde cunctis & ætatib. & moribus vſus eius eſt iucundus,ſed etiã vide-
11. re,nunquid 11 ad mores quoq; animamq; pertineat,quod facilè intelligetur,ſi per muſicam qualitate quadam quæ ad mores pertineat afficimur Affici autem cum alia,tum concentus Olympici de-
12. clarant,quibus animos conſtat in furorem rapi 12. Furor autẽ affe-
13. ctio eſt morum qui animam attingunt.Præterea 13 qui audiũt imitationes conuenienter eis afficiuntur,etiam ſine rythmis & cantibus ipſis.Sed quoniam accidit vt muſica ex numero ſit rerum iucũ-
14. darum,14 & virtus vt rectè oblectemur,amemuſq; & odio habeamus

mus efficiat, oportet haud dubiè hoc diſcere, nec vlli rei æquè aſſueſcere, ac 15 vt rectè iudicemus, & probis moribus honeſtiſq; actionibus oblectemur. In rythmis autem & cantibus proximè ad veras naturas accedunt iræ, lenitatis, præterea fortitudinis & temperantiæ imitationes, & omnium quæ his rebus contraria ſunt, ac cæterorum quæ mores attingunt, quod rebus etiam ipſis declaratur. Talibus enim audiendis animo mutamur. Cui autem res ſimiles moleſtæ ſolent eſſe, ac viciſſim iucundæ, hic prope eſt, vt eodem modo ſit ad res ipſas veras affectus. Si quis enim inſpicienda cuiuſpiam imagine, non ob aliam cauſam quàm propter formam ipſam delectatur, huic neceſſe eſt iucunda ſit ipſius, cuius imaginem intuetur, contemplatio. 16 Accidit autem vt in alijs ſenſibus nulla ſit 15.
16.
morum imitatio, id eſt in ijs quæ in tactum guſtatumq; cadunt. Nã quæ in aſpectum, in his exigua quædam eſt imitatio, tales enim sũt figuræ, ſed parum, 17 & omnibus eſt huiuſmodi ſenſus communis. 17.
Præterea hæc non morum imitationes ſunt, ſed potius ſigna, figuras dico & colores quibus mores referuntur, & hæc inter corporis affectus numerantur. Cæterum ſi quid in harum rerum contemplatione intereſt, adoleſcentes 18 non Paſonis opera, ſed Polygno 18.
ti, & ſi quis alius pictor, ſtatuariuſué morum rationem habet, intueri debent. At cantibus ipſis, morum imitationes inſunt, de quo nõ poteſt dubitari, cum ipſa ſtatim concentuum natura diſcrimen exiſtat, vt audientes diuerſis modis afficiantur: nec ſimiliter ad eorum quenque ſeſe habeant, ſed quibuſdam ad fletum magis & mœrorẽ moueantur, 19 vt eo qui dicitur mixolydius: alijs mente fiant mol- 19.
liores, vt remiſſioribus cantibus: alio concentu media & conſtantiſſima ratione afficiantur, quod ex concentibus ſolus Doricus efficere videtur. Phrygius furorem infert. Hæc enim rectè traduntur ab ijs qui ſunt in hac diſciplina philoſophati: quippe ipſarum rerum teſtimonijs rationes confirmant. Nam in rythmis eodem modo ſeſe res habet. Quidam enim mores magis conſtantes, alij mobiliores habent: & ex his quidam importunos motus concitãt, alij magis liberales. quo planè intelligitur, vim muſicæ ineſſe mores animi qualitate quadam afficiendi: quæ ſi hanc vim habet, dubium eſſe non debet, quin hac adoleſcentes inſtitui ac erudiri deceat. cuius muſicę doctrina cum huius naturę temeritate cógruit. Adoleſcentes enim nihil iniucundũ nõ inuiti ferũt. Muſica verò ſuapte natura ſuauis eſt, & 20 concentus atque rythmi quandam inter ſe 20.

21\. cognationē habere vidētur. 22 Quocirca multi ſapientes in hāc opinionē venerūt, vt animā alij cōcentū eſſe, alij cōcentum habere proderent.

Scholia in Caput V.

1 SED prima quæſtio eſt, nū muſica ſit ex diſciplinarū ordine reijciēda. *Cū ex trib. rebus memoratis, diſciplina, ludo, & vita beata, ad quā muſica referri debeat quæratur, ad oēs tamē referri poteſt. Eſt enim ludo ſimilis, quia muſica propter eius iucunditatē animū quaſi ludo relaxare licet, vt vegetior ad officia, & ſeueriores curas redeat: poteſt etiā facere ad virtutes morales ingenerādas, quod eſt diſciplinæ. Itē poteſt ad vitam beatā ob eandē iucunditatē pertinere. Nā vita beata vt ſine honeſtate, ita ſine iucūditate nō conſiſtit. Nec enim dubiū eſt quin muſica ſit ſua natura iucūda: ſed cū pauci ad vitā beatā perueniāt, multi tamē voluptate fruūtur, nō vt requie, ſed vt fine, propter ſimilitudinē quā habet voluptuoſa vita cū vita beata, quoniā vtraq; iucunda eſt. Sed & illud quærēdū eſt, nū muſica præter voluptatē quam omnib. ſuapte natura præbet, aliquē propriū effectū honoratiorē habeat, & ad virtutē pertinentē. quē muſicæ ineſſe facilè intelligetur, cantus Olympicos cōſiderantib. qui furorē quendā incutere notātur. Itaq; multis ex cauſis muſicæ pueros aſſueſcere oportet, tū ludi, tū virtutis ingenerādæ gratia, atq; itē iucūditatis ad vitā liberalē pertinentis: maxime tamē morū cauſa, quorū imitationes quædam ſunt in cantib⁹.*

2 Diſciplinæ. *Num ad educationem & virtutes morales ingenerandas pertineat.*

3 Eſſe felicē ex vtraq; conſiſtit. *Vita beata poſita eſt in vſu virtutis & voluptate, quæ ex ipſo vſu virtutis exiſtit*

4 Simplicem & nudū. *Quæ per vnam duntaxat vocem aut vnum ſonū editur. Nam concentus eſt multarum vocum aut ſonorum per certas proportiones conuenientia.*

5 Quæ ſunt abſque nocumento iucunda. *Voluptates ſine nocumento vel dolore ſunt, vt ipſe Eth. x declarat, quæ auditu, viſu, vel odoratu percipiuntur, aut ex doctrinis. Nam voluptates corporeæ non fiunt ſine antecedente dolore quodam cupiditatis, & interdum pariunt etiam moleſtias & incommoditates.*

6\. Cū raro ad finem homines perueniant. *Ad felicitatem, quæ finis eſt vltimus humanarum actionum.*

7\. Hanc autem inquirentes. *Dum quærunt homines voluptatem beatæ vitæ conuenientem, hæc autem eſt quam præbet vſus ingeneratæ virtutis. pro hac ſumunt ludicram voluptatem propter ſimilitudinem, quam voluptates habent inter ſe.*

8 Actionum fini. *Felicitati.*

9 Non ob hanc ſolum. *Non tantum propter iucunditatem vitæ beatæ conuenientem & ob ipſam voluptatem. ſed etiam propter commoditatem requieſcendi, quæ ad futuros labores confert.*

10\. Pro eius vſus ratione *Vt pertinet ad requiem.*

11 Ad mores pertineat. *Ad moderandos affectus, & ad educationem ſeu diſciplinā*

12 Furor autem *Furorem appellat vehementem quandam concitationem, qua mens ipſa videtur emoueri. qui affectus ad animæ partem inferiorem pertinet, ad quam ſcilicet ira, quæ ſimilis eſt furori.*

13 Qui audiunt imitationes. *Vt ſi quis voce etiam ſine cantu & rythmis irati, exempli gratia, aut miſereſcentem imitentur, audientes ſolent eiſdem affectibus commoueri.*

14 Et virtus efficiat. *Habitus, qui virtus nominatur, facit vt rebus honeſtis oblectemur & odio habeamus contraria. Nam ſignum ingenerati habitus eſt voluptas, quæ ex actionibus ab eo proficiſcentibus percipitur, Ethic. ij.*

15 Vt recte iudicemus. *De concentibus & omni parte muſicæ.* 16 Ac-

16 Accidit autem vt in alijs ſenſibilibus nulla ſit morum imitatio. *Imitari mores, eſt affectus imitari: quod in cæteris ſenſibus non accidit, præterea quæ cadunt in viſum & auditum, ſed omnium maximè accidit iis quæ auditu percipiuntur, qualis eſt muſica & concentus Per vocem enim & concentum ſic potes iram ſiue hominem iratum imitari, vt ipſe iratus eſſe videaris. Quemadmodum igitur homo cuipiam iratus, vel ſe iratum eſſe ſimulans, ſolet ad irã in eundẽ geſtu & verbis alios prouocare, & miſereſcẽs ad miſericordiã, ſic qui per muſicam iratum aut miſereſcentẽ imitatur, is in audientibus eoſdẽ affectus mouet. quæ eadem eſt cæterorũ ratio Efficitur etiam, vt qui cantu delectatur, fortem virum imitante, is habitum inducat ad fortitudinẽ inducentem & fortitudinis actionibus gaudendi, ac in cæteris eodẽ modo. At figuræ & colores imitantur quidem mores ſine affectibus, ſed leuiter atque parũ, vt imago ſimilis iuuenti toruo aſpectu, & inflammata facie: quod per figurã & colorẽ exprimitur. imitatur quidem iram, ſiue iratum hominem, ſed parum, nec videntes ſic concitat ad iram, vel efficit habitu, vt concentus huic affectui accommodatus. Itaque figuræ & colores magis ſignificant affectus, quàm imitantur, vt vocabula res ſignificant, non imitantur: item figura & color corporis affectus imitantur, non animæ, vt concentus.*

17 Et omnibus eſt huiuſmodi ſenſus cõmunis. *Boni & mali & quibuſcunq; moribus præditi ſint, oẽs figuris & colores aſpiciũt ſine vllo affectus diſcrimine, aut quã minimo, quod longè aliter accidit in muſica. nec enim oẽs afficiuntur eodẽ modo, ſed alij magis, alij minus, pro cuiuſq; moribus & natura: oẽs tamẽ auditu plus quã reliquis ſenſibus afficiũtur.*

18 Non Paſonis opera, ſed Polygnoti. *Pictores quidam & ſtatuarij figuram tantum ſeu formam depingunt aut exprimunt, vt ij quibus Paſonem Ariſtoteles annumerat: alij mores etiam exprimunt & ſenſus, quemadmodum factum eſt in Laocoonte & filijs, & comprimente dracone quæ imago marmorea hodieque viſitur Romæ, cum admiratione omnium in hortis pontificijs ad montem Vaticanum, in quibus moribus & affectibus exprimendis præſtitit Polygnotus pictor, de quo Plinius multis in locis memorat, qui pictores & ſtatuarij Ethici à moribus vocabantur. Nam ἦθος græcè non ſolum habitum animi, ſed quoſcunque etiam affectus apud auctores ſignificat.*

19 Vt eo qui dicitur Mixolydius. *Ex diapaſon conſonantiæ ſpeciebus exiſtunt modi ſpectati, quos eoſdẽ tropos vel tonos nominant Sunt autẽ tropi cõſtitutiones in totis vocũ ordinibus, vel grauitate, vel acumine differẽtes. Cõſtitutio verò eſt plenũ veluti modulationis corpus ex conſonantiarũ coniũctione cõſiſtens, quale eſt diapaſõ vel diapẽte. Sũt igitur modi ſiue toni ſeptẽ, Hypodorius, Hypophrygius, Hypolidius, Dorius, Phrygius, Lydius, Mixolydius. his quidã addũt octauũ Hipermixolydiũ, vt tradit Seuerinus Boetius, qui pluribus verbis de his diſſeruit libro quarto de muſica, vnde cætera huc pertinentia petere licebit.*

20 Concentus atq; rythmi cognationẽ quandã habet inter ſe. *Rythmos appellat numeroſa carmina, quæ ſimilia ſunt cõcentib. ſiue harmonijs, ac eodẽ ferè modo legendo, quo concentus cantando, mores & affectus pro ratione & diuerſitate numerorũ imitãtur & mouẽt affectus. Eadem ferè ratio eſt numeroſæ ſaltationis, quæ & ipſa rythmi nomine poteſt intelligi, ſed propriè in melodia intelligitur. Nam melos, vt teſtatur Plato in tertio de Republica, ex tribus conſtat, oratione, harmonia, & rythmo, hoc eſt ex verbis, cantu, & numeris. Itaq; pedes, vt dactylus, ſpondeus, iamb. & trochæus, & reliqui ad rythmum pertinent, vt idem Plato declarat.*

21. Quocirca multi ſapientes. *Quoniam ſemper à corde, in quo ſedes eſt animæ (vt ipſe docet in libro de motu animalium) numeroſus quidam motus qui rythmus dicitur, per venas editur, cuius conſtantiam non niſi vehementis*

affectibus aut morbis perturbari medici obſeruarunt, idcirco multi ſapientes animam harmoniam ſiue concentum quendam eſſe vel habere putarunt,propter hunc ab ipſa manantem rythmum,cum rythmus ſit harmoniæ cognatus, eiuſdemq́; naturæ.

CAPVT VI.

1\. 1 SED vtrum ſic diſcere oporteat, vt ipſi canant, & manus ad-
hibeant,an ſecus:quam quæſtionem ſuprà propoſuimus,hic eſt lo-
cus diſſerendi.Neq; verò dubium eſt,quin magni interſit, vt quiſ-
que talis fiat,ipſum operibus fungi. Nequaquam enim aut vix fieri
poteſt,vt probi iudices fiant,qui opera ipſi non obierint. huc acci-
dit, quod pueros oportet eſſe in re quapiam occupatos. Nec ſine
2\. cauſa inuentum eſſe putare conuenit 2 Architæ, quod præbetur in-
fantibus crepitaculum,vt hoc vtentes nihil ex rebus domeſticis frã
3\. gant. 3 Nihil enim poteſt ætate ineunte quieſcere: hic igitur ludus
infantibus conuenit. Grãdioribus autem pro crepitaculo eſt diſci-
plina.Ex his ergo palam ſit,ſic muſica pueros eſſe inſtituendos, vt
muſicæ operibus fungantur. Quid autem ætates deceat, quid non
deceat conſtituere,& quæ contra dicuntur,ab ijs qui ſordidum hoc
ſtudium eſſe confirmant,refellere non eſt factu difficile. Nam pri-
mum quoniam iudicandi gratia fungi operibus oportet,idcirco dũ
iuniores ſunt,operibus fungi:maiores verò natu operibus quidem
abſtinere debent,poſſe tamen quę ſunt honeſta diſcernere,& rectè
propter diſciplinam qua in pueritia inſtituti fuerunt oblectari.
Quod verò quidam muſicam eo nomine damnant,quòd quaſi opi
fices ac ſordidos efficiat,non eſt eos refellere difficile,ſi ad ciuilem
virtutem inſtituendis quatenus obeunda ſint opera conſiderabi-
mus,& qualibus cantibus,qualibuſque rythmis vtendum:præterea
qualibus inſtrumentis diſcere conueniat. Nam qualib. id fiat,inter-
eſſe probabile eſt. In his enim conſiſtit incuſationis confutatio.
4\. Nam fieri poteſt 4 vt modi quidam muſicæ quod dictum eſt effi-
ciant.Ex quo intelligitur ſic eſſe adoleſcentes muſica erudiendos,
vt id nec futuris actionibus obſit, nec corpus ſordidum & inutile
5\. ad bellicas & ciuiles exercitationes reddat, 5 prius ad vſus, poſtea
verò ad diſciplinas.Quod in doctrina cõtinget, ſi nõ in ijs elabora-
6\. uerint,quæ ad artificioſa certamina pertinent: nec 6 in admirandis
& exquiſitis operibus quæ nunc in certamina, & ex his in diſcipli-

nam proceſſerunt: quin etiam in talibus tandiu elaborandum, do-
nec honeſtis cantibus & rythmis oblectari queant, non ſolum 7 7.
communi muſica(vt quædam cæterorum animalium, itemq́; ſer-
uorum & puerorum turbæ. ex quibus rebus palam fit qualibus in-
ſtrumentis vti oporteat:non enim tibiæ ad diſciplinam ſunt adhibē-
dæ,neque aliud artificioſum inſtrumentum,vt cithara,& ſi quod a-
liud eſt tale.)ſed quæ probos auditores muſicæ,vel alterius diſcipli-
næ faciant.Præterea tibia non ad mores inducendos, ſed potius ad
furorem incutiendum facit.Itaque ijs temporibus vtendum eſt ti-
bia,inquib. † ſpectaculum ad purgationē magis quàm ad diſciplinā †.
valet.Adde quod tibiæ,id quod diſciplinæ contrarium eſt,accidit:
quòd eius cantus vti ratione prohibet, vt merito fuerit 8 à priori 8.
bus vſus eius in adoleſcentibus & ingenuis hominibus improbatus,
quanuis initio ipſi tibiarum cantu vſi fuiſſent: quippe plus otij co-
pia rerum ſuppeditante,& maiorem animum ad virtutem nacti, &
ante bellum,quod cum Medis fuit,& poſt, cum ex rebus geſtis ma-
iores ſpiritus ſumpſiſſent, omne diſciplinarum genus attigerunt,
cuncta ſine delectu conquirentes. Itaque tibiarum quoque can-
tus in diſciplinas induxerunt.Nam Lacedæmone quidam qui ſum-
ptus ad ludos ſuggerebat, ipſe tibia choro canebat: & Athenis vſ-
que adeo venit in conſuetudinem, vt magna ferè pars ingenuo-
rum muſicam tractaret. Declarant hoc tabulæ à Thraſippo, qui
Ecphantidæ impenſam ſuggeſſerat dicatæ.Poſtea tamen ab exper-
tis improbata eſt,cum melius poſſent quæ ad virtutem facerent, &
contraria,iudicare. Eodem modo multa ex veteribus inſtrumen-
tis reiecta ſunt,vt pictides,barbiti,& quæ pertinent ad voluptatem
audientium eos qui inſtrumentis vtuntur, ſeptangula, triangula,
ſambucæ, & quæcunque manus pulſationem ſcienter adhibitam
deſiderant. Neque verò ſine cauſa veteres fabulam de tibijs com-
menti ſunt. Has enim ferunt Mineruæ inuentum eſſe, ab eademq́;
reiectas:quod factum ab ipſa non temerè traditur, oris deformita-
tem indignante: tamen probabilius eſt, id cauſæ ſecutam fuiſſe,
quòd tibiæ cantus nihil facit ad mentem & intelligentiam, cum ſci-
entiam & artem Mineruæ tribuamus.Sed quoniam inſtrumentorū
& 9 vſus diſciplinam artificioſam improbamus: artificioſam autē 9.
eſſe conſtituimus, quæ ad certamina pertinent,in qua qui agit, 10 10.
non ſuę virtuti,ſed audientium voluptati ſeruit,& huic importunę
atque moleſtæ,idcirco operis functionem non ingenuis hominib.

dignam, ſed mercenariam potius eſſe iudicamus. Nam finis quem
14 extremum petũt, turpis eſt.[8] Spectator enim qui eſt importunus, muſicam mutare ſolet. Itaque artifices qui ad ipſum meditationes accommodant, tum ipſos, tum ipſorum corpora propter motus afficit qualitate quadam.

Scholia in Caput VI.

1 SED vtrum ſic diſcere oporteat, vt ipſi canant, & manus adhibeant. *Muſicã pueri ſic diſcere debent, non vt audiant tantum, ſed vt ipſi canant voce, & inſtrumẽta pulſent, tũ quia nõ aliter poterunt rectè de cantib iudicare, tũ vt hoc honeſto negotio ineũte ætate, qua quieſcere nõ poſſunt, ſint occupati, nõ tamen omni generi muſica, nec omnib. inſtrumentis aſſueſcere debent, ſed honeſtis cantibus & rythmis, nec admodum artificioſis, niſi quatenus ad rectè & iudicandum & oblectandum faciunt. Itaque tibia non eſt pueris vtendum, quæ iure à veteribus reiecta eſt, vt alia quædam inſtrumenta.*

2 Architæ crepitaculum. *Inſtrumentum cauum, quod vulgo ex arundine fit, vt colus breui manubrio continens lapillos, quo agitando & lapillos concutiẽdo infantes oblectãtur. cognominatur aũt Architæ, ab inuẽtore Archita.*

3 Nihil enim poteſt. *Nullum animal: nam agni quoque & catuli cuiuſq; generis, & pulli quieſcere neſciunt.*

4 Vt modi quidam. *Toni quidam. Quid autem ſit modus ſiue tonus in muſica, capite ſuperiore declarauimus.*

5 Prius ad vſus, poſtea verò ad diſciplinas. *Sic pueri muſica inſtituendi ſunt, & talibus cantibus ac inſtrumentis exercendi, vt eis nec corpus remolleſcat, & ad bellicas ciuileſq; actiones inutile reddatur, nec animus ad virtutes & artes ſeu ſcientias deprauetur, quibus inſtituendi ſunt, vt bene beateq; viuant, & optime ſe tum in bello, tum in pace gerant. cum ad robur ætatis peruenerint.*

6 In admirandis exquiſitiſque operibus *In modulatione quadam nimis artificioſa & inuſitata, admirationemq; mouente ob artis excellentiam, qua nunc vtuntur muſici artifices, & nuper eſt in certamina muſicorum inducta, ætate ſcilicet Ariſtotelis inuenta, ſiue magnopere aucta. Nam vt pugilibus & palæſtritis ſic etiam muſicis certamina antiquitus fuerant, & præmia certis locis & temporibus proponebantur.*

7 Communi muſica. *inculta, ſine artificio, qua & belluæ quædam delectantur, vt delphini, vt indicat Arionis fabula, quod Plinius quoque teſtatur.*

8 Spectaculũ ad purgationẽ magis q̃ ad diſciplinã valet *Spectaculũ ſiue ſpe-*

ne ſpectatio, quod eſt gracè θεωρία, tribuitur non ſolum videntibus ludos, ſed etiam ſonos & concentus audientibus, præſertim in theatro. Purgatio autem intelligitur expulſio cuiuſpiam affectus, vt metus, exempli gratia, vel miſericordiæ, quod per quoſdam cantus vehementes efficitur, qualis eſt tubarum cantus, qua græcè αὐλῶν, id eſt tibiarum nomine intelligi poſſunt.

8 Vſus eius à prioribus improbatus. *Tempore ſcilicet Alcibiadis Athenis ipſo authore, vt refert Plutarchus.*

9 Vſus diſciplinam *Artem qua ad vſum ſiue opus adhibetur.*

10 Non ſuæ virtuti ſeruit, ſed audientium voluptati. *Non idcircò canit, vt bonum habitum, moremq́; induat, ſed vt audientibus placeat*

11 Spectator enim. *Quem modo auditorem, nunc ſpectatorem vocat, populum ſcilicet audientem, & ludos ſpectantem. cuius dum auribus ſeruiunt muſici, & ſuas meditationes accommodant, tum animo, tum corpore deprauantur.*

CAPVT VII.

1 SED 2 de concentibus & rythmis, 3 & vt ad diſciplinam referuntur, diſſerendum eſt, vtrum omnibus concentibus rythmiſq́; an quibuſdam cum delectu vti conueniat. Deinde vtrum ſtudentibus diſciplinæ eodem modo perſcribere debeamus, an alia tertia ratio ſit ineunda, cum muſicam in cantus modulatione & rythmis conſiſtere videamus. Quorum vtrunque quam vim habeat ad diſciplinam, non decet ignorare: & vtra muſica præferenda ſit, quæ in cantu verſatur, an quæ in rythmis. De quibus quoniam rectè tum quoſdam huius memoriæ muſicos, tum etiam philoſophos doctrinæ muſicæ peritos percepiſſe putamus, idcirco qui de ſingulis accuratius edoceri velint, hos ad auctores illos reijciemus. Nunc autem 4 quaſi legem ferendo, formulas duntaxat tradentes diſſeramus. Sed quoniam cantuum partitionem quam philoſophi quidam induxerunt probamus, qui 5 quoſdam morales, alios actiuos, nonnullos furorem incutientes eſſe ſtatuunt, & concentuum naturam ad horum quodque aliam ad aliam partem accommodant, nec vnius ſed complurium commoditatum gratia muſica vtendum eſſe dicimus. nam tum diſciplinæ, tum purgationis gratia muſica vtendum eſt. Quid autem purgationem appellemus, nunc quidem ſimpliciter, ſed alio in loco dicemus apertius, cum de arte poetica diſſeremus, tum tertio ad vitam liberalem & remiſſionem, t.2.3. 4. 5.

&alt-

& alternam ſtudij operiſue ſeuerioris requiem. Hæc igitur cum ita
ſint, planè intelligitur concentibus omnibus vti oportere, non ta-
men cunctis eodem modo, ſed ad diſciplinam ijs qui maximè fa-
6. ciunt ad mores : 6 ad audiendum verò alios qui manus adhibent,
7. tum actiuis, tum furorem incutientibus. 7 Nam affectus qui quoſ-
dam animos vehementer mouet, cunctis animis adeſt: differt tamẽ,
quòd alios magis, alios minus exagitat, vt miſericordia & metus,
adde etiam furorem. Nam & huic motui nonnulli ſunt obnoxij,
quos ex cantibus ſacris ſedari videmus, cum cantibus animum con-
citantibus vtuntur, velut medicinam & purgationem nactos. Quod
idem accidere neceſſe eſt miſericordibus & timidis: ad ſummam
ijs qui ſunt affectibus obnoxij: cæteris autem prout quiſque eſt ta-
libus rebus oportunus: & omnes purgari quodammodo & affectu
cum quadam voluptate leuari. Simili verò ratione cantus, quibus
ineſt purgandi vis, innocuam hominibus iucunditatem præbent.
Quamobrem talibus concentibus & huiuſmodi cantibus ſpectare
oportet eos qui muſicis certaminibus in theatro contendunt. Sed
quoniam ſpectator eſt duplex, alter ingenuus atque peritus, alter
importunus, quod genus ex opificibus & mercenarijs, cæteriſque
ſimilibus conſtat, his quoque certamina ſpectacula quæ ſunt ad re-
quiem exhibenda. Nam vt ſunt ipſorum animæ deprauatæ & a-
uerſæ ab habitu naturali, ſic vehementes & infracti cantus concen-
tuum deprauationes ſunt. Delectat autem quenque quod propri-
um & aptum eſt ipſius naturæ. Itaque certantibus permittendum
eſt, vt ad talem ſpectatorem hoc muſicæ genere vtantur. Sed ad di-
ſciplinam moralibus cantibus oportet, quemadmodum diximus,
& talibus concentibus vti. Talis eſt autem Doricus, vt ſuprà memo
8. rauimus. 8 Recipiendus eſt etiam is, ſi quem alium philoſophi mu-
ſicæ periti probauerint. Socrates autẽ qui in libris de Rep. diſſerit,
non rectè ſolum Phrygium concentum cũ Dorico reliquit, præſer
tim cũ tibias ex inſtrumentis reiecerit. Nam Phrygius ex concenti-
bus eandẽ vim habet, quam tibia inter inſtrumenta, quoniã vtriſq;
9. vis adeſt concitandi, affectuſq; mouendi, vt poeſis declarat. 9 Nam
Bacchica omnis, & motus omnis, eiuſmodi in tibijs maximè ex in-
10. ſtrumẽtis ineſt. Ex concentib. aut in Phrygio 10 hæc porrò decorũ
11. ſumũt, 11 vt Dithyramb. ſine cõtrouerſia Phrygi9 eſſe videtur. quod
qui ſe huic doctrinæ tradiderũt, cũ multis alijs, tũ Philoxeni exem-

plo con

plo cõfirmant, qui Dorice fabulas dithyrãbo canere conatus efficere nõ potuit,ſed natura ipſe duce rurſus in Phrygium cõuenientem concentum delapſus eſt. Doricum autem conſtantem eſſe, & virilibus maximè moribus aptum, omnes conſentiunt. Præterea cum extremorum medium commendetur, & petendum eſſe dicatur,& eius naturæ Doricus ſit inter concentus, ſatis intelligitur decere,vt adoleſcentes Doricis cantibus inſtruantur. Duo tamen ſpectanda ſunt,quid fieri poſſit,& quid deceat. Nam quæ quiſque poteſt,& quæ ipſum decent tractare magis debet. Hæc autem ætatibus ſunt definita,vt qui ſunt affecta ætate, hi contentis vehementibuſque concentibus vti non facilè queunt, ſed remiſſos huic ætati natura ſubijcit. Rectè igitur muſicorum quidam 12 hoc quoque Socrati obijciunt, quòd remiſſos concentus ad diſciplinam improbauerit,dum eos velut temulentiam inferre ſtatuit, non ſecundum ebrietatis vim,quæ Bacchicum furorem magis infert,ſed quæ vires amiſerit. Itaque ad maiorum natu futuram ætatem oportet tales concentus & cantus attingere. Præterea ſi quis talis eſt concentus, aut decet puerorum ætatem, propterea quod poſſit ornatum & diſciplinam afferre, qualis ex concentibus Lydius potiſſimum eſſe videtur,palam fit,hæc tria ad diſciplinam ſpectari oportere, vt medium teneatur,vt fieri poſſit,vt deceat. 12.

Scholia in Caput VII.

1 SED de concentibus & rythmis, & vt ad diſciplinam referuntur,num omnibus concentibus vti conueniat. *Cantus triplici genere continentur. pertinent enim vel ad mores,vel ad actionem ſiue requiem actionum,vel ad furorem incutiendum: eodemq́ modo harmoniæ ſiue concentus diuiduntur,quamobrem trium rerum cauſa vtendum eſt muſica, diſciplinæ, purgationis,& delectationis,vel ad requiem,vel ad vitam liberalem, prout quæq; pars muſicæ ſiue concentuum,his rebus efficiendis accommodatur. Neque verò ſolum optimi concentus adhibendi ſunt ingenuorum hominum cauſa.ſed interdum etiam corrupti quidam & deprauati,vt in theatris ad voluptatem & requiem vulgi. Animi enim deprauati ſimilibus cantibus oblectantur. Itaque tibiarum & aliorum inſtrumentorum cantus, licet ad diſciplinam & ingenuorum vſus improbentur, faciunt tamen ad oblectandum vulgus,& ad quorundam affectuum purgationem: nec eſt vlla concentus ratio, quæ non poßit quandoq; vtiliter adhiberi.*

2 De concentibus & rythmis. *Per ſe vel ad requiem ſeu voluptatem relatis.*

3 Et vt ad diſciplinam. *Et vt referũtur ad educationem & mores. Nã primũ conſiderandũ eſt ſimpliciter, num omnib. harmonijs & rythmis vtendum ſit in ciuitate, cuiuſcunq; rei gratia, an quibuſdam duntaxat. Deinde vtrum ad diſciplinam ſiue educationem elaborãtibus eadem ſit ſtatuenda ratio, quæ ſimpliciter ſtatuitur, vt omnibus vtantur, aut certis quibuſdam, an neutrum horum ſtatuendum ſit, ſed aliud tertium, id eſt diuerſum.*

4 Quaſi legem ferendo. *Vt non muſicos agere videamur, ſed legumlatores.*

5 Quoſdam morales, alios actiuos. *Morales cantus vocat, qui mores ſiue affectus imitantur, pertinentq; ad educationem. Actiuos qui pertinent ad requiem & voluptatem. Nam requiei finis eſt actio, quoniam requie corpus & animum fatigatum relaxamus, vt receptis viribus vegetiores ad opus ſiue ſtudium redeamus. Furorem verò incutientes cantus appellat vehementes, vt tibiarum, & tubarum, quibus mens hominis emouetur, vt penè rationis vſum amittat. Eodemq; modo de concentuum ſiue harmoniarum natura ſtatuendum eſt: alia enim ad aliam partem accommodatur, quædam ad mores & diſciplinam, alia ad purgationem, quæ vehementibus cantibus, & certo genere harmoniæ fit: alia ad requiem, quæ laboribus ſiue actionibus interponitur, vel ad oblectationem in vita liberali, quorum vtrunq; per voluptatem efficitur, vt ſuprà dictum eſt.*

6 Ad audiendum verò alios. *Nam cantus qui ad voluptatem vel ad mentem concitandam, aut ægritudine alijſué affectibus leuandam & quaſi purgandam pertinent, ingenui homines non debent ipſi obire, ſed audire canentibus alijs.*

7 Nam affectus qui quoſdam animos vehementer mouet. *Quidam homines ita ſunt corpore & animo conſtituti, vt facilè affectibus permoueantur, exempli gratia, metu, aut miſericordia, vel raptu mentis, ſiue extaſi, quem affectum ἐνθουσιασμὸν græcè, latinè furorem appellamus. Eſt enim furor rationis priuatio, quæ in raptu mentis accidit. Sed cum alij minus his affectibus moueantur, tamen nemo eſt quin eis tangatur. Itaq; plus & minus, tamen omnes mouentur affectibus, à quibus iucundè per muſicam ſanantur, & quaſi medicamento quodam adhibito purgantur.*

8 Recipiendus eſt etiam. *Quaſi dicat, nos nõ muſicam docemus, nec quæ ſit cuiuſq; concentus ſiue harmoniæ natura declaramus, ſed tantum præcipimus muſica vtendum eſſe earum rerum, quas ſuprà diximus cauſa, pro natura cuiuſq; harmoniæ. Quæ ſit autem cuiuſq; harmonia ſiue concentus ſiue*

rythmis

rythmi natura, à muſicis, quiq; in ea doctrina philoſophati ſunt, petenda ratio eſt, & cuiuſq; cantus natura perdiſcenda.

9 Nam Bacchica omnis *Bacchicā poeſim appellat carmina, quibus vtuntur in feſtis Bacchanalibus, & his ſimilia: quæ omnia furorem & concitationem quandam mentis præferunt.*

10 Hæc porrò decorum ſumunt. *Inſtrumenta & harmoniæ, ſiue concentus decorum ſumunt, ſi rythmi & harmonia conſentiant in eandem naturam, & conuenientia inſtrumenta, atq; item carmina, prout rei conditio poſcit, adhibeantur.*

11 Vt Dithyrambus. *Genus carminis eſt Bacchanalibus conueniens. Bacchus enim Dithyrambus eſt appellatus ab antro Niſæ montis duarum ianuarum, in quo antro nutritus eſſe in fabulis traditur. Dithyrambus igitur extra Phrygium concentum non decet, nec ſeruat ſuum decorum naturale, vt declarat exemplo Philoxeni, qui cum Dorice Dithyrambos facere niteretur, non potuit curſum tenere, ſed ab ipſa natura in harmoniam Phrygiam Dithyrambo conſentaneum eſt reuocatus. Fuit autem Philoxenus Cythera natus, quæ vrbs eſt in cognomine inſula circa Cretam, poëta Lyricus, quem Dithyrambos ſcripſiſſe Suidas quoq; memorat.*

12 Hoc quoq; Socrati obijciunt. *Socrates apud Platonem in lib. iij. de Rep. Ionicam & Lydiam harmoniam molles & temulentas eſſe confirmat, ac proinde cuſtodibus inutiles & reijciendas: in quo Plato ſiue Socrates non eſt vſus tranſlatione ducta ab ea temulentiæ vi, quæ homines quodammodo furioſos reddit, ſed ab effectu definiens ebrietatis, quæ laſſos molleſq; relinquit. Hoc igitur obijcitur Socrati, quòd harmonias molles idcirco reiecerit, quia militibus & in prælium irruentibus non conueniunt. Nam cum maioribus natu conueniant, horum cauſa retinendæ & attingendæ ſunt. Cæterùm de natura harmoniarum & rythmorum, & inſtrumentis muſicis multa ſcitu digna Plato in eo quem modo citaui lib. iij. dico de Republica tradit.*

FINIS.

KYRIACI STRO-ZÆ DE REPVBLICA, LIBRI DVO NONVS ET DECIMVS.

ILLIS OCTO ADDITI, QVOS ſcriptos reliquit Ariſtoteles, Græci ante facti.

NVNC PRIMVM AB EODEM Stroza Latinitate donati.

FRANCISCO MEDICI DVCI DESIGNATO.

Kyriacus Stroza S. P. D.

DIIS orte bonis, bonisq; parentibus, Hetruſcæ iuuentutis Princeps feliciſſ. Quum Lelij Torelli viri ornatiſſimi, & optimi hortatu, Libros duos Politicos, Græca oratione, ac ſtilo, à me compoſitos, anno ſuperiore ediderim, atq; octo illis adiunxerim, quos ſcriptos nobis reliquit Ariſtoteles, eos patri tuo Inclyto, Domino meo beneficentiſſimo, vti par fuerat, dicaui. Cauſas in epiſtola ad eius Celſitudinẽ ſcripta, enumeraui, quibus quidem tam callidum negotium, attingere, & expedire, auſus fueram. Hos quum Lelius idem, & vidiſſet, & probaſſet, vt Latinos eos ipſe itidem facerem, monuit, atq; hortatus eſt, aſſerens laborem hunc à me hactenus ſuſceptum, et exantlatum, paucis eſſe hominibus profuturum, hunc verò alterum, ſi ſe audiam, cum maiorem mihi laudem allaturum, tum etiam multo pluribus hominibus profuturum: & quod omnium maximum, & antiquiſſimum nobis eſſe deberet, principibus, id eſt vobis Dominis meis, idem hoc probatum, & placitum iri. Quum igitur viro amiciſſimo & optimo, optimeq; de me ſemper merito, negare non poſſem, præſertim

recte

rectè monenti, & honeſta petenti, ad Charybdin, non letiferam illam quidem ſiue Platonis, ſiue Vlyſsis, ſed quandam tamen periculoſam, remetiendam Piſas redeo. libros illic meos, meis auditoribus explicandos propono, eoq́ rē promoueo, vt ad noſtri vertentis anni finem, cum libri ij, qui Græcè antea ſcripti fuerant, caſtiores euaderent, & emendati magis, tum etiam Latini facti, legi ab eis hominibus poſſent, qui tranſmarinæ huius linguæ vſu, atq́ intelligentia carerent. Cæterum cum labore hoc altero perfunctus exiſtimarem me, eis qui hoc rogauerant ſatis iam feciſſe, deliberabam eccui nam eorum qui nunc ſunt hominum, laborem hunc alterum, id eſt libros hoſce Latinos factos iam, dicarem: in cuius fide & tutela cum eſſent, libere atq́ intrepidè in apertum prodirent, nec vllos rabidos iniquorum morſus expaueſcerent. Deliberanti autem mihi primus omnium occurriſti Tu, Tu inquam Principalium iuuenū Princeps lectiſsime & feliciſsime, qui munuſculo iſto digniſsimus omnium viderere. Cuius enim Parenti Inclyto horum generatores (horum enim archetypi, Græci illi ſunt) anno ſuperiore dicaram, rem certè æquiſsimam mihiq́ honorificentiſs. facturus videbar. ſi eorum quaſi filios Inclyto eiuſdem filio, nunc itidem dicarem, eiusq́ fidei committerem & commendarem, & meritò. Quē enim quæſo per Deum, militaris artis comparādæ diſciplinam, more antiquo καὶ οὐκ ἀφιλοσόφως, omnino tractata, capere magis deceat, quàm Iuuenem illum, qui quidem tot robuſtis, & fortibus legionibus, tot validis equitum turmis, tot belli ductoribus, quas copias omnes prudentiſs. Pater & ſummè idem magnanimus idemq́ de patria, & imperij vniuerſi commodis aſsiduè cogitās, domeſtico exemplo, alter quaſi AEacus, humo excitas creauit, creatas congregauit, congregatas in ordines congruos redegit, optima diſciplinæ limitibus ſepſit, atq́ ad Remp. tuendā, & fines Imperij propagādos, alacres, expeditas, fideles reddidit: ſuo tēpore imperaturus eſt? Cui porrò principalis inſtitutionis explicatio, loco ſecūdo iſtic poſita, quæq́ è veteſtis doctiſs. hominum monumētis eodem influxit, potius dicari conuenit, quam Iuueni illi, qui nobilis & florentis iuuentutis Princeps exiſtit nunc, & Dux nobis iam deſignatus eſt? Quis denique de cultu ſummi Dei, & pura religione, ſummos Philoſophos more ſuo, differentes, libentiùs audiat, quàm qui eandem ratione veraci, id eſt Romana & Catholica, tuendam amplificandamq́ ab eodem pientiſs. Patre ſuisq́ maioribus per manus traditam mox accipiet? Alacri ergo vultu, ac læto animo Iuuenis idem nobiliſs. idem generoſiſs. breue iſtud munuſculum à parentis tui famulo, ciue, beneficiario, & penè dixerim alumno, perinde accipe, ac ſi de anguſto quodam viridario, conſimiles primitias, à paupere colono tuo acciperes. Nam (niſi me animus fallit) ſpero equidem breui iſta tractatione, quanquam more antiquo, ceu temporibus illis fuiſſet habita, multas te Pa-

rentis, Aui, Maiorum (nulla enim tam ferax Principum, atq; adeo Heroum familia, quam veſtra in Italia fuit) virtutes, ceu de ſpecillo quodam cernentem, agnitum, & conformatum, ire. Grandia praeterea facinora, & illuſtria, & vehementer admiranda, ad iſtorum normam praeceptorum expreſſa, & conformata. Quae quidem per varias mundi partes & gentes, vt poeticè loquar didita, & diuulgata, maximè nunc florent, atq; in aeternum, vti certo ſperamus florebunt: praeſertim ab ipſo te, tuo tempore confirmata ampliora q; & magnificentiora effecta. Praeclara enim iſta indoles, ad omnia excelſa, & ſublimia nata & facta, in horum omnium certiſs. ſpem Patremq; & omnes bonos ratione optima erigit. At nos, quod ſolum praeſtare poſſumus, Deum opt. max. qui Regum, Ducum, ac ſummorum omnium Principum, bonorum praeſertim, Sator, Conſiliarius, Ductor denique eſt votis precibusq; precamur, & ſuppliciter obſecramus, vt indolem iſtam ad eam frugem ſuo tempore perducat, quae quidem Maieſtati ſuae primum accepta ſit, inde vero, quam tranquillitatem, pacem, concordiam, felicitatem Pater opt. ſua Prudentia, Pietate, Sapientia, atq; alijs heroicis virtutibus, quibus cunctos ſui loci atq; ordines mortales facilè ſuperat, nobis omnibus peperit atq; in communi expoſuit, conſeruet, amplificet, ac per ſecula omnia generatum propaget.

Vale Iuuenis Opt. & Feliciſs. & Kyriacum Strozam paternum famulum, eiuſdem ipſius Parentis more, foue, & ama Flor. Kal. Auguſt.

M. D. LXIII.

KYRIACI

KYRIACI STROZÆ DE REPVBLICA,

LIB. IX.

QVum de Republica illa, quæ omnium optima eſt.egerimus, & de Muſica itemq; de alia diſciplina nonnulla,de eis, quæ reſtant poſt hac agendum.Sunt verò facultates hæ,Militaris,Principalis, Sacerdotalis. Nanque ſine cuſtodibus,ſine principibus, ſine rei diuinæ cultoribus,nulla vtiq; ciuitas cóſtiterit; quapropter de hiſce vniuerſis conueniēter agere, ciuilis philoſophi munus eſt.dico autem quonam modo iuuenes educati, & aſſueti, harum compotes facultatum euadant,& virtutum;ſimuletiam vt legum conditor his inſiſtens veſtigijs, de illis rebus omnibus,quæ ad ciuitatem firmandam pertinent,atq; ornandam abūdè, & vtiliter leges condere queat(quippè dictum enim olim fuit legumlatorem non nihil à ciuili philoſopho differre) Nec minus etiam,vt quæ initio propoſita fuerat tractatio conueniētem modum habeat. Neceſſarium itaq; eſt de his dicere, ac primum de bellica facultate.Hæc verò duas in parteis diſtributa eſt,in Militarē, & Imperatoriam,Nam ſicuti in ſtatu ciuitatis partim ſunt,qui imperant,partim,qui imperātibus obediūt,ita & hic rem ſe habere cóperiemus,vt ſint partim Milites,partim Duces,& Tribuni,& præfecti, quoad ventum ad eum ſit,quem penes,ſumma rei bellicæ, ac totius exercitus imperium eſt;his enim ceu gradibus quibuſdam artis huius diſpoſitio continetur,& abſolutio, vt autem clarior diſputatio ſit,& dilucidior,qui hacten⁹ ciuilis philoſophus dicebatur,militaris poſthac dicitor.Iam ſi quis de facultate hac pro eius dignitate agere velit,neceſſe habet ante omnia videre, ecquid nam ſit bellico huic, quē dicimus philoſopho ſignū ſublatū: Nāq; felicitas illa ei propoſita nó eſt,quæ cunctis mortalib. vniuersè proponitur,neq; rurſum (id,quod aliquis forte ſuſpicetur)ſtatim victoria,etenim hæc extremum, & finis Imperatoris,quia talis, illa verò omnibus hominum officijs propoſita eſt,& deliberationibus,& niſibus. At nos in præ-

ſentia

ſentia quærimus proprium bellici philoſophi propoſitum: eſt vero id non vnum ſanè, neq; vniuſmodi ſed triplex. Namq; bellicus hic quem dicimus primum cogitabit, vt validos, robuſtoſque corporibus ciuitati exhibeat milites, indè vero, vt animoſos, tertium denliq; & extremum, vt morigeros, & obſequentes; tales autem ego interpretor eos, qui non ad parendum modò ſint procliues, & faciles, verumetiam, qui fide, & egregia in Remp. voluntate cæteros excellant. Hiſce vero omnibus illi omnes cõſentiunt, qui de philoſophia hac precepêre, quiq; Reſp. rectè conſtituêre, aut conſtitutas rexêre: nec minus etiam ſapientiores Poetæ, & enim Pindarus. *Iuuat quidem facinus robur*. Nanque hoc principium naturale, & non adſcititium eſt, & Homerus de animi robore.

Nec ſpecimen generoſi animi ſeu cedere retrò
Siue hoſte, aduerſum te iam, veniente pauere. &
Non equidem timor vllus habet mea pectora, nullus
Venit in hunc animum pauor, aut ignauia vecors. &
Vir conſtans, animo nunquam titubante vacillat,
Quin fortem ſe præſtat, & omnia fortiter audet.

Hæc antè omnia apertè indicant roburq;, & ingẽteis ſpiritus neceſſaria illis eſſe, qui milites futuri ſunt: atq; hæc prima fortitudinis ſedes, naturaleq; fundamentum eſt.

Parem porrò in modum de obedientia Poëta idem, nanq; in aciebus ſtruendis, Troianorum temeritatem vituperans, & clamorẽ Barbaricum, & contumaciam, Græcorum docilitatem, atq; in ſeruandis ordinibus facilitatem prædicat.

Verum Graij ſignis taciti ſubeuntibus ibant,
Et compreſſa metu tenuêre ſilentia cuncti
Quippe duces veriti. &
Nemo inſigni inuectus equo nec robore fretus
Extra aciem pugnet.

Verùm cum hoc ita iam confeſſum ſit, oportet conuenientes ſtatuere terminos, quibus omnia hæc comprehendens militaris collimet nec non etiam quæcunque inſtrumenta neceſſaria ſunt ad hæc perficienda comparet, nam ſi his caruerit, nullum operæ precium fecerit. Videntur autem termini præcipuè eſſe hi. Temperantia, & fortitudo, quanquam addunt nonnulli, amabiles mores, & manſuetudinem erga ſuos ciues, & propinquos, acerbos verò & iracundos erga hoſtes, & alienos, fortaſſe Euripidis ſententiam ſequentes in Medea hæc facientis; *Inimicis*

Inimicis infeſtam, amicis placabilem,
& rationem adhibentis.
Euiſmodi enim hominum vita ſplendidiſſima.
Verum de his alio loco mediocriter diſceptatum fuit:atque hi quidem termini.Inſtrumenta autem tria numerantur, quæ ciuitatum conditores reperêre,ſunt vero hæc,Contubernia,Venationes,Exercitamenta. Quod enim contubernia (quæ Syſitia illi appellant) longè vetuſta ſint,ſuperioribus diſputationibus oſtendimus.Italus enim in regione illa, quæ Italia olim dicebatur vſq; adhuc in ore hominũ eſt.ceu horum cõditor primus.Quę verò apud Cretas Andria vel Phiditia,vel quoquo alio nomine nũcupata: hęc ſiue à Minoe,ſiue ab alio quopiã ex antiquis illius loci legiſlatorib.inſtituta fuiſſe videntur. vnde bonã, magnãq; partẽ Laconicæ inſtitutionis in patriam Lycurgus trãſtuliſſe exiſtimatur.Præclaris aũt hiſce inuentis acceſſere neceſſariò ferè venationes,atq; exercitamẽta, quorum amborum vtilitatem omnes norunt,& aliqui eorum,qui verſati in his ſunt,hoc abũdè declarant, noſq; etiam nonnulla fortaſſe illis adiungemus,at non prius quam delectus habẽdi neceſſarias rationes exponamus. Quanquam enim in eis diſputationibus quæ de optima Rep.habitę antè ſunt, ſolum ciuile robur ſpectandum, in habendo militum delectu diximus,in præſens tamen, ita de ipſo tractare decreuimus, vt tractatio hæc omni Reip.omniq; principatui vtiliter poſſit accommodari.Hæc itaque ratio neq; ſimplex,neque modi vnius eſſe comperietur; quin varia & eiuſmodi magis,vt nõ ſit ad belli tumultum,& clarigationem reſeruanda,ſed per ociũ & quietem longè antè inſtituenda,ac ſtudioſe , & diligenter perficienda. Iam quidam Aegypti rex talem delectus habendi modum olim reperijt,& tenuit,quem quidem modum omnes prædicarunt & admirati ſunt.Nam cum filium ſuſcepiſſet,quem Seſooſin quidã nomine appellatum fuiſſe perhibent,Seſoſtridem alij, regem ipſũ affirmant rem quandam magnificam, atq; omninò regiam feciſſe. Quotquot enim infantes eadem ac filius die orti in Aegypto fuerant,eos omnes in contubernium vnum congregaſſe,educatoreſq; eiſdem,& curatores præfeciſſe; eundemq; diſciplinæ modum cunctis pariter deſcripſiſſe, reputantem eos mutua inter ſeſe beneuolentia præcipuè deuinctum iri, qui vna eſſent educati, eademq; cũ agendi,tum dicendi libertate aſſueti, atque omnes operam pro cõmuni ſalute,decoreque (id quod euenit) vnanimiter eſſe nauaturos.

ros. At enim verò hoc regiæ cuiuſdam excellentiæ, abundantiſq́; & fauentis fortunæ munus extitit, id quod neque facilè, neque quouis tempore expoſitum cuiuis fuerit. At verò Barbari illi, qui extremas mundi incolunt oras,omnium mortalium pugnaciſsimi, vt Scythæ, Traces,Celtæ, Sarmatæ gentes variæ & innumerabiles, at ſæuitiâ ingenti,& feritate præditæ, ab omniq́ue humano more, & cultu prorſus abhorrentes. Atque hæ ad Boream. Quæ verò ad Auſtrum pertinent, vt Arabes, Troglodytæ, Libes, Numidæ & quæcunque aliæ tractum illum obtinent, quem Zonam torridam iccircò ſolent appellare, quia in medio verſionum ſita, à Sole videatur exuri (nam quòd habitabilis ea ſit; nuper exploratum eſt) alia quadam ratione belli munia tractant nationes hæ, vtræque enim ad extremas mundi oras quaſi amandatæ, regionesq́ue tenentes inter ſeſe maximè contrarias,non tantum locorum interuallis ingentibus, quantũ etiam tempeſtatum temperaturis, atque adeò intemperiebus,inſtitutis tamen, & ſtudijs ſibi conſimilibus vtuntur. Ambo enim gregibus & armentis paſcendis incumbunt, equeſtri operam dant,venatibus indulgent, in belli autem artibus idem ſignum ſublatum ſpectant,atque bellicum artificem ſpectare nuper dicebamus; idipſum tamẽ haud eiſdem ſtudijs conantur attingere. Nam cum in ſolam rapinam inhient, & vltionem, immanitate ea, quam loci natura eis inſeuit omnia gubernant,atque ob eandẽ hanc crudis carnibus veſci aſſueti, neque ab humanis quandoque etiam mandẽdis ſeſe abſtinent.Ceterum haud facile creditu eſt,qua firmitate corũ corpora prædita ſint,quaq́ue ad omnia grauia, & incommoda perferenda habilitate.Aiunt enim quotquot cũ Scythis manus olim conſeruere,adeò duris,adq́; ictus repellendos factis incidiſſe corporibus,vt vix mucronib.perfodi, aut gladiorum aciebus feriri poſsint;proinde ac de antiquis heroib.Poeto fabulantur,præſertim capitũ occipitia,ita enim denſa hæc eſſe, itaq́; dura,vt machęras benè etiã acutas,retundere nata ſint.Verũ hæc neceſſariò illis eueniunt, quia ſub dio æuum continenter degunt, niuibus obruti, imbribus infeſtati, gelu durati,fluminibus circumſepti.Arabes autem,& Troglodytas,& quaſcunque eiuſmodi gentes eadem, atque eiuſmodi,& iacere,& perpeti quamquam ratione conuerſa,quia ſcilicet à Sole exurantur : ità igitur ambæ hæ nationes robore, atque agilitate antè comparatis,hæc ad confligendum domo afferunt, & pugnandum, animi verò præſentiam, atque alacritatem præcipuè

omni-

omnium Scytæ, & quæcunq; aliæ gẽtes in Septentriones ſpectant, ob eas cauſas, quas ſupra memorauimus. Namque impetu quodam violento, & proiecto in hoſtes inuadentes, curſibusque, & recurſibus eos fatigantes, & in orbem includentes, fameq;, & commeatuum caritate prementes, modum nullum vexandi antè faciunt, quàm, aut ex agris ſuis omnes exegerint, aut conciderint, aut viuos cæperint: Veruntamen homines hi ita nati, itaque facti, ſuis regibus, & ducibus mortalium omnium ſunt obedientiſſimi, & fideles maximè: Atq; iccircò ex huiuſmodi ſtudijs illud eis euenit, quod initio quærebatur, videlicet, vt eorum nati, ipſæque vxores, & poſtgeniti omnes militarem facultatem & artem, vel citra artem, atque adeò naturaliter condiſcant, & percipiant, eaque percepta omnium facillimè, ipſam exercere, & conſeruare queãt, quippè cum huius retinẽdæ ergò, corpora continenter exerceant, & ſub dio malè patiantur, vti diximus, nullumque agrum diutius teneant, quàm victum ſibi ſuggerat: denique, vt omnium pugnaciſſimi exiſtant, neque ad belli artes huiuſmodi præceptis indigeant, neque ſophiſmatis, quibus Spartiatę vtuntur & Cretes, & quicunq; alij de belli ſtudijs ſe iactãt. At verò nos quodam excurſionis modo de eis nunc egimus, nempè ad eum finem, vt quicunq; homines bellicis artibus, ſuis in ciuitatibus præſunt, exempla de bellicoſiſſimis gentib. facere ſibi poſſẽt, quæ ſuæ Reip. ex vſu ſient. Veruntamen cum Barbari ij ſint vitæq; genus agreſte ſectentur, & horridum, eos ipſos vnà cum ſuis inſtitutis in præſentia omittamus, magnãq; gratiã Dijs immortalib. habeamus, quòd eiuſmodi audaciæ, atque impotentiæ, neque prudentiæ ſenſum coniunxere, neq; conſilij capiendi viã monſtrauẽre. Nam ſi hoc Dij eis dediſſent, Herodoti oraculum, ceu è tripode redditum, ad exitum iampridem perueniſſet, ait enim Herodotus. *At natio Threicia* (nam per Threiciam omnes illas gentes eum puto accepiſſe, quæ ad Septentriones ſpectant) *ampliſſima ſanè cunctarum eſt gẽtium, Indis exceptis, quæ ſi vnius principatum probaret, aut vnum ſentiret, inuicta omnino foret, atque omnium potentiſſima*; ſed ad inſtitutã diſputationẽ reuertamur. Iam ſi qui de illo delectu agere velit, qui inter manſuetiores gentes haberi potis eſt, viamq; eã, & rationẽ reperire, quã iniens, quaq; inſiſtẽs bellicoſa euadat iuuẽtus, antè omnia militares copias is debet diſtinguere, & definire, inde qualis nã vel natio, vel ciuitas, vel denique Princeps ille ſit, quibuſq; copijs inſtructus, qui hoc concupiſcit & expetit videre, quippe cũ neq; vnus omniũ

modus ſit, neq; via vna illuc deducens,ſecta reperiatur, ſicuti nuper dicebamus.Copiæ igitur belli omnes,omneſq; exercitus in peditatum diuiduntur,& equitatũ,non nuſquam etiam in nauticas,& maritimas,porrò peditatus in grauis, leuiſq; armaturæ milites tribuitur,parem in modum,& equitatus; nauticæ autẽ copiæ in remiges,& claſſiarios,iam pridem enim dictum hoc fuit, omnem ciuitatem vel ſolam & ſingularem, vel aliarum parentẽ & reginã,quæq; in non paucas gentes habet imperium, ſi quidẽ propriam libertatẽ, atq; imperium ipſum, quoquo modo partũ,tueri velit,& cõſeruare,copijs indigere militaribus,roboreque ciuili, & non peregrino, an verò Peneſtæ, Hilotes, quique in Italia habentur Peridini,ijdem fortaſſe, atque Aborigenes,ciuili robori,an peregrino adſcribendi ſint,haud magnoperè contendendum in præſentia eſt:nanq; huiuſmodi nationes omnes inter ambas haſce videtur mediæ interiectæ,ſed quòd eiuſmodi copiæ periculoſæ ciuitatibus ſint,& principibus,ac leuibus mutandæ fidei ingenijs præditæ,ſæpe multiſq; in locis vſu cõpertum eſt. Quoniam verò nec agri expers ciuitas eſſe debet,ni quid præter rationem eueniat, grauis quidem armaturæ tyronum delectus ex agrorum colonis,ſi qui vſquã liberi ſint, primum habendus,inde ex eis qui in vrbe æquales,& pares his reperiãtur,id eſt quicunque compactili membrorum ſtructura,& ſoliditate præſtent,quiq; laboribus exantlandis idonei,ſpiritus, atque animos gerant iuueniles,leues autem ex monticolis, & paſtoribus eligendi,eq; vrbanorum numero,eorum dico,qui nec viles, nec ſordidi artifices ſint,ſed mechanici potius, nanq; hi, & leuitate corporũ,& agilitate ceteros antecellunt, atq; ad ſcandendum, & deſcendendum mœnia, & rupium prærupta magis idonei, atq; ad fundas, & iacula intorquenda procurrendumque, & recurrendum expediti & celeres. Talis itaque videtur commoda peditatus deſcriptio; Ac nemo miretur ſi de ciuili robore deſcribẽdo nihil memoramus nunc,quippè cum de illo abunde memoratũ fuerit tunc, cum de optimæ Reip. primordijs ageremus,& nũc illa omnia ſubijciuntor, atque omnium maxima,& antiquiſsima habentor. Iam verò equitatus legendus eſt è diuitibus, annonaque abundantibus, & locupletibus, ſic enim eos qui amplas opes poſsident Poëtæ appellare mos eſt,nanq; his facilius eſt equos alere quã pauperibus, quibuſq; domi anguſta res obſtat, tum etiam ſtudio huic incumbere iucundum pariter, & honorificum, ceu ijs, qui eas iam explicarunt difficulta-

cultates,ob quas illi, dico autem tenues, & egeni, illuſtriora officia plerunque omittere coguntur. Igitur ex vrbanorum pariter, atque agreſtium genere equites legendi, oportuneque exercitandi, tum curſibus, tum etiam pugnarum ſimulationibus. Exercitamenta autem ponimus, corporumq́ue ad belli munia inſtituendorum periclitationem vniuerſam, cum ſagittandi, tum iacula omnis generis intorquendi, ſcutaq́ue, & arma vibrandi, acies explicandi, & in orbem conglobandi, & in alias figuras fingendi, ordine progrediendi, & regrediendi, caſtra locandi, diſponendi, firmandi, & quæcunque alia ad equeſtrem diſciplinam contendunt. Omnium verò iſtorũ publicos eſſe magiſtros, qui è publico mercedẽ capiãt, diſcipulos autem, vrbanos iuxta, & colonos, modo liberi ij ſint, adoleſcentes, & viros. Pro præmio autem tùm horum, tum egregiè in bello geſtorum ius ciuitatis, eis qui ciues adhuc non ſunt, ſicuti ſeruis libertas proponitor, ciuibus verò decus, & gloria, ceteraq́ue, pro cuiuſq; meritis & benefactis, ita vt præſentem ciuitatis ſtatum cuncti pariter diligant, & ſaluum velint, atque in ciuitate ipſa amplificanda, ornanda, perpetuoq́ue beãda, omne ſtudium ponãt; Sed quo tempore, quoq́ue loco, quibuſq́ue modis tyrones iam delecti imbuendi, & exercitandi ſint, quę de officio armorum præfecti leges ſcribendæ ſunt, omnia hæc definient, pariter autem, & quæ ad ſyſsitia, & contubernia pertinent, eorumq; curationem, atque adminiſtrationem, vt iuuenes, & adoleſcentes eò conuenientes, abſque turba, & tumultu accipiantur, quotque in ſingulis cœnaculis conuiuæ diſcumbant, hæc conuentus cuiuſque præfectus, vna cum iuuentutis moderatore ſtatuet, & definiet, & nos de eiſdem his non nulla fortaſſe addemus poſthàc. Atq; hæc mediocris cuiuſdam ciuitatis, & potentatus delectus, regula, & adminiſtratio ſit. Iam ſi ciuitas aliqua fuerit ampla, & imperioſa, ſiue libera, nulliq; ſingulari homini ſubiecta, ſiue etiam Regi obnoxia, ſiue vt natio quædã, qualis paulò ante Perſica natio fuerat, dum Aſiæ totius ferè imperium obtinebat, ſed etiam Europæ partẽ non minimam, tum vtique licitum fuerit vtiliter, & abundè milites deligere, vt claſsiarios, & nauticos è Phœnicibus & inſulanis, atque, ex eis, qui maritimas Aſiæ oras incolunt, & Europæ, è Media autem, ipſaq́ue Perſide & Campis Babyloniæ equitatum, nec minus etiam ex Armenia; Arabes enim, etſi nationum illarum omnium præſtantiſsimi equites ſint, camelis tamen plurimũ inuehuntur in bella, iumẽta enim

hæc curſu validiſsima, oneribuſque geſtandis,& ſiti tolerandæ idonea maximè.Porrò peditatum ipſi legebant, è Tapuris,è Cadduſijs, è Carduchis & Vxijs,nec minus è mótanis amplę Cherſoneſi regionibus, quòd autem Europei Aſianis animi præſentia præſtent, & corporum robore,& bellicoſi magis ſint, & cur ſupra memorauimus.Iam id omnibus perſpicuum eſt, huiuſmodi delectus habẽdi rationem, eque tot populis, & gentibus, eis modò vnis eſſe expoſitá,qui [illegible] ciuitates,& prouincias in ius, ac ditionem ſubiectas habeant,quot nuper Perſæ ipſi habebant,atque iccircò nos ad mediocres ciuitates,& potentatus orationem reuocantes, de hiſce diſſeramus,ac primum de nauticis agamus,& maritimis copijs, quæ neceſſariò illic comparandæ eſſe videntur, vbi licitum ſit eis opportunè abuti;& quoniam duas in partes hæ diſtributæ ſunt,in claſsiarios,& remiges,vti diximus,de his nihil videtur amplius dicendum,quàm quòd remigum ordo legendus eſt,tum è ſordidis vrbanæ turbæ artificib.tú etiá è mercenarijs agreſtibus,& barbaris; Claſsiarij aũt ex eodem, quo pedites ordine legendi; hoſce verò omnes neceſſe eſt egregiè nare didiciſſe,longeq; ante aſſueuiſſe maris perturbationibus remorumq; fragorib.& tumultibus,& vndarum iactationib. vt ne exorta tempeſtate,manuq; conſerta,perculſi,ac ſtupefacti rei nouitate,animos deſpondeãt,turbamque,& tumultum alijs inijciant; atque hæc de delectu habendo generatim dicta ſunto. Rerum autem ordo poſtulat,vt agamus nunc de ætate illorũ,qui nomina daturi ſunt,deq; inſtitutione,& curatione.Poſtquam igitur adoleſcẽs ſextum decimum annum expleuerit,quam primum oportet ipſum à patre,aut ab alio quopiam eorum,qui proximi genere ſunt ad militiæ præfectum adduci,nomenq; ſuum,patrem ciendo, profiteri, rẽ nullam cauſantem,obtendentemue,ni quis naturæ, aut fortunæ iniuria corpus,animumue labefactum gerat. Si itaque illis quorum hæc curatio eſt,fuerit probatus,atq; eiuſmodi exiſtimatus, qui bellicos labores poſsit exantlare,acceptis ſibi cõuenientib.armis & militariter iuratus cũ tribulib.in cõtubernium cooptator, vnà venator,vnà exercetor, atq; hoc neceſſarij delectus primũ fundamentũ eſto, quod quidem militaris facultatis architectus primũ iacere debet,cetera verò à legum conditore definiẽda ſunt vnà cum armorũ præfecto,ſiue is vnus,ſiue plures numero fuerint.Hi igitur ſingulas quaſque res definient,atque ordine diſponent,vt verbi gratia,quẽadmodum ad templa Deorum immortalium adeundum ſit, quaque

que ratione pompa ducenda, vtique armis, & equis inſtructi, atque ad currendum, ſalier dumq; comparati iuuenes prodeunt, ludantque, atque alia efficiant, quæ ad agilitatem, celeritatemque in ſtatarijs pugnis, & ſolutis, ceteriſque cõuerſionibus, & reuerſionibus, neceſſario comparandam, immane quantum audaciæ, atque animorum ijs inijciant qui ea oportunè ante exercuerint, & meditati ſint. Ijdem pariter, & præmia proponent, tum ludis, & certaminibus, tùm obſequijs, tum ſtrenuè in bello geſtis, horum verò contrarijs merita ſupplicia, & dedecora. Namque ſat nobis in præſentia eſt vnum hoc docere, tria hæc cum ad facultatem militarem comparandam maximè omnium eſſe neceſſaria, tum etiam ad mutuò inter ſe ſe cognoſcendum, ſicuti de ſtatu ciuitatis ritè conſtituendo agentes dicebamus, quinam, & quàm vberes fructus, è legitimis ciuium cœtibus, & congreſsionibus perciperentur, cum per ſingulos ordines quibus temporibus leges iubent, haberentur, quotq; commoda, & oportunitates ciuibus inde orirentur, dum ſcilicet mutua beneuolentia, & charitate ſunt conglutinati, noſcuntque ſe inter ſe, hoc nullum amplius ciuitati præmium poteſt afferri, quàm vt ciues noſcant ſe inter ſe, vbi enim mores, ac vitæ inſtituta in apertum prolata non ſunt, ſed tenebris obruta, deliteſcunt, illic neque meritum honorem, neque magiſtratum, neque ius æquum quiſquam ritè obtinuerit, quippe quia, vt nuper dicebamus ſperandum omnino eſt, eos homines, quià teneris vnà coaluere, quique eiuſdem cõpotes diſciplinæ extitere, maximè amatum ire ſe, inter ſe, eoſdemque optimos, ac fideliſsimos belli ſocios fore. Cuicunque enim eorum iniecto periculo, ſubeat ſtatim clamare.

O ſocij neque enim ignari ſumus ante malorum.

Quæ igitur è contubernijs vtilitas percipitur hæc eſt.

Qui verò è venationibus fructus colligitur, eque exercitamentis, haud ſanè hoc minor, verum enim verò, id quod plerique in ſolemnibus, & vſitatis exercitamentis negligunt, huc oportet accedere, atque hoc vel in primis curare, vt ſiniſtri artus ad parẽ, & æqualem vſum, & vim moueantur ac dextri; vtique iuuenes, hæc antè meditati, atque ad hæc ſemper parati veniant, multum enim intereſt inter eum, qui eſt in hac re rudis, & non exercitus; atque eum, qui egregiè eruditus ſit, & exercitus. nam ſicuti is qui in pugilatu, & lucta & pancratio ſe laudabiliter geſsit, non quidem ſiniſtris artubus nequit contendere, claudicat autem à dextris, labiturque & peccat, cũ

nouus

nouus labor in partem aduerſam illum vocans, neceſſario cogit experiri, idem hoc cùm in armorum, tùm in rerum aliarum vſu rectum oportet exiſtimare, cum ſcilicet qui duplici facultate inſtructus eò veniat, cum ad laceſſendum, tum ad repellendum aduerſarium, nullam eiuſmodi, neque inertem, neq; à ſcientia vacuam, quoad eius fieri poſſit, omittere. Porrò autẽ, & venationes, præter quam quòd venatorum corpora ſalubria reddunt, & agilia, eædem vniuerſi agri, & finium cognitionem præterea ingenerant, ita vt bello ingruente, vnuſquiſque, tum ciuis, tum miles, loca omnia nota habeant, quæ hoſtibus ad inuadendum ſint facilia, quæque difficilia. Iam verò & hæ aruis quidem, & vinetis, & viridarijs ingentem ab importunis beſtijs, & feris præſtant ſolitudinem, manſuetis autem animalibus & iumentis, amplam in tutò paſcendi facultatẽ, & ſecuritatem, ipſique ciuitati annonæ abundãtiam, atq; vbertatẽ. Deniq;, id quod bellici apparatus architectus, vel in primis habeat, pedites iuxtà, & equites ad belli munia egregiè comparatos. Nemo autẽ miretur nos in diuiſione hac venationes exercitamentis parte ex altera oppoſuiſſe, & ſi enim genere ipſo eadem ambo ſunt, idemque ad extremum ambo ferè properant, quæ tamen ambobus materia ſubijcitur, hæc vna non eſt, non locus, non modus idem, quin longè inter ſe ſe diuerſa hæc eſſe comperientur. At quoniam omne hominum genus, amicitia, & beneuolentia, naturali quadam neceſſitate vincitur, vinculaque hæc ad felicitatem fruendam ingens afferunt momentum, cum priuatim, tum etiam publicè, iuuentutemque imprimis ad vitam iucundè degendam, atque oblectandam adliciunt, fiduciamque eiuſmodi eorum pectoribus ingenerant, vt ad pericula adeunda & perrumpenda, cõcordibus, alacribuſq; animis accedant, cum vſus ſcilicet ciuitatis, & Reip. tempora poſcant, propterea oportet cõtubernij ſiue præfectũ, ſiue magiſtrũ, quẽ Syſſitiarchum illi appellant, vnà cum iuuẽtutis moderatore, id imprimis curare, atque animaduertere, vt eorum amores ab omni vitio, omnique turpitudine vacui ſint, rectæque Reip. inſtitutioni, & moderationi vſquequaque reſonent, & puritati. i. vt generoſi ſint, & caſti, atque ab omni labe, fœditatiſque ſuſpicione longè remoti. Sed quonam modo hęc euenire queant nunc dicendum eſt. Si itaq; cõtubernij præfectus, quænam ſuæ partes ſint rectè norit, eas certè omnes abundè expleuerit. ſanè oportet hunc non ferculis duntaxat, & obſonijs iuuenes, qui in fide, & tutela eius ſunt inſtar iumentorũ ſaginare,

narê,potuq́;,& temeto,eos onerare, quin magis cũ eorum moderatore diſpicere,ecquibus nam modis eorum congreſſiones honeſtę, iucundæq́; ſint,illamq́; ætatem deceant, hiſtoricæ videlicet, atque Heroicorum facinorum anxiæ indagatrices æſtimatricesq́;:iccirco itaque hoc continenter ille operam dabit, vt egregia maiorum facinora,eorumq́; illuſtrium audientes, ipſaq́; admirantes verecundentur ſanè quicquam aliud in vita cogitare,aut laborare, quàm vt eis viris ſe exęquent,quos de virtute mortales omnes ſuſpiciunt,atque admirantur.Quum itaque iuuenes ipſos ita imbuerit,itaque ad virtutem comparauerit Syſsitiarchus ſanè quidem verendum non eſt,quin eorum amores eiuſmodi ſint futuri,cuiuſmodi eos eſſe oportet,atque vti imperat lex,decet enim adoleſcentes,& natura, & vitæ inſtitutis tales ſeſe ciuitati exhibere,quales diximus , eos præſertim,qui debent,primùm quidem communis libertatis eſſe cuſtodes, inde magiſtratus,& duces,& oratores, & iudices , & ſenatores ac demum rei diuinæ cultores,curatoreſq́; Nanq́; ſtudia hæc omnia & officia,omnibus ciuibus in medio poſita erunt,quæ quidem, etſi non omnes omnia aſſequi pariter valeant,ij tamen,qui ſingulis quibuſq́; virtutibus idonei fuerint,ſingula conſequi poterunt, pro ingenij ſui captu,& ſtudijs,ſicuti in belli muneribus accidit,in quibus non cuncti bellatores,Achilli aut Hectori, aut Aiacibus ſtrenuitate æquales ſunt,& pares,quin longè profectò intereſt inter hos, ac cæteros milites & duces,id quod neq; Poetam in hortationibus latuit,ait enim :

O ſocij,quiq́, eximij virtutibus eſtis:
Et genere,atq́, opibus,medis & qui ſortis habetis
Præmia,vos etiam,quos conditio infima ducit,
Non etenim in bello pares licet omnibus eſſe

Idem hoc noſtri temporis Orator egregiè animaduertit, cum ait. *Oportere ciuitatum rectores,eum ciuem,qui legum cãcellis continet ſe,quiq́, eis libenter paret,ceu integram ſalutis collectam patriæ afferentem,& honoribus augere,& laudibus tollere,contrà autem qui harum repagula perruperit,& limites tranſilierit,ignominijs notare,& ſupplicijs cõſtringere,* & rationem ſubdit, *Communis enim collatio,& ſymbola ſunt officia illa omnia, quæ vnuſquiq́, noſtrum facit,legibus iubentibus.* Hi igitur quibus præclara hæc præmia tribuenda à ciuitate ſunt, tales ſeſe præſtare debent, quales diximus.Quapropter oportet in contubernijs,& venationibus,& exercitamentis modeſtiã præſtare,& temperantiã, & caſtita-

tem,quæque ferarum ſunt,libidines, & voluptates eas omnes vitare,quoad eius fieri poteſt,& ab eis abhorrere: Et verò intemperantia omnis,omniſq; procacitas,& impotentia,tum ei,qui ſcelus fecerit,tum ei,qui perpeſſus fuerit,& priuatim,& publicè noxia eſt,verum enim verò,ea quæ in libidines, & voluptates abſurdas eruperit,atque immanes,longe omnium deterrima, & pernitioſiſſima, atq; ad virtutes extinguendas efficax maximè, id quod in Ethicis præceptis abundè definitum eſt, neq; oportet nunc ea fruſtra relegere Quoniam vero haud facilè illis eſt, qui milites iam facti ſunt cũctos in cõtubernia quotidiè conuenire, atq; illic perpetuã victus conſuetudinem habere,ſanè quidem oportet ſtatis diebus ſal ẽ hoc haud negligere,quin ſingulos quoſque vnà cum ſuis tribulibus cõuenire illuc,ac publicis ludis cum cæteris ciuibus intereſſe, & venationibus,& gymnaſijs,pręſertim eos,qui natu ſunt iuniores,vt poſt annum minimum vigeſimum,militem perfectum,fidelemque, & animoſum ſuæ ſe patriæ exhibeat,nihil cauſantem, niſi aut infortunium,vti dicebamus,aut neceſſitudinem, hoc enim bellico philoſopho eſt ſublatum ſignum.Ciuili autẽ,id, quod dilucidius poſthac explicabitur,hoc,vt Reſp firmiter conſtet virtutibus nitens opibus,florens,& vera gloria celebris atque illuſtris.legum latori autem horum omnium tutela, vt ſit in omni felicitate perpetua permanſio;ſed hęc omnia ad votum ſucceſſerint, ſi Eunomia eis acceſſerit,id eſt,ſi quæcunque ardua,& periculoſa, explicatuq; difficilia incommoda in ciuitate acciderint,magiſtratus, & principes ſagaciter,atq; ex animi recta conſcientia,non legibus ſolum ea diſcutientes correxerint,atq; ad ſanitatẽ partes ægrè affectas redegerint, priuati autem ſingulares homines, rerum ſuarum ſatagentes legibus paruerint,& magiſtratibus,namq; in duobus his, bonarum legum omnis vis,atque authoritas conſiſtit. Quoniam verò ciuitas nulla, quanquàm fortunæ abundantia maximè florẽs,paupertatis expers, nec omni ex parte,nec ſemper fuerit, hominumq; egeſtate laborãtium;oportet huic etiam hominum generi eſſe proſpectum, vt ne artes ſibi neceſſarias deſerere coacti,vnde victum quæritant, cauſa contubernij celebrandi,& cœtuum legitimorum, pauperiores adhuc euadant,cumq; cõuenerint,à præclaris, Reiq; publicæ neceſſarijs muneribus vrgeantur, id quod haud ſanè commodum ciuitati eſt:præterea ne ſimiliter etiam ingenui & diuites eandem ob cauſam,à philoſophia,rerumq; pulchrarum ſtudijs,quæ ſuo ſtatui,ſuęque

que conditioni affines ſunt,abſtineant,oportet ſingula quęq; horũ pro cuiuſq; ordinis & hominis oportunitate,& decentia,& viribus, legibus,atq; inſtitutis eſſe definita,animaduertentẽ militiæ, armorumq; præfectum,ac cæteros,quorum curatio hæc eſt, belli ſtudia omnia,& artes,pacis,quietis,tranquillitatis gratia,id quod multoties teſtati ſumus,ab hominibus fuiſſe reperta,& celebrata;vita enim tranquilla & pacata ipſaq; philoſophia, horum omnium fines certi ſunt.Nanq; bella ciere,pugnas committere,cædes cædibus accumulare,ſi vera,& certa excutienda ratio eſt,nec optabile, nec bene fortunatum,quin contra deteſtabile,& malè fortunatum; atque iccircò Circem iure increpare Vlyſſem affirmant,dum ſe ſe in Scyllam importunè nimium iactitat.

Et bellum infelix agitas nec cernere finem
Pugnandi dabitur,Superis,nec cedere poſſhac
Eſt animus. Ac de militari quidem facultate ſat ſit hæc dixiſſe. Quæ autem à Socrate in libris de Rep. Tragicè elata ſunt, iampridẽ refutata,eleuataque fuere,ceu iactantiæ plena,ac futili admirabilitate redundantia:Quin & Poëta in clypei factione, ea nimirum aptè diſcuſſit,& egregiè declarauit,& quidem muliebre robur quatenus ad belli munia poſſit accommodari,ibidem oſtendit, nanque poſt pinnas,& mœnium propugnacula cum infantibus, & ſenibus eas collocat,faciens.

Muros inual.d q; ſenes,trepidaq; puellæ,
Et pueri tenues e,& dulcia pectora matrum.

Officiorum autem quæ propria ordinis ſunt muliebris in Odiſſea ipſas ſubmonuit,per Telemachum matrem ſic increpantem.

Inſuper a ſcendens age mater,penſa puellis
Partito,nobiſq; viris conſilia linque.

Nanq; hæc & horum germana, ſicuti etiam in Rhetoricis dictum fuit,muliebri naturæ maximè quadrant,at non bellum,non pugnę, non ſudor;Atque iccircò hæc Barbaris relinquentes,ceu eorum ingenijs conſona,& inſtitutis, maiorum noſtrorum præcepta teneamus,eorundemq; ſtudijs incumbamus,qui quidem omnia hęc longa periclitatione,& artificio comprobata, beneque diſcuſſa nobis minoribus reliquere.

Sequitur,vt de Imperatoria ab his dicamus; hæc principali ceu forma proprio generi ſubijcitur,veruntamen nos, quia ita militari cõiũcta eſt,vt ab ea diuelli nequeat, de ea ipſa priꝰ diſſeremus. Nãq;

principalis totam Imperatoriam continet,& regiam,multaſq; alias ſicuti clarum fiet poſt hac,cum de omnibus cæteris agemus. verum de hac ſicuti propoſuimus,nunc agamus primum. Voléti igitur Imperatoriam facultatem adipiſci,atque eius vim ſibi comparare,præſertim in ciuitate illa,quæ libertate fruatur,quæque ipſam,ei traditura ſit,neceſſe ei eſt totam militarem artem domo afferre,vt ea fretus,hæc,atque horum germana edicere valeat, reque vera edicere, & non arroganter effutire.

—— At nos
Bellaq; pugnaſq; & cædem cæde accumulare
Nouimus,& tergûs dextra ſimul,atque ſiniſtra
Areutis verſare bouis.

Enim verò ſicuti orator probabiliter dicere volens,ſiue in cauſa oranda,ſiue vtilitate oſtendenda,ſiue denique in quocunq; oratorio munere perficiendo,intrepidè lingua vti Latina debet priùs,inde ad opus hoc aggredi,aliter nanque id facere aggrediens,riſum audientibus moueat,parem ſanè in modum oportet eum, qui ſit deſignat⁹ Imperator quiq́ue gradu illo, locoq́ue haud indignum ſeſe haberi cupit,militarem iuxta,& imperatoriam artem militaria,& imperatoria inſtituta, & leges ſectantem prius perdiſcere, ne comparato iã exercitu,atque inſtructo in hoſtem, & incitato, in illud Euripideũ incurrat.

Iſte hoſtias agit iugulatum hoſtibus.

Curabit itaque is vt bellicæ fortitudini, quam plurimum prudétiæ adiungat,atque eximiam quandam animi celſitudiné,& ſagacitaté, ac ceteras virtutes, quæ imperatores maximè decent. Idem animæ parcus nunc erit,aliàs prodigus, cum ſcilicet vſus,aut neceſſitas poſtulabit,In educendis autem copijs,& manu conſerenda ſemper iniecto periculo,verſus huiuſce recordabitur.

Dum ſibi dum ſocijs reditum paras,aſpera multa,
Pertulit.

Et verò ſtrenui duces, reque vera prudentes, gloriantur magis in eo,quòd milites fidei ſuæ creditos conſeruauerint, & ciues incolumes præſtiterint, quàm quòd ingentes hoſtium copias trucidarint, aut captiuas duxerint. Oportet itaque multò antè, ac perpetuo apparatu,denique à teneris hæc ſecum meditari, atque animo agitare, de alijs ducibus,atque imperatoribus exempla ſibi facientem,de eis dico,quicunque, cum ab hiſtoriæ ſcriptoribus iure laudati, tum à Poe-

à Poetis,nec adulatoriè hymnis celebrati, nec minus etiam de eis, qui ætate ſua fuere probati, hoſce omnes bene notos habere, hoſce admirari,horum egregia facinora imitari, quibuſque adducti conſilijs ea fecerint,anxiè exquirere,& æſtimare,vt illa partim exæquare, partim etiam ſuperare omni ope nitatur, ſicuti & Themiſtoclē feciſſe aiunt, quem cum perpetua inſomnia obſeſſum amici aduerterent,rogarunt,eccur nam totas noctes inſomnes duceret,Milciadæ(inquit)triumphis,ceu nocturnis quibuſdam furoribus occurrētibus,& in ſe inquietantibus: Is aduerſus Barbaros imperator deſignatus,ingruentem patriæ,& Græciæ tempeſtatem proſpiciens,imperatoriam virtutem, quam quidem ſuo animo longe ante inſeuerat,atque infixerat,illo in bello miris modis extulit:Nam tria ingētia facinora,eiſque qui tunc erant , quique poſtea ſubſequuti ſunt hominibus,admirabilia,edidit. Nanque omnium primum Ariſtidem,cognomento iuſtum, illum inquam, à quo in Rep. regenda ſemper diſſenſerat, quique hanc ob cauſam tunc exulabat,in patriam reuerti iuſſit,ſcilicet ne tali ingruente bello, & tam periculoſo, hoc conſiliorum ſocio careret. Alterum,nam cum Gręcos,iam animos deſpondere, ac propriam quemque ſalutem ſpectare animaduerteret,Barbaros autem haud magnopere feſtinantes ad manus venire,ſed ſuum tempus expectantes, ambo ſuis conſilijs, artibuſque ſuperauit,atque adeò eluſit,quoq́;ipſe decreuerat adduxit; ac Græcos quidem,cum eos ingratis manus conſerere cunctos coegit,Barbaros verò,cum Græcos vniuerſos,ceu ſagena euerſos,in ſiccum educendi,in ſpem erexit: Tertium denique, cum parta ſplendida, & inclyta illa victoria , pontem quidem reſcindi prohibuit, Regem verò fugā,quàm primum capeſſere(ceu de ſalute ipſius iam pridem ſollicitus) clàm monuit, ac Themiſtocles quidem talis Imperator, atque ob iam dictas cauſas extitit. At Pericles viri huius ſuſpiciens virtutes,atque imitans,nec minus etiam patris Xanthippi,mirabilis & ipſe extitit Imperator, non enim vnis belli artibus floruit,ſed vtraque tempeſtate obtinuit in milites imperium,in Remp. principatum,eiuſdemque tutelam,ita vt ſtatus ille, quo tunc ciuitas Atheninienſis vtebatur, verbo quidem eſſet popularis,re autem , & effectu ſingularis viri dominatus,eiuſdemque primi, & præſtantiſſimi, ita enim Thucidides:ſed eò reuertatur,vnde egreſſa eſt oratio. Iam cū ſæpè eueniat, vt in magnis exercitibus multi homines ſint, diſpari genere,diſſimili lingua,ac non pauci etiam barbari,quibus cum per

interpretes agere ille Imperator neceſſariò debet, qui nullo variarum vſu linguarum valeat, id quod ineptum iuxta, ac periculoſum eſt. Iccirco igitur oportet eum, qui laudem imperatoriã dignè, pleneq; aſſequi concupiſcit, ita rem hanc in poſtremis non habere, vt hac ipſa maximè, ingenij ſui docilitatem, & ſolertiam indicans, facilè poſſit; tum gregarios milites, tum etiam minores duces per ſeſe quoquò velit dicendo adducere. Iam verò & honorificum ei fuerit iuxtà, & commodum nomina ſuorum militum omnium callere, & meminiſſe, & ſi non omniũ, ſaltem quàm plurium vſq; ad decuriones haud ignorare. Poſſe enim pugnantem, quenque è commilitonibus proprio ex nomine, vt ait Poëta, viritim ciere, impendio ſalutare, atq. hoc quã vim in prælio habeat, re & effectu ſępè comprobatum eſt. Neſtor, cũ effuſo impetu Memnõ in ſe inueheretur nullumq; ei effugium relinqueret, filium ſuum ciuit Antilochum, nec clamor humi effuſus eſt, ſanè quidẽ ob notæ conſuetæq; vocis claritatem: nec aliam vllam ob cauſam. Porrò autem ſingulorũ nomina in memoria habere eius eſſe Imperatoris videtur, qui nõ diligentia ſolum excellat, ſed beneuolẽtia in milites, & charitate, id quod mirum quantum valet ad militum animos ſibi conciliandos, & obſequio perpetuo aſſuefaciẽdos, pręſertim cum æquali, & pari victus apparatu, atque ipſi vtantur, ipſum vti etiam videant, ab omni delicato more abhorrentem, ab omni luxũ alienum, nil prius, neq; fortius facientem, quàm vt bona eis proſpiciat, aduerſa depellat, ſtipendiumq́;, & victui neceſſaria in numerato, expeditoq; habeat atq; ad diem dictam conſtanter exhibeat, neque eorum quenquam negligat, qui ſint aut vulneribus mutilati, aut morbis retardati, neque ſupremum honorem omittat eorum, qui pugnantes mortẽ obierint, & ſi minimè oporteat nunc, omnia illa dinumerare, quorum pleraque legibus ijs ſanciencur, quibus imperatoria munera omnia definienda ſunt, & diſtinguenda, vt quæ ad cultum Deorum immortalium pertinent. Quibus nam, ſcilicet & quot quibusúe temporibus, quibus hoſtijs, tum à militibus, tum à ducibus faciendum, nec minus quæ luſtrandis exercitibus ſolemnia, quæque ad alia incommoda, & dira, quę hominibus neceſſariò interdum accidunt, amolienda, & expianda. Verùm enimuerò id, quod tractationem hanc inſtituentes dicebamus, idipſum etiam nunc eam claudentes, confirmamus, oportere à teneris omnia hæc animo præcepiſſe, continenterque agitaſſe eum, qui artem hanc ritè poſſidere decreuit, vt omnia quæ-

nia quęcunque opus ſunt, vel ſaltem quàm plurima adiumenta domo afferens, imperatoria munera facilius tempore ſuo perficiat, perficiet autem ſi indolem quandam verè heroicam, cum militari virtute ſtatim coniungere nitatur, & ſtudeat. ac de Imperatoria quidem hæc.

Principalis autem poteſtas, qua de in pręſens dicere proponim⁹, multa in ſe habet diſcrimina, differt enim materia, modis, finibus, nam quædam eſt, quæ habetur in volentes, quædam in inuitos. porrò quædam ſubiectorum commodis ſtudet, quædam vim ſpectat, & propria commoda, & ſingularis ſtatus ſui firmitatem, atque hæc quidem electione creatur, illa ſortitione, alia vtraque. Quin etiam quędam à genere perpetua, aut ſorte quadã acquiſita, de quib. omnibus definitum eſt ſuperioribus diſputationibus. At verò de regia illa, quæ vſq; quaq; abſoluta eſt quæq; pambaſileia nominatur ecquibus nam modis, quis eã ſibi vendicãs, maximo hoc præmio dignus cenſeatur, poſthac dicetur. Sed ei tractationi, quæ de Tyrannide habita olim fuit, nil præterea addetur, quippe cum minimè oporteat, quæ fœda, & flagitioſa ſunt, quæq; incommoda hominum generi important, & detrimenta, ea docere, quanquam nonnulla ſuperius de ipſa egerimus, cum vt homines eum cauere diſcerent, tum vt ſemel inſtituta tractatio conuenientẽ modum heberet. Nunc de principali facultate agemus, ea inquam, quæ Rep. & ſtatu libero viget, quæque reddendis rationibus ita eſt obnoxia, vt cauſam repetundarum ſemper dicere parata ſit: nam de Imperatoria dictum eſt, & oſtenſum, quòd hæc principalis ipſius forma quędam ſit, ſicuti regia, & ſacerdotalis, non quidem tota, ſed vna modò illa, quam quis põtificiam vocaret, & ſi qua alia, in qua ciuitatis ſtatus vel vniuerſus, vel aliqua ex parte cõſiſtat. Sed iam tempus eſt, vt de Senatoria diſſeramus, & Concionatrice, videntur nanq; hæ curationes quædam & miniſteria magis, quàm re vera magiſtratus, veruntamen de ambobus agendum, ac prius de concionali; haud enim parum refert quo quiſque modo comparatus compareat illuc, quippe hoc enim primum veluti Reip. attingẽdæ initium. Nam cuiuis, eiuſmodi hoc apertum eſt, quòd cum legum ferendarum ratio, ingens quædã res, & operoſa ſit, ſi ciuitas, quæuis benè comparata, ineptos bonis legibus præficiat magiſtratus, parum referat aliquas leges, dico eſſe, an nullas, an etiam riſui obnoxias, ſed magis adeò timendum, ne labi, & longè maxima in Remp. detrimenta ex eis importentur. Atque

que iccircò oportet, eos, qui in campum ritè candidati prodeunt, plenumq; & amplum ſuæ in Remp. voluntatis, ipſosq; & genus vniuerſum à primo ferè ſatu, vſque ad tempus electionis, ſpecimen dediſſe, deinde illos rurſus: quorum magiſtratus ijs mandandi poteſtas eſt, ita legum inſtitutis, & moribus eſſe educatos, & aſſuetos, vt quæ honeſta ſunt rectè probantes; quæq; turpia item improbantes, parem iudicij vim ad comitia conferant, vt ciues eos bene diſcernere valeant, qui gerendis magiſtratib. ſint apti, quiq; inepti. horum autem diſcretio, & iudicium, in Reip. diſciplina conſiſtit, eiuſdemq; ſtudio, ſicuti in eis diſputationibus, quæ de optima rep. habitæ olim ſunt, fuit explicatum; atque hæc de Concionatore, eiuſque facultate Iam ſi quis dicendi vim in diſcrimen agat, vtrum ſcilicet concionatori, an alij cuipiam eorum, qui in publicis negotijs verſantur, virtus hæc neceſſaria ſit, an non, ridendus vtique videatur. Quippe cum oratoriã artem (ſicuti in exponendis eius præceptis dictum fuit) certum ſit omni hominum generi, omniq; negotio gerendo vtilem eſſe, atque eius via, & ratio iampridem à nobis reperta, ac definita eſt, neque oportet de eis rebus, quæ copioſè & dilucidè illic explicatæ fuere, ſuperuacuè nunc differere.

Iam de Senatoria agere inſtituentibus, non ignorandum multos eſſe in ciuitatibus modos, tùm Senatores legendi, tum Senatum cõſtituendi, ſicuti in libris ſuperioribus dictum fuit. Nam quidã ſunt, qui perpetuo gradum hunc obtinent, quandoque etiam genere, vt in dominatu paucorum plerunque fit, quidam porrò electione, & populari tabella deſignante, vel qui tot geſſerunt magiſtratus, ceu Areopagitæ, quamquam oportunum in præſentia non ſit, de hiſce omnibus exquiſitè diſtinguere, & accuratè, quin magis quærere, & monſtrare, quam nam vitæ viam quis ingrediens quoque modo ſe tractans ampliſſimo hoc ordine, & gradu, dignus ſuo tempore exiſtimetur, quãtum enim momenti ad ſalutem communem tuendam ordo Senatorius afferat, facile ijs fuerit percipere, qui eius officia rectè diſtinxerint. Quoniam enim nauis mari innatãs, interdiuque, & noctu cuſtodia perpetua indiget, eundem in modum, & ciuitas quæ in eodem ſalo, atque alię ſibi propinquæ ciuitates vacillans, atque omnis generis inſidijs obnoxia, vrbem colit cum periculo amittendæ ſalutis, oportet ſanè poſt diem in noctem, & à nocte in diem, magiſtratibus aptos eſſe magiſtratus, cuſtodes cuſtodibus, clauum quaſi ſuſcipientes & tradentes, nunquam ceſſare, vulgus enim

nim haud poteſt quicquam vnquam mature expedire. Quocirca ampliſsimus ordo prouidebit, vt ſalutare hoc Reip. tuendæ munus in orbem, ſuam cuiuſque vicem, per omnes eat, videlicet ne ciuitatis cuſtodia vnquàm interrumpatur, hæ enim partes eius ſunt, vitæ autẽ curriculũ Senatori cuiq; idẽ propoſitũ eſt, atque alijs vniuerſis, qui nõ ſolum aliquẽ dignitatis gradũ in ciuitate obtinent, ſed etiam qui vel compotes Reip. ſint. De ſtudijs aũt, & inſtitutis, quæ ſectando talis ſuo quiſque tempore Senator exiſtat, qui patriæ valeat abũdè opitulari, tum explicabimus, cum de ciuili facultate agemus.

De iudice autem hoc exploratum omnibus eſt, iudicem legem eſſe animantem, magiſtratumque haud omninò ſpernendum eo die gerere, quo die tribunal aſcendens iuridicundo operam dat, neque id etiam obſcurum, legum latori pote non fuiſſe, ea literis omnia complecti, quæ ſigillatim erant euentura, id quod antiqui legum ſcriptores, & politici præclarè animaduertentes, hanc iuris iurandi formulam iudicibus tribunal aſcendentibus deſcriptã eſſe voluere. *Equidem iuro de quibus leges vllæ ſunt, iis me ius redditum ire, de quibus autem nullæ, rectâ mentis conſcientia, animoq; æquiſſimo.* Atque hæc formula illa eſt, qua iudices tribunal aſcendentes, iureiurando adſtringi maiores ſanxère. Quicunque igitur hanc iudicandi vim, poteſtatemque adſciſcere ſibi cogitat, prouidere neceſſariò debet, vt rectam hanc mentis conſcientiam ſuo infixam animo gerat, eamque in primis habeat, cætera in poſtremis, vt amicitiam, odium, æmulationem, miſericordiam, & quæcunque alia ad flectendos iudicum animos, aduocati qui dicuntur, eò ſolent afferre. Hanc animi compoſitionem, ſunt qui iudicij integritatem, ſynceritatemq;, & ferrei illius iuris moderationem nuncupent, alij æquitatem, bonitatemque, qui verò lautius, ius retuſum, ac refractum dictitant, quanquàm de nominum horum varietate abundè dictum in ethicis fuerit, nec minus etiam de rei ipſius natura ibidem explicatum. Nunc verò de facultate ipſa docentes affirmamus hoc: eum hominem, qui huiuſmodi ſiue munus, ſiue principatum, ſiue magiſtratũ gerere ſua in patria expetit, generoſam indolem huc afferre debere, ac ſingularem animi moderationem, humiles autem, & deiectas cogitationes, moremque animi ad rem quo quomodo faciendam declinatum, & attentum, depellere, vnà cum ſuperbo illo, & nimis accurato ſummi iuris examine, quod quidem à vera, & recta decernendi via, haud rarò iudices abducit, & tranſuerſos agit. His ceu

fundamentis iactis legum ſciētiam, vſumque ſuperſtruet, non carũ modò, quæ literis expoſitæ ſunt, ſed quæ nullis etiam literis cōprehenſæ, natura valent, & vſu. Neq; patriæ ſuæ vnius ſolum, ſed etiam ceterarum ciuitatum, earum dico, quæ imperioſæ magis ſunt, magiſque illuſtres, quæque deductis per longum tempus moribus ſua inſtituta firmarũt. Quodque omnium primum, & antiquiſsimum, id primum ſtudebit, vt ſuæ Reip. naturam, diſpoſitionemque probè intelligat, namque in ciuitate illa, quæ recte, & ordine conſtiterit, leges omnes neceſſariò debent conſtitutioni huic vſquequaque reſonare. Oderit igitur hic oportet litigioſas, atque importunas cōtentiones, amet autem humanitatem, facilitatem, ſynceritatem, cùm in publicis, tùm in priuatis diſceptationibus, & negocijs, idem egeſtatis patronus, idem humilitatis tutor perpetuus. quanquàm neque à litibus ſic abhorrebit, & contentionibus, vt in hiſce omnibus rudis, aut nouus, aut imperitus veniat ad munus hoc ſuſcipiendum, & perficiendum, quin magis ita comparatus, vt in alienis diutius quàm in ſuis, verſatus exercituſque ſit. Quippe cum turpe, atque inuidioſum omninò habeatur, vti ferè iam diximus: litibus ſeque, & alterum implicare, ac iudicum aures aſsiduè fatigare, vel cuipiam periculum creantem, vel ipſum ſe periculo eripiētem. Verùm ſi quis ita ſe in iuuentute paret, atque nūc, & olim nos diximus, præſertim in eis diſputationibus, quæ de Iuſtitia habitæ ſunt, haud omninò verendum, quin tempore ſuo is ſuſceptum hoc iudicandi munus, rectè, decēter, laudabiliter perficiat, præſertim ſi ea inſignia apud animum ſuum reputauerit, quibus Poëta ordinem hunc iudicialem ornauit, quaq; in ſede (nempè ſacro in orbe) eundem collocauit, ait enim in Clypei factione.

Hiq; ſcios petiere viros, qui ponere finem
Criminibus certum poſſent.

Profectò hiſtorias (hac enim voce Poëta vtitur illic) iudices, at non teſtes (vt quidam minus rectè interpretantur) appellat, viros illos, qui ſapientia, & calliditate præſtant, quique actionum, & perpeſsionum humanarum non minus ſcientiam tenent, quàm conſcientiã, id eſt vſum, & periclitationem, denique qui ſint omni prudentiæ genere principes: ac de iudiciali quidem facultate, & diſciplina comparanda, & oportunè exercenda hæc.

Sed tempus iam eſt vt de ciuili agamus, & legiſera, rationeſque illas expediamus, quib. ciuilis philoſophus, ac legũ conditor differun

ſunt inter ſe, deindè quo quis modo ſe gerens, ambarum poſsit ſacultatum compos euadere. namque quod ad ſublatum ſignum pertinet, nihil omninò differunt, ſed operibus magis, ac rerum gerendarum modis fortaſſe. Politici enim opera hæc ſunt, ciuitatem initio fundare, ægrè affectam, & ferè diſſolutam reconciliare, atque in priſtinum ſtatum reſtituere. cumque vtranque ſic compoſuerit, ſicque abſoluerit, & ornauerit, tale iter felicitatis eidem monſtrare, quod ciues omnes, quiq; vrbem colunt tenentes, valeant ad eã peruenire, publicèque, & priuatim hac ipſa perfrui. Atque vt hæc rectè, & ordine perficiat, de ſolo, & ſede, vbi mœnia ædificet imprimis erit ſollicitus (namque ciuitatem illam, quæ beata futura ſit, quod muris cinctam eſſe velimus, quodque oportet, iampridem diſcuſsimus) inde vero quod ſedes hæc, rectæ valetudini poſsidendæ, & retinendæ, appoſita ſit, itemque ager rerum omnium, quæ ad mortalium hominum vitam, & naturam ſuſtentandã requirũtur, vber inueniatur, & ferax, nec minus ad ea, quæ deſiderantur importanda, atque ad ea, quæ ſuperfluũt, exportanda, appoſitus, ſicuti etiam in ſuperioribus diſputationibus oſtendimus, cum de his, deque magiſtratibus, & cuſtodibus, ac cæteris, quæ ad ciuitatem componẽdam, & vrbem ſtatuendam, neceſſariò requiruntur, diſſereremus. Atque hæc politici officia & opera ſunt. Sed legis latoris hæc. Namque his à politico ſic repertis, & conſtitutis, legum cancellis eadem ſepire, & firmare artifex hic operam dabit, decoraque, & præmia, & prædicationes egregijs ciuium meritis, legumque obſequijs proponens, contrarijs vero contraria intendẽs, videlicet ignominias, ſupplicia, mulctas, bonorum publicationes. Namque Politicus ceu generator, & conditor ciuitatis eſt, & Reip. fabricator, legum verò ſcriptor, ceu medicus quidam, tutorque, & curator, diuinæ huius fabricationis, beatæque, & felicis conſtructionis perpetuus cuſtos. Iccircò igitur hic (Rei enim publicæ ſumma penes ipſum, atque vniuerſa authoritas, vti diximus, eſt) bina verbera ſuo huic adminiſtro tractanda, in manibus imponet, atq; alterum quidem ſuadæ, vt hoc in ciues ingenuos intorqueat, ad eorum animos, & mentes agitandas, & dirigendas, vt ait Pindarus, cũ ſcilicet de ſpatio legũ, curriculoq; deflexerint. Alterum ferri, hoc durioribus inſtabit, & magis contumacibus, & indomitis, ſunt verò ij, quos quidam nuncupant ateramonas, & immites. Verùm nos cum virtutes vtraſque has expoſuerimus, diſcriminaque adnotauerimus, age ad vtriuſq; vim

explicandam accedamus,& diſciplinam comparandam, ac de legiferaante agamus.Qui igitur ad ferendas leges animum adiecit, neceſſe habet Minois inſtitutum tenere. ferunt enim Minoem annis nouem Gnoſio in antro latuiſſe,ibique legum ferendarum rationem à Ioue ſumpſiſſe. Alij ſingulis quibuſque nouem annis exactis, illuc inuadentem,leges de conſilio,& ſententia patris corrigere ſolitum, atque eaſdem interpolare.namq; ancipiti ſenſu locum hunc de Poeta interpretantur.

Illic vbi Minos
Nouennis latitans legum primordia ſumpſit
Ac ſummi praecepta patris.

Et verò nihil ibi aliud Homerus voluit innuere quàm hoc. Nam quum hominũ natura ſuis opibus nitens,opus hoc per ſeſe nequeat plenè perficere,diuinam eſſe ei implorandã,qui leges cõdere vult: digna enim res eſt, ad quam perficiendam tantum, & tam grande auxilium requiratur,imploreturq;. Atque hoc primum. Alterum verò diligenter exquirere, atq; in numerato quaſi habere ceterarũ gentium ſanctiones,atq; vti ſolent ſtatuta,diſtinctamque Rerump. notitiam,haud ſanè omnium, ſed earum, quæ latius ſui fines imperij propagarunt,quæque ſuæ felicitatis ſtatum diutius retinuerunt, quanquàm notum omnibus eſt hominibus,quibus hæc ſtudijs quibuſque laboribus comparentur,quodque minimè oporteat domi deſidem ſemper ſedere,quin longè à patria, peregreque proficiſci, ſcilicet vt Græcorum pariter, & Barbarorum leges atque inſtituta is cognita habeat, nãque eſt legumlator iudicialis artis quaſi architectus.Quod ſi eius adminiſtro(dico autem iudici)tot res agitandæ ſunt,& peruidendę quot quoque modo nuper dicebamus, quid nã tandem ei ipſi faciendum, conandumque? qui quidem non de lite vna quadam,de qua hodie,verbigratia,aut cras diſceptandum iudicio ſit,decernere debet,quin de cunctis illis, quæ cum nũc in diſceptationem veniunt,tum etiam poſt annos,vt ſic dixerim decẽ millia,venire poterunt,ac ne longum faciam, omni ope nitetur legum conditor,vt leges,quas condit,Reip.conſtitutioni omnibus modis reſpondeant,in hoc enim ciuitatis, atque ipſius Reip. ſalus tota, ſimulque felicitatis ſuæ perſeuerantia,& diuturnitas conſiſtit : atque hæc de facultate legifera.

De Politica verò age. e aggredientibus nomen prius definiendum eſt,inde autem de propoſito,& officio,ac de ceteris,nota,& inſtituta ratio

ta ratione dicendum. Videtur itaque nomen hoc politici, id eſt ciuilis, ex eo eſſe nominum genere, quæ notione non vna, ſed plurib. & varijs diſtinguuntur. Quippe cum Politicus homo is dicatur, qui neque ſe ſe multis negocijs implicat, neque magnopere aliena exquirit, quin ſuarum rerum ſatagens, legib. obtemperat, legumq; ad miniſtris, hi autem magiſtratus ſunt & principes, atq; iccircò ciuilis iurè exiſtimatur, ceu pacatus homo, & minimè turbulētus, aut ſeditioſus, enim vero apparet eiuſmodi hæc omnia ſigno illi reſonare, quod ſublatū Reſp. omnis ſpectat. Quin etiā ſi quis ita ſe in ciuitate paret, vt publica negocia proliχè, & libenter gerat, ad iudicumque ſubſellia, & curias idem vocatus, idem inuocatus frequenter adiit, is itidem politicus habebitur; eiuſmodi namque hominem, etiam ſi rerum vſu magis, quàm intelligentia valeat (ſi forte ita eueniat) ſunt qui ciuilem appellare ſoleant, ſunt etiam qui curioſum. Veruntamē nos eiuſmodi politicum in præſentia nō quærimus: ſed qui non in ea modò ciuitate, quæ iam firmata ſit, quæque rectè conſiſtat, ſed in quacunque hominum communitate, & cœtu, omni artium & virtutum genere, tam earum, quæ neceſſariæ, & vtiles ſunt, quàm quæ honorificæ, princeps atque architectus exiſtat, quique ſapientia ſimul, & prudentia ceteros omnes excellat, ſiue vnus duntaxat ipſe ſit, & ſolus, ſiue etiam plures quidam numero, tales vſquam reperiantur. namque hoc nihil in præſentia refert, ſed illud potius refert, an quidem in hominum cœtibus communia commoda iſti habeant in primis, propria verò in poſtremis. Enim verò hominib. illis, qui ſibi hoc aſſumunt, cōmunē vt hominū curā velint habere, eiſdēq; imperare, hoc natura ſimul, & inſtituto inſitū gerāt neceſſe eſt, niſi enim ſic cōparati huc veniāt, vt priuatis, & ſingularib. emolumentis, cōmunia antiquiora habeant, improbi certè homines, & rapaces cēſeātur, nec ſanè libertatis cōmunis, ſed propriæ dominationis, atq; vtilitatis vindices. Verum cū de Politici ipſius nomine, vitæque curriculo, quod ſibi propoſitum ſemper eſſe debet, definierimus, age, de facultate ipſa, (quod reſtat) definiamus. Qui igitur facultatem hanc ſibi acquirendam proponit, eademq; ad res illas, quæ opus ſunt abuti concupiſcit, quę de Imperatoria agentes, nuper dicebamus, meminiſſe debet. Nam ſicuti tunc hominem illum, qui ſit deſignatus Imperator, debere facultati militari heroicam indolem quandam adhibere affirmabamus, pariter etiā nunc idem affirmamus, ciuili huic non eas modò, quæ ſunt militis, atque Imperatoris fa-

ris facultates, & virtutes cum indole hac debere accedere, ſed omnes artes præclaras, omnes virtutes, deniq; integram, ſolidamq; prudentiam, & ſapientiam, idque adeo ex neceſsitate quadam longè maiore adhuc illa quidem, & fortiore, & merito. Namque Politicus non ſanè partis cuiuſdam communitatis huius curator, aut adminiſter iure vtiq; appelletur, quin magis totius huiuſce humani nominis tutor, & generis cuſtos, cunctarumque artium, earumq; illuſtrium, atque vtilium cognitor, iudex, diſtributor, ſicuti de moribus præcipere ordientes, ſtatim docuimus. Primi enim, & antiquiſsimi Politici cum in ſyluis, ferarum ritu, homines æuum degentes accepiſſent, moribuſq; agreſtibus imbutos, ad humanitatem eos transtulere, eumque in ordinem redegère, vt manſuetudinem, ac placidos mores, & inſtituta ciuilia deguſtantes, probanteſque, hac vitæ iucunditate delectari cœperint, qua nunc nobis omnibus, qui cœtus, & ciuitates rectè inſtitutas colimus, cum pace, & iucunditate perfrui licet. Idem primi, eam, quæ nunc nobis adeſt, felicitatem fabricati ſunt, ijdem curamque, & cultum Deorum immortalium reperere, in quo felicitatis huius vis omnis ſita eſt, & firmitas, & publicè & priuatim; id quod melius multò intelligetur poſthac. Enim verò is, quem toto Iliados poemate Homerus virum efficere, atq; adeò perficere contendit, longo verſuum tractu, qui tamen omnes vno fere concluduntur hoc.

Eloquio æquare vt poſſes, rebusq; gerendis
Ductores Danaum

Is procul dubio, & non alius ille eſt, quem nunc quærimus Politicũ, qui vim dicendi iuxtà, & agendi integram poſsideat, & ſagacitatem, quæq; principes viros, & ſenatores magnoperè decet, calliditatem. Iam verò idem vates Herculem prædicabat ingentium, atque illuſtrium facinorum conſcium hoc puto, ſuſpicans. Prudentiæ, atque animi celſitudini, rerum gerendarum cognitionem, ſumma cũ perſpicacia, neceſſariò ante vertere debere. Ex quo fit, vt hoc etiã dubitetur vtrum facultas hæc, de qua nunc agimus politica, eadem ſit, ac regia, neq; id prorſus ab re. Namque & ſignum idem ambobus ſublatum eſt, idem in vita curriculum propoſitum, denique, officia eadẽ. Ambo enim eò ſpectant, vt qui ſibi ſubiecti homines ſũt incolumes, & beati perpetuò ſint, atque hanc ob rem ambo omnia conantur & moliuntur, non tamen eiſdem agendi modis. Regum enim opera longè maiora plerunque eſſe videantur, & magis illuſtria,

ſtria, quam hominum ciuilium, tum quia in excelſo Reges magis ætatem agunt, tum quia perpetuo quaſi magiſtratu funguntur, eoq; qui nulli cauſæ dictioni, nulli repetundarum actioni adſtrictus tenetur, ſicuti apertius noſcere nobis licebit, cum de poteſtate hac tempus dicendi fuerit. Et quoniam amborum diſcrimen, in vno duntaxat agendi modo ineſſe compertum eſt, operæ pretium facturi eſſe fortaſſe videamur, ſi duo quępiam harum facultatum ſtrata pro exemplis capientes, ſeligentesque, ea inter ſeſe ambo compararemus, ſic namq; agentibus nobis facilè fuerit, quæ ſimilia in vtroque ſint dignoſcere, & adnotare, quæq; rurſus diſsimilia. Sunto autem hæc Cyrus Perſarum Rex primus, & Timoleon Corinthius, is inquam, qui Syracuſas pariter, & Siciliæ oram illam omnem quæ à Græcis tenebatur in libertatem nuper vẽdicauit: ergo ex vtriuſque facinoribus facilè apparebit, alter quidem omnium Regum ciuiliſſimus, alter verò omnium ciuilium regaliſsimus. Cyrus itaque (id, quod notum omnibus mortalibus eſt, nec minus etiam hiſtoriæ teſtantur) quum Perſas accepiſſet Medis iampridem ſeruiẽtes, præ ſeruis illorũ dominos hoſce effecit, ita vt ij, qui antea ſeruitute, & imperio illo, quod per annos circiter ducentos tenentes, ſeſe oppreſſerant, vna cum imperio ipſo in ius, ac ditionem Perſarum ceſſerint. Porrò autem ea manſuetudine, eaque charitate populares ſuos proſequutus eſt Cyrus, vt vſq; in hodiernum diem, patrem ipſum appellantes Perſæ perſeuerẽt, proindè ac Poeta, qui huiuſmodi quoddam bonorum iudicium virorum Vlyſsi atteſtans, ſenem quendam Ithacenſem inducit, procorum procacitatem atque importunitatem querentem, damnantemque ſic.

Olim quam facilis regnarit diuus Vlyſſes
Excidit, vtq; pater cunctis mitiſsimus eſſet.

De Cyro & eius moribus ad neceſsitudinem rei ſatis dictum. Timoleon autem à Corinthiorum communi miſſus Syracuſas, vt ciuitatem eam multis malis eriperet, iam enim ſecundò rem ſuã peſsime gerebat; namque bello inteſtino à Dionyſio crudeliter vexabatur, extra vero ab Iceta quodam Syracuſano, & Carthaginienſib. more hoſtili agebatur, & ferebatur: hiſce igitur ambob. tã grauibus incõmodis, momento ferè temporis remedium attulit Timoleon, nãq; Icetam, & belli eius ſocios admirabili audacia exemplo adortus, exturbauit, & diiecit, Dionyſium verò fide data cũ cepiſſet, Corinthum ſtatim auehendum curauit, atque vrbem ipſam Syracuſas in-

quam

inquam modo non ſolo æquatas ob frequentes calamitates, rurſus inſtaurauit; ciuibus quidem, qui diluuio ex illo ſuperfuerant, rurſus in vnum collectis, & reconciliatis, pro eis verò, qui nulli reſtiterāt, nouis conſcriptis, & conſociatis. Cumque rem Syracuſanam reſtituiſſet, ſtatumq; ciuitatis confirmaſſet, ad ceteras, quæ in inſula reſtabant adhuc Grecæ ciuitates, ſe vertit; quarum cum ita nonnullas affectas cerneret, vt earum viſceribus domeſtici tyranni inhærentes, eas more ſuo dilacerarent, alias verò Barbari diriperent tributiſq; exigendis exhaurirent. Tyrannos quidem partim ſuadendo, partim malo, & armis cogendo, ad extremum omnes in deditionem redegit. Porrò Carthaginiēſes, cum eis necopinatò incidiſſet, ac ſemel, iterumque, & tertio denique eos profligaſſet, ferè omnes occidione occidit, & quos viuos cepit, ſub corona vendidit, ita vt cum abundè foret debellatum, agros omnes, quos Græci hactenus in ea inſula poſſederant, liberos, & vacuos proprijs dominis reliquerint. At enim vero hæc ingentia atque admirabilia, inuſitatæque fortitudinis, & prudentiæ certè inſuperabilis argumenta, veruntamen illud longè omnium admirabilius, vtrum eum, qui cuncta hęc perpetrauerat, quique eorum omnium votis & vocibus, in quos ampliſſima hæc, & maximè memorāda beneficia contulerat, Rex creabatur, & renunciabatur, dignitatem hanc eiuraſſe, hanc dico, qua de quicunque mortales homines, hominibus aut præſtant, aut quocunque modo præſtare poſſunt, atque excellere, inter ſe continenter digladiantur. Vtique hanc ipſam ſemel adipiſcantur, adeptique potiantur, nullas ærumnas recuſant, nullis hominibus, nullis impendijs parcunt. Hæc de Timoleonte nos cæterique Græci audiuimus, ac modò non oculis ipſi inſpeximus, eoque libentius fecimus, vt cum optimo Rege virum hunc componentes, haberemus vnde nam illuſtre, atque euidens diſcrimen Politici, & Regalis hominis, in medium afferremus. Atque hæc de facultate ciuili, ſequitur poſthac vt agamus de Regali.

LIBRI IX. POLITICORVM FINIS.

KYRIACI

KYRIACI STROZÆ DE REPVBLICA,

LIB. X.

DE Regia ergo facultate, ac de ipſius comparandæ modo diſſerere inſtituẽtibus, de regno prius dicendum eſſe videtur, primumque ecquonam modo apud mortales homines initio extitit, poſt autem quod principali ſubijcitur, magisq́; adeo, & preſſiꝰ, monarchiæ, quodq́; poteſtas hæc mortaliũ hominum lites diſtrahere nata eſt, ſedare diſcordias, ſeditionibus finem certum, ratumque imponere, nullis rationibus reddendis obnoxia, nulli repetũdarum iudicio, proindè, ac neque domeſtica patrum familias iuſſa, & præcepta. idq́ue iure, namque regia maieſtas paternæ poteſtati & excellentiæ, ex æquo, vti olim diximus, videtur reſpondere. Itaque meritò Poetæ prædicant Iouem patrem hominumq́ue deûmq́ue. Nec minus cum Reges ipſius alumnos memorant, quodq́ue humani faſtigij columen, ſolium regale, atque eius maieſtas ſit, quippe cum ei ipſi omnia hæc reſonent, ceu perficienti, & exæquanti, in quadrumq́ue, vt ſic dixerim redigenti, quæ incondita, & inconſtantia apud homines ſunt, erroresq́ue, & peccata omnia corrigenti. Videre enim eſt gentes illas, quæ haud prorſus temerè vitam ſuam inſtituêre, ordine quodã rem communem ponere, nonnulloſque magiſtratus, neceſſariò ſibi præficere, ac propterea dicere ſolemus qui in ordine, interpretãtes, magiſtratus, & principes, qui priuatis ritè imperant. & ſubiectis conſulunt, denique qui in hominum cœtibus, & conuentibus, res illas, quæ nec definitæ ſunt, quæque temere iacent & confuſè, eas in ordinem redigere, legum cancellis vallare, recteq́ue diſponere, & temperare operam dant. De alijs itaque ordinibus, ac principatuum formis, & comparandi modis, abunde, ni fallor, definitum hactenus eſt. Verum de Regia poteſtate dicere nunc incipientibus, ſubit animum quærere hoc, vnde, & à quibuſnam homines ij, quos Reges nuncupamus, vim hanc, atque authoritatem accepere, qua præditi munia humana perficere poſſent, eademq́; intrepide, & fidenter expedire,

pedire,præſertim primis,priſciſq; temporibus. A nemine quidem certè alio prięterquam ab ipſo Deo: Modus autem quomodo factũ hoc fuerit,à quodam è maioribus noſtris,lepido certè ęnigmate,indicatus fuiſſe videtur,ait enim ille. Iam certo cognoſcens Saturnus nullius mortalis hominis ingenium,quod omnigena, & abſoluta præditum poteſtate,ad rem humanam gerendam veniat,ita idoneum per ſe ſe exiſtere,vt non ſuperbia ſimul, & iniquitate imbutum huc properet,hæc ille noſcens,& reputans,Reges, & arbitros cœtibus noſtris præficiebat,non quidem mortales homines, ſed melioris proſapiæ,ac diuinioris dæmonas, dæmonas puto appellans viros illos,qui probitate,ſolertia, ſagacitate cæteris mortalibus præſtant. Enimuero credibile eſt, eiuſdem quoſdã mortales poſt eluuiones, incenſioneſque terrarum,poſtq; alia peſtifera quædam incommoda(ſicuti amat definitis an indefinitis temporibus euenire) è tenebris illis,ceu noua quædam luminaria,emerſiſſe, eque ijs quoſdam manuum robore ſimul, & æquabilitatis cuiuſpiam obtentu, alios verò vim perſuadendi tenentes,vel extinctarum olim artium veſtigijs veſtigandis,& reliquijs colligendis inſiſtentes,multa,eaq; commoda,& præclara,tanquam igniculos è cineribus excitantes, hominibus illis qui vitam tunc de integro viuendam reprehenderãt, demonſtraſſe.cumque haſce ſecundum res,mirabiles quidam apparuiſſent,ac Dijs modo non æquales,& pares,dignos fuiſſe habitos, qui diuinum hoc præmium primi acciperent.Nempe haud incredibile fuerit,neque à communi exiſtimatione prorſus alienum,eos homines qui cunctis vitæ commodis priuati,miſerè victitabãt,quiq; grauia omnia & horrenda,ſe ſe vndiquaq; vrgentia formidabãt, viros illos in primis probaſſe,& ſuſpexiſſe, qui quidem non pauca ex eis, quibus in præſens indigebant,bona ſibi ſuggererent,quę autem nocitura,& nunc,& poſt hac eſſe videbantur,ea amolirentur,& depellerent;atque iccirco putandum Medos, Deiocen, primum regem ſalutaſſe,quia ſcilicet ſingulare quoddam iuſtitiæ, & probitatis ſpecimen, dum priuatis adhuc ætatem ageret ſuis popularibus dabat, liteſque,& controuerſias omnes ad ſe delatas ex bono, & æquo diiudicans,ſtatim ſedabat,ita enim fama,& literis de eo accepimus. Iã vero Perſas alta Cyri indoles,atque animi robur, ad parem dignitatem poteſtatemque ſibi deferendam inuitauit,& meritò. Nam cum in fide,tutela viri huiuſce ſe,ſuaque omnia ponerent, Medorum quidem,quibus olim ſeruierant,domini extitere, non multo

autem

autem poſt Aſiæ totius Imperio potiti ſunt. Quin etiam, Theſeus eaſdem ob cauſas, quanquam non primus Athenarum Rex ipſis tamen Athenienſibus omnium eorum, qui ante ſe regnauerant, maximè admirabilis apparuit, tum quia ſtrenuus erat Imperator, tum verò quia ciuilem inſtitutionem præclarè callebat. Nam quum populum Athenienſem accepiſſet, per vicos, & curias priſco more diſperſum, ſæuoque, & enormi tributo à Mino, & Gnoſſijs vexatum, vtriſque his malis eos eripiens, pro agreſtibus, & ſubiectis, & ciues, & liberos effecit Athenienſes. At requirat aliquis à nobis, eccurnam tandem Athenienſes, ac cæteri Græci ferè plurimi, & regna, & reges, quibus regnantibus res ſuas benè, & præclarè geſſerant, ſedantes, legum authoritatem valere maluerint, libertatemque dicendi, & faciendi amplexi, magiſtratibus quibuſdam temporarijs, repetūdarumque iudicio obnoxijs, res ſuas populo potius commiſerint. Verum nos, & ſi rem hanc aliqua ex parte in ſuperioribus diſputationib. attigerimus, haud tamen dubitationem propoſitã ſine diſſolutione in præſens relinquemus. Duo itaque rei huiuſce capita, eaque neceſſaria, neq; admodum obſcura eſſe comperiemus, ac prius quidem: nam quum ſuperiorũ regum minores mollitie, ſuperbia, procacitate, à teneris imbuti, regna capeſſerent, atque in odia ſubiectorum, ob hæc vitia incurrerent, ad ſupplicia, interdum ſæua, & iniqua confugere neceſſario cogebantur, atque hinc fiebat, vt non pauci è ſubiectis, aut mortibus afficerentur, aut ſolum verterent, quoad vel multitudo vniuerſa, vel quiſpiam vnus, aut numero pauci, animos iuueniles gerentes, ac maiore ſui fiducia elati, quippe quos libertatis conſtituendæ amor acrius tangeret, talem peſtem è medio tollerent, vel quia regia omnis ſtirps per ſeſe tandem deficeret, ſicuti de Cyri familia accepimus. Nam quum Cyrus quotquot reges ante ſe fuerant imperatoria virtute ſuperaſſet, ſummaque charitate, & beneuolentia popularium ſuorum curam (vti diximus) cultumque ſuſcepiſſet, atque eorundem commodis ſtuduiſſent, idem tamen rectam diſciplinã attigiſſe nõ videtur, nec rei domeſticæ animum applicuiſſe. Nam quum ętatem omnem bellicis expeditionibus occupatam ageret, liberos ſuos mulieribus educandos tradidit, eæ verò ceu beatos à teneris, atque adeò à primo ſatu fortunatos exiſtentes, rerumque nullarum indigos, quas primas mortales putant, educabant, cumque prohiberent quenquam vlla in re eis, ceu vſquequaque felicibus aduerſari, quin laudare

cogentes

cogentes omnes quicquid dicerent, facerentúe, tales quoſdam educarunt, quales fama, & literis, eos fuiſſe accepimus. Namque maior natu Cambyſes cum parenti in regnum ſucceſſiſſet, primum auſus eſt propriam ſororem, legibus vetantibus, vxorem ducere, nec multo poſt fratrem natu minorem occidere nomine Smerdin, multoſque alios Cyri ſocios, & familiariſſimos trucidare, Smerdis autem parem fratri nactus diſciplinam eiſdemque imbutus moribus, patre iam ab humanis digreſſo, haud ſenſit dominum ſe pro fratre commutaſſe, ita vt non minus ob prauam diſciplinam, quàm ob regni affectati ſuſpicionem, exiſtimetur à fratre fuiſſe è medio ſublatus. His ergo animaduerſis, oportet bonum regem, non eò ſolum animum intendere, neque id vnum ſpectare, vt Imperij fines quàm latiſſimos filijs propaget, ſed etiam vt viam eius regendi illis oſtendat, arteſque verè regias doceat, idque eo acrius, & diligẽtius quàm ſingulares homines priuati, quo illi quidem, timore, & legib à peccando, atque ab inferendis iniurijs deterrentur Regum autem liberi, & ſucceſſores, legibus ſoluti, & legum, & iudiciorũ domini exiſtũt. quod igitur regna olim deſierint, ac pro eis Reſp excitatæ ſint, & conſtitutæ, caput hoc primum eſſe videtur. Alterum verò namq; ciuitatibus augeſcentibus, mutuaque commercia, & mercatus celebrantibus vſu, & periclitatione homines eruditi, diuiteſque, & ſagaces effecti, ad dicendi, & faciendi libertatem animos magis applicabant: quod autem variæ, & multiplices rerump. facies temporibus illis exorirentur, hoc propterea fiebat. quia ſingulæ quæque ciuitates, & gentes eiuſmodi probabãt inſtitutiones, cuiuſmodi ſuis ingenijs, & locis, & moribus, fortunis denique commodiores fore cenſerent. Vni autem omnium Græcorum Lacedæmonij, ſolij huius maieſtatem conſeruauere, illamque adeo nominis magnificentia magis, quàm ſtabili, & certa rerum expediendarum authoritate; nãque apud illos dignitas hæc nec poteſtate vſquequaque abſoluta fũgitur, nec repetendarum prorſus immunis remanſit, id quod in ſuperioribus diſputationibus etiam adnotauimus. Itaque quum plures iam hoc digni honore inuenirentur, atque ad vnius ſingularis hominis obſequium male comparati, quippe quia hoc ſeruitutem proximè accedere arbitrabantur. pleræque ciuitates Græciæ, ſingularium hominum principatus in Reſp. tranſtulere. quanquam non rarò accidebat, vt poſt talem hanc ſtatuum mutationem Tyrannides aliquot in liberis ciuitatibus pullularent, & potentatus, præſertim

tim in Sicilia, in Ponto, in Italia, cum ſcilicet publici prouentus vberiores eſſent effecti, atque vt has, hi quidem tolerarent, illi verò opprimerent, prout cuiuſque virtus ferebat, aut ſors. Cæterú Barbari quæ initio regna, quoſque ſingularium hominum potêratus ſemel admiſerant, hos prolixè, & libenter cuſtodiebant, tum quia inſolétes libertatis erant, tum quia gerendis bellis tutius cenſebant, vnicum Imperatorem ſibi præficere, penes quem totius reip. ſumma eſſet, quàm pluribus vti, poteſtate paribus, authoritate infirma, denique talibus, qui quidem repetundarũm formidine, ac reddendæ rationis perpetua ſuſpicione deterriti, neque oblato tempore quicquam extra ordinem aggredi auderent, nec grandibus facinoribus animoſque, & manus poſſent applicare: iccirco igitur à ſingulari viro, nec non à fœmina etiam, quandoque regnari, omnes ferè maluere tanquam hoc ab ipſa natura perſuaſum ipſi haberent. Atque huius perſuaſionis, naturaliſque opinionis argumentum ingens, & euidens Perſæ attulere. Nam quum extincto Cambyſe, libertatem condere eis liceret, ac nouis legibus Remp. temperare, præſertim regia ſtirpe per ſe prorſus exciſa, ſæuoque Imperio à Cambyſe habitis, tamen vnius Imperium libertate, & legibus, prius & potius arbitrantes, idipſum rurſus recepere; atque hoc recepto, & confirmato, reliqui illi ſex proceres agnouere quam grauiter peccaſſent, quáque incommodè rebus ſuis conſuluiſſent, namq; pro miti rege, proque legum, & libertatis vindice, qualem fore ſperauerant, dominũ immitem, atque exlegem omnino experti ſunt Darêum. Tale igitur Barbarorum ferè omnium propoſitum; ſoli autem Carthaginienſes libertatem, legumque Imperium, per longum tempus deductum, vſque in hodiernum diem, integrum, illibatumque conſeruant. Verum nos poſtquam de regni origine diſſeruimus, de ſcopulo ſignoque ſublato, ac de officijs diſſeramus. Optimi itaque regis officia, eaque prima, & præcipua tria eſſe videntur, imperare, iudicare, rem diuinam facere, atque hæc omnia ad vnum ſublatum ſignũ contendere, vt ſcilicet qui populi, quæque gentes Imperio eius ſubiectæ ſunt, vitam cum virtute, & probitate coniunctam degentes, præclarè, & feliciter agant. Idque adeò vnico verbo Poeta regibus, quaſi diuinitus inſtinctus denuntiauit. ἵνα λαοὶ ἀρετῶσιν ὑπ' αὐτοῦ nil aliud verbo hoc ἀρετῶσι ſignificans, quam vt felices, & beati euadant, & permaneant, id quod abſque virtute eaque perfecta, nemo potis eſt adipiſci, ſicuti ſæpe & clarè oſtendimus: Qui ergo Regem

optimum profitebitur, idem hic optimus erit Imperator, idē optimus Iudex, idē optim⁹ Sacerdos. Quod igitur ad Imperatoriā facultatem & iudiciariam comparandam pertinet, & decenter exercendā, quæ pręcepta ſuperius expoſita à nobis ſunt, quæſtioni huic fortaſſe ſatisfeciſſe poterant videri. Veruntamen quoniam rex Imperator quidam liberæ, & abſolutæ poteſtatis eſt, iudexq́; idem ſummè perfectus, & certus haud ab re facturi eſſe videamur, ſi præceptioni illi, quæ de facultatibus his tradita nuper fuit, nōnulla præterea adiungamus, atque aliquantò preſſius de eiſdem his diſſeramus, nanque de rei diuinæ curatione, & cultu, loco proprio dicetur poſthac. Hæc igitur tunc conſiderantibus nobis videbantur Imperatoria munia, & bellicæ artes cum liberis ciuitatibus tùm populis, tùm regibus omnium eſſe antiquiſſima, ac neceſſaria maximè, atq; in primis militum delectus; præſertim ille, qui rectè, & ordine ſit deſcriptus, ordo autem, & modus nō vnus duntaxat, ſed plures reperiebātur: ac primus militū mercede conductorum, quo autem Xerxes vſus eſt, quaſi ſecundus, tertius, qui à Cyro, atque à Philippo, denique ille, quem Aegyptius rex omnium primus excogitauit, & præſtitit, quarto loco videbatur numerandus. Iam ergo primus ille, etſi omnium facilimus, atque in communi expoſitus, idem tamen Tyrannicus potiùs quàm regius, aut ciuilis cenſendus eſt. Nam præter quā quod mercenariorum fides ſuſpecta ſemper fuit & lubrica, illud etiam accedit incommodi, quod ingentem pecuniarum vim peregrinus miles deſiderat, quibus poſtea aut deficientibus, aut tardius perſolutis, quæ hactenus effuſæ ſunt, fruſtra effuſæ eſſe videntur. Quem autem modum Xerxes in Græciam inuadens tenuit, vniuerſos orientis populos, quos imperio premebat, ritu magis pecudum propellens, quam belli more, iuſtique exercitus ductans, impendio, barbarus, inſolens, ſuperbus, maximeque turbulentus, denique illo belli exitu, quamq́; omnium maximè memorabilem cladem retulit, haud indignus. Sed ratio, quam in re hac perficienda Aegypti rex inij', & tenuit; ea quidem certè mirabili quadam prudentia excogitata fuiſſe videtur, ac fortunæ fauore confirmata, hac qui vti poteſt, ſemper vtitor, hanc proximè illa acceſſit, quā Cyrus, & Philippus primi ferè probauere. Ambo enim reges hi cū de ſuis popularibus, eos omnes tyrones deligerent, quos maximè omnium bellicoſos, ſe ſe effectū ire ſperarent, hoſce omnes regio more educandos curauere, reputantes vtrique, eum regem, qui poten-

tiam

tiam expetit quique egregijs,ac memorandis facinoribus faciendis habilem ſe agnoſcit,nulla re magis indigere, quàm eiuſmodi militum manu,qui rectè ducti,atque educti ſint.Scilicet, vt copiæ ſuppetant bellis omnibus,proprijs ac domeſticis armis, gerendis, atq; adminiſtrandis, neue pecunias in militem mercede conductum profundens, fiſcos exhauriat, haud ergo mirum ſi ex amborum regum horum delectibus, Cyri inquam, & Philipppi, non milites ſolum omnium ſtrenuiſſimi,ſuiſq; Imperatorib. obſequentiſſimi extitere,verum etiam ſummorum Imperatorum,regum, & ducũ, quaſi examina exiliere,ceu ex aluearib.vt ſic dixerim, quæ ſolertes melitturgi,& curauerint,& pauerint.Atque orationi huic, non ea modo facinora faciunt fidem,quæ ampla, & illuſtria ambo hi reges patrauere,dum in vita retinebantur adhuc, ſed etiam quæ poſt illorum mortem,à ſuis ſucceſſoribus patrata fuere,conſtat enim Cambyſem,licet mente haud bene conſtanti,ijs tamen copijs, quæ ex vna illa,eaq; extrema parentis Cyri clade ſuperfuerant, Aegyptum, multaſque alias bellicoſiſſimas gẽtes,in deditionẽ ſubegiſſe.Porrò Darëum,qui huic ſucceſſit,eiſdem copijs, iuncto nauibus Boſporo,ac Danubio ponte inſtrato,Scytharum gentem, hactenus à nemine bello laceſſitam,primum omnium laceſſiſſe, quãquam nimium fortaſſe audacter,& parum feliciter,laceſſiſſe tamen.At verò Alexander Macedonas Philippi patris alumnos cum in Aſiam adduxiſſet trib.illic prelijs debellauit.Itaq; cũ eis ſe geſſit,vt innumerabiles,atque hactenus ferè impictas,magni regis copias proculcaſſe magis, quam iuſtis aciebus viciſſe videatur, denique Aſiam ferè vniuerſam,atque Aegyptum eiſdem commilitonib.occupauit, atq; in prouinciæ formam,ſicuti audimus,redegit. Enimuerò ita ſe res habet,vt qui delectus ſemel fuerit prudenter deſcriptus, ac ſolerter initio inſtitutus: inde conuenienti diſciplina deinceps habitus, valeat reges,ac belli duces admirabiles reddere,ſuiſq; ſubiectis nõ minus charos,quàm vtiles,ac demũ eò celſitudinis adducere,vt(quod ait Lyricus)pro mortalib.gloria æterni fiant. Quo etiam magis mihi vidẽtur Cyrus Philippuſq; mirabiles,qui quidẽ vti Imperatores optimos decebat, ac ſtrenuiſſimos eiuſmodi rationem, cuiuſmodi expoſuimus,in milite deligendo,eodemq; fingendo, & probando tenuere:Quippe minime enim ignorabant, regiam amplitudinem, & prudentiam,modum hunc maximè decere, eundemq; ad ſubiectorum animos præſertim gentilium,& popularium ſumma charitate &

tate & beneuolentia, perpetuo obſtringendos, mirum quantum aptum eſſe, & appoſitum: nam quum ſuis in animis hoc ſibi milites infixerint, ducem ipſum omnia & facere, & perpeti, non minus ipſorummet gratia, quàm proprij compendij, aut nominis ergò, nũquam nec bellantes, nec male patientes, animos deſpondeant, quin hilarè, & libenter omnia ei ſuggerant ipſaſque animas, & ſanguinem pro eodem effundant, ne dum bona, & pecunias. Cæterum vt rationem hanc tandem concludamus, neceſſarium eſſe affirmamus, regem pariter, ac ſubiectos cum animis ſuis hoc reputare, quod ſicut in illa ciuitate, quæ legibus ſuis regatur, & libertate fruatur, communis inſtitutio, & ſalus, ceu ciuitatis vita, in principum mentibus non vnis quidem illis, ſed pluribus diſtributa, fereque diſperſa eſt, ita & hic, altero quodam modo longe illo quidem meliori, & efficaciori, in vnica duntaxat regis ipſius mente, ſubiectorum inſtitutio, & ſalus inſita, & infixa eſt, quodque illa incolumi, & conſtanti, cætera omnia rectè, & ordine procedunt. Hac reputatione nonnulli, à conſerenda in prælijs manu reges deterrent, dumque acies concurrunt, eminus, atque in tuto conſiſtere eis ſuadent, haud enim æquum cenſent publicum decus, atq; vniuerſorum ſalutem, vnius Regis anima, belli caſibus expoſita, in diſcrimen eſſe agenda, quippe quacunque clade accepta vel quam pluribus deſideratis (id quod etiam nos dicebamus) haud magnopere regnum læſum iri, modò Rex ipſe reſtet incolumis. Confirmant hoc Adraſti exemplo, eoque illuſtri: hunc enim aiunt, cum malè ad Thebas geſſa re, ſolus inde euaſiſſet, atque incolumis reſtitiſſet, haud multo poſt bellum cum Thebanis renouaſſe; contra verò ſi quid Regi incommodi accidat, aut reflante fortuna, in fraudem aliquam ipſe incidat, tunc Remp. omnem peſſum ituram, id quod Cyro iuniori accidiſſe memorant. Verum enimuerò vtrum ſic, an ſecus fieri hoc debeat, & deceat, temporis momenta, & fortunæ vis, ac prudentis viri in re præſenti conſilium, verius, ac certius dijudicare poterunt, quàm inſtituta hæc à nobis diſputatio, præſertim cum Poëta, & manu promptum, iuxta, & conſilio validum Agamemnonem fuiſſe affirmet. Quoniam verò militaris natio ingenio plerunque elato, & turbido eſt, atque ad ſuperbiam, & auaritiam declinato, oportet regem vtraque tempeſtate, belli inquam, & pacis, ita cum eis ſe gerere, vt neque blandè, neque humiliter eos accipiat, quin ſeuerè, & magnificè, atque vti ſuam maieſtatem decet: Et verò ſicuti Perſæ, quoſdam è regijs miniſtris regis oculos nominabant,

minabant, atque alios fortaſſe aures, itidem & regẽ optimum oportet eos, qui ſibi adſtant, ita omni tempore comparatos habere, vt multorum oculorum, multarumq́; aurium, & manuum, & pedum, vſum aſſidue, prolixeque ſibi exhibeant, ipſum verò eiuſmodi ſeſe (vti diximus) eis exhibere, vt nihil quicquam vel adulatione, vel timore adductus faciat patiaturve: Nam qui ſibi hoc in animo infixit vt verè regnet, non autem vt Tyrannum ſe ſe exhibeat, nihil prius, aut fortius aget, quàm vt iuſtitiam, & æquitatem colat, omnibuſq́; tum dictis, tum factis eximiam animi celſitudinem præ ſe ferat. Mars enim (aiunt) Tyrannus eſt, lex autem omnium domina & regina, iuxta Lyrici ſententiam, præterea Homerus eos reapſe reges eſſe exiſtimat, non qui viſceribus miſerorum, atque atro ſangui ne veſcuntur, ſed qui iure, & legibus à Deo acceptis, hæc tuentur, & ſeruant: Idem Iouis familiarem appellat, non qui omnium eſſet iniquiſſimus, atque immaniſsimus, ſed qui ęquitatem imprimis, humanitatemq́ue pręſtaret. Quanquam haud omnino ſat eſt eiuſmodi ſe ſe regem vnum præſtare, ſed oportet etiam eiuſcemodi illos exhibere, qui eum circumſiſtunt. ſunt verò ij, conſiliarij, iudices, qui à li bellis, prouinciarum ciuitatumq́; præfecti, belli duces, tribuni, deniq; vniuerſum aulæ miniſterium, nempe, his legendis, probandis, corrigendis, facilè atque apertè cernere eſt ecquinam ſit regis animus, quæque mens, denique quid de vniuerſa regni adminiſtratione ſperandum ſit.

Iccirco itaque nos cum exiſtimemus iam de ſtudijs, atque inſtitutis bellicis abundè eſſe diſceptatum; ad pacis ſtudia, & inſtituta orationem conuertamus, nãque duæ hę tempeſtates regiam poteſtatem videntur totam comprehẽdere, & definire. Cardo autem quæſtionis vertitur in modo illo reperiendo, quomodo Rex ſe aduerſus ſubiectos gerens optimus habeatur, & laudatiſſimus, addemus præterea, & venerabilis. Et verò quæſtio hæc in varias opiniones ſcinditur, propter illos qui in diuerſa rapientes hæc, modum vtrinque excedunt; nam quidam, hominum multitudinem vituperantes, atque obterentes affirmant, populum eſſe turbam infirmiſſimã, hebetiſſimamque, & agitabilem maxime, præterea ſumme ingratã. Porrò alij beluam multorum capitum fingunt ingenti temeritate pręditam; atque hæc dicta, atque adeo maledicta, grauibus ſententijs confirmant. Quoniam enim ita natus homo eſt (aiunt) itaque factus, vt ſibi obſequundantem in vili habeat, in vili habentem ſuſpi-

ciat, iccircò oportere legum conditores, principes, & reges rerumque potentes, tales populis leges imponere, quę ad morem acerbiorem vergant, potius quàm ad molliorem, magisque placabilem: atque iccirco perpetuis tributis vulgus fatigandum, vrbesque, & priuatas domos exhauriendum, vt in rebus neceſſarijs comparandis exerciti, deque victu quotidiano ſemper ſoliciti, compreſſos ſpiritus atq; humiles gerant animos, neque reb. vllis nouandis ſtudeant, ſicuti in ſuperioribus diſputationibus adnotauimus. Alij verò ex aduerſum, homines nos natos meminiſſe debereque humanè, & benignè hominibus imperitare, neque per ſimultatem ſubiectos Echeti more lacerare, affirmantes minimè omnium principibus conducere, nec decere ſæuitia, & crudelitate erga ſubiectos vti. Ita enim heros, atque iniquos dominos, in eos ſæuire, qui ditionis ſuæ ſunt: Namque ſic mortales vniuerſos natura eſſe comparatos, vt publicè, & priuatim aſsiduè labantur, & errent, quippe quibus neque lex, neque timor vllus tanti eſt, vt eos à flagitijs faciendis arceat, quippe cum neq; etiam mors hoc poſit efficere; aut ergo morte validior excogitandus eſt terror, aut hæc fruſtra eſt, ecquænam tandē tam ferrea lex ferri (aiunt) poterit, aut terror tā vehemens obtendi, qui fręnos libidini indat, & dolori, quorum alterum quidem eſt malorum incitamentū, alterum à bonis auerſio, quid porrò audacia, & formido, ambo inconſulti conſultores? hiſce accedit furor implacabilis, & fallax ſpes, quæ à rationis ſenſu diſiuncta, & cum libidine coniuncta, nullum non graue facinus attentauerit, quamuis ſubitò Oportet itaque Reges, ac ceteros humani generis arbitros, hiſce affectionib. & perturbationibus cognitis, quæ neceſsitate quadam naturali in animis, atque ipſis etiam in corporibus, nonnullæ inhærent, inuſtæq; vt verius dicamus, ſunt, oportet inquam nonnulla peccantium flagitia, atque eorum qui haud extremè perditi ſunt, iniquè facta videntes, interdum, nec videre, & audientes, nec audire, aliaque humano more perſequi, & mediocriter punire, vtique monet Lyricus.

Manum mollem adhibentem, Vlceris os attrectare, Facilè quidem enim ciuitatē concutere, vel viliſsimo cuique, at in ſedem priſtinam reſtituere difficile præſertim ſtatim, niſi principibus Deus gubernator affuerit. Ceterum vt ad pauca redeam totamque rationem iam concludam, neceſſarium ei eſſe aio, qui ſibi hoc aſſumpſit, vt omnino regnet, in homines illos, quorum malefacta corrigi

quęant

queant,neque iuſto aſperius,neque inhumanius ſæuire, illorum autem conatibus acriter reſiſtere,quorum ſcelera, præterquam quod nullam medicinam admittunt, rem etiam publicam, & priuatam labefactant, itaque hoſce inſectari, itaque eorum audaciam frangere,vt nulla labes,nulla macula,neque in ciuitate, neque in regno, quoad eius fieri poteſt, reſideat,quin totius Reipublicæ quaſi corpus ſanum, atque incontaminatum permaneat; permanebit autem, ſi ſecundum hæc regni adminiſtratio eiuſmodi fuerit, in qua nulla ſuſpicio ſubſit,aut fiſcos quocunque modo referciendi, aut cædes facile faciendi,aut denique vllius in ſubiectos ſimultatis, & odij exercendi,explendique. Quoniam vero moris eiuſdem eſt, iniquos, & maleficos homines omnes, modis omnibus inſectari, & vlciſci; & qui rectè faciunt, ac regem ipſum beneficijs afficiunt, ſplendidis donis, vt ait Pindarus, aggredientem remunerari, itidem oportet regem partem hanc diligenter ante curare, hoc certò ſcientem, quòd vbi præmia,& pœnæ rectè, & ordine procedunt, ac pro cuiuſque merito diſtribuuntur, neceſſe eſt illic virtutem continenter exerceri,ac felicitatem in æternum propagari,id quod ſignum illud propriè attingit, quod reges in primis ſublatum ſpectare oportere, tractationem hanc initio ordientes dicebamus. At enim cum vix conuenire hoc poſsit,vt homo quiſpiam,qui ſolo more,eoque philoſophiæ ignaro,ſuperioris vitæ tempus exegerit,in hiſce omnibus omnino collimet,vtique decet,ſubiectos regat,neceſſe prorſus eſſe videatur,deſignatum regem, philoſophiam omnem mente & intelligentia comprehenſam tenere. Nempè philoſophia vna,artes omnes,omneſque virtutes complexa,modo rerum vſus ei adſit, ſola potis eſt res humanas iuxta & diuinas ritè tractare, atque vtiliter regere: Rectè ergo dictum fuit, non prius hominum generi malorum modum,finemque ſtatutum iri,neque felicitatem publicè, aut priuatim eis affore,quàm cum aut philoſophi regnauerint, aut qui reges nunc numerantur, & dynaſtæ, philoſophiæ ſtudia plenè, & ingenuè celebrauerint, atque in hominum cœtibus excoluerint, inque vnum conſenſerint facultas ciuilis, & philoſophia. Qui ergo aut rex deſignatus eſt, aut regnare iam incœperit, neceſſe proculdubio habet philoſophari: Nam qui rex philoſophari & didicit, & vult, id eſt proprio officio fungi, vt oportet, is oblatis belli caſibus fortitudinem præſtabit,ſimul cum ſagacitate cõiunctâ in pacis ſtudijs iuſtitiam, ac magnificentiam,cum humanitate,& æquita-

te, denique vero ſanctitatem aduerſus Deos immortales pientiſſimo animo, & mente, in eorundem numẽ ſumma inclinatione propendente. Enimuerò hæc reapſe Regia munia ſunt, & heroica, & diuina. Ac de regia quidem facultate, eiuſque comparandæ modis hæc ſat ſunto.

AT DE Sacerdotali, id quod tertium in quæſtione poſitum initio fuerat nunc conſiderandum, huic põtificialis quæ appellatur vti forma generi proprio ſubijcitur. Atqui de ſigno illo, quod ſublatum ſpectat facultas hęc, nonnulla in ſuperioribus diſputationibus attigimus, & aſſeruimus præmium hoc ciuibus illis eſſe tribuendum, qui cetera excellunt, quique probitate ſimul, & ſapientia in hominum cœtibus principes numerantur. Decere enim dicebamus tunc, diuini numinis cultum, & venerationem eos homines ſuſcipere, qui iam graues annis, moleſtis, ac laborioſis negocijs gerendis impares habentur; Veteres itaque illi, ſicuti & alias curationes ad ciuilia pariter, & bellica munia pertinẽtes, Regibus permittebãt, itidẽ ſanè, & hoc pietatis decus maximũ videlicet & optimũ: maximo tribuẽtes & optimo Verũtamen quũ tẽporũ curſib. regna in eã amplitudinẽ iã euaderẽt, vt ſingularis homo tot tantaq; negocia, ſolus ſuſtinere non poſſet, pontificatuum, & regnorum facta ſunt diuortia, dignitaſque pontificialis, ad eos eſt homines delata, qui ſecundum reges, omnium digniſſimi habebantur & optimi. Argumẽtum longe euidens: Nam apud Aegyptios, qui cultu, & cerimonijs Dijs immortalibus adhibendis, ceteros mortales ſuperare perhibentur, negant, hominem vnum ſingularem, eundem regemque, & põtificem creari, quin diſcreta eſſe apud illos decora hæc. Quanquam nonnullis in Græciæ ciuitatibus poſtquam Regum pertæſum, regium tamen nomen remanſerit adhuc, vt ſolemnia ſacra ſanctè, & ſolemniter fieri poſſent, quod idem apud alias gentes etiamnum ſimiliter ſeruari compertum habemus. At nos inſtitutam rationem de integro reprehendentes, dicimus; vniuerſæ ſacerdotali curationi hoc eſſe propoſitum. Deorum immortalium numẽ venerari, & colere, omnique ope niti, vt ſibi ante omnia placatum ſit, Sacrificulo inquam ipſi, inde benigna in populum vniuerſum mente, & voluntate propendeat, atque ad ignoſcendum parato eis, qui in fraudes aliquas fortè, ita vt fit, inciderint, idque adeo bona ratione inſtitutũ eſt. Nam quum mortales homines Deorum immortalium naturã

vſque-

vſquequaque bonam, ac prorſus intemeratam cenſeant, velintque ab ea beneficia accipere, atque idipſum etiam ſperent, omni ope nituntur, quicunque ſanè ex eis rectis ſenſibus incedunt, vt ad preces fundendas adeuntes, ad eorum ſimilitudinem quoad eius fieri poteſt facti adeant, atque iccirco Eumæus aduerſus Vlyſſem.

Et delubra Deum ſubeam, atque altaria tangam
Sanguine fœdatis manibus.

Abſurdum enim exiſtimabat Eumæus virum ſanguine, & cæde pollutum, atque omnino ſacrum, & inteſtabilem, illuc aſpirare, atque iccirco rectè dictum fuiſſe videtur, *A viro impurato neque Deum, neque virum bonum, dona accipere fas eſt.* Hinc ergò cædium, & ceterorum ſcelerum expiationes luſtrationeſque cum apud Græcos, tum apud Barbaros inuentæ, atque vſurpatæ olim ſunt, quarum, quicunque ſcelerum affines homines, compotes euaſere, audacter poſt hac petunt, precibus, quæ ſibi bono futura eſſe ſperauerint, quippe qui ſeſe haud indignos iam cenſeant, quibus diuinæ opis, & gratiæ, conditio eadem pateat, atque ante admiſſum ſcelus parebat. Quanquam quidam vlterius etiam prouecti, nec rebus præſentibus contenti, vt euenta futurorum noſcant, vaticinam famam exquirunt, & ſomniorum interpretationes, Delphos proficiſcentes, Trophonij antrum ſubeuntes, Branchidas ſciſcitantes, denique quocunque gentium properantes, vnde aliquam diuinam prædictionem ſeſe acceptum ire confidant. Verum enim vero quid nam tandem politicus de hoc, dico autem de rerum futurarum euentis, vtrum ſcrutanda ſint, nec ne ſtatuens, rectè ſtatuiſſe videatur, poſt hac fortaſſe à nobis dicetur, interea autem hoc ſolum dicendum, qui ita animati ſunt, vt rerum exitus diuinatione cupiant præuertere, videri iſtos ſapientiſſimi Poëtæ præcepto aurem commodaſſe nunquam præbuiſſe, huic ſcilicet.

Prudens futuri temporis exitum,
Caliginoſa nocte premit Deus,
Ridetq́, ſi mortalis vltra
Fas trepidat. hæc Pindarus.

Quinam igitur ſacerdotalis facultatis ſcopulus ſit, in quem intuentes, eos omnes collimare oportet, qui rerum diuinarum curam cultumque ſuſcepere, dictum iam eſt. Nunc autem de officio dicendũ, deque inſtrumentis, & ſuppellectile, denique de omnibus ceteris,

quæ curationi huic neceſſaria ſunt hæc ferè omnia perpaucis carminibus complectens Homerus ait.

quoniam placantur, & ipſi
Dij ſuperi, quorum virtus, vis, robora vitæ
Omnia ſunt noſtris meliora, priora, ſed illi
Placantur tamen officijs, ſacriſq; litatis
Et precibus, votiſq; eadem ſi iuſta feramus
Ignoſcuntq; malis noſtris.

Hiſce carminibus aperte cernere eſt quinam ſit ſcopus quique finis ſacerdotij, ait enim primum Deos eſſe placabiles, & flexibiles: inde verò modos addit, quibus nam modis, eos ſibi placare, menteſque eorum flectere homines poſsint, & ſoleant, qui legum repagula tràſilierint, & flagitia fecerint. Igitur quicunque innocentia præditi ſunt, & vacui à peccatis, ij ſanè amici Deo ſunt. Præſtat itaque hoſce, & tales in primis ſicuti dicebamus cultum, & venerationem adhibere Dijs immortalibus, ac pro illis, qui tales non ſunt preces fundere, numenque eorum propitiare, tum cantilenis, & hymnis, tum etiam omni muſica ratione, & inſtrumentis. Iam ſi qui rationem hanc Deum propitiandi negent vllam in ſe habere vtilitatem, quin ſtudium omne, omnemque diligentiam fruſtra eſſe, eiuſdem vatis de ipſa hac iudicium conſiderent, qui ait,

Semper & aſsidue Diuum mortalia ſecla
Indiguere opis.

Atque hæc quidem munia eius ſunt. Inſtrumenta autem prima AEditui, Sacrificuli, Legum interpretes, ac reliquum templi miniſterium. Ab his Delubra, Septa, Luci, Altaria, omnis generis Vaſa, Libri rituales, Indumenta, Prædia, & arua, quæ ita diuiſa, & definita eſſe debent, vt ad victum neceſſaria eis hominibus abundè ſuppetant, qui ſacris ritè peragendis continenter occupati ſunt, ſicuti etiam in ſuperioribus diſputationibus oſtendimus, atque hæc omnia eis omnibus erunt communia, qui in hanc ſortem, huncque in ordinem venerint. At reſtat nunc, vt de illo dicamus, qui horum omnium eſt Antiſtes, & Coryphæus, hunc ſi quis Pontificem ſummum appellet, neutiquam à vera eius nomenclatura aberrauerit. Namque hic diuinæ curationis architectus, atque vniuerſi cultus magiſter, eius autem ſcopulus, & ſi haud prorſus idem atque ſacerdotum aliorum, haud

tamen

tamen ita ab eo eſt diuerſus, vt omnino cenſendus ſit alienus, quid verò interſit ex vtrorunque officijs facile eſt intelligere, nam præterquam quod ſummus hic ſacerdos, in placando, & propitiando Deorum immortalium numine pariter, ac cęteri laborabit, ac multo etiam vehementius, eius præterea partes fuerint, de ſolemnibus ſacris ſolemniter peragendis, leges commodas ferre, eiſq; ſatis prouidere, vt omnes tam priuati, & ſingulares homines, quàm principes, & magiſtratus, illas pariter ſeruent: vtique ſolemnia ſacra Dijs fiant, matrimonia copulentur, myſteria agantur, quibus locis vſurpata antiquitus ſunt, ludique, & dies feſti celebrentur, & mortuis iuſta tribuantur prout eæ ſanxerint, & iuſſerint. Atque hæ partes primæ huius ſunt. Poximæ vt ſacerdotum natio talis ſemper eſſe comperiatur, qualé olim oportere eſſe dicebamus. Is igitur cum minoribus Pontificibus, ac ceteris, quorum curationis ſacræ res ſunt, quique in collegio eodem numerantur, in eum, qui in ſortem ſacerdotij venerit, acriter inquiret, nec eum ante comprobabit, quam integrum vitæ, & ſceleris purum cognouerit, eoque matrimonio prognatum, vt ab vtroque genere, omnis labes abſit, tum cędis, tum ceterorum turpium facinorum, quæ tota genera; & familias inquinant, infenſáſque dijs immortalibus perpetuo reddunt: Ceterum omnia hæc piè & pręclarè diſpoſita fuerint, diuinaque maieſtate condignè, modo, id quod eſt omnium primum, & præcipuum, quodq; alia omnia huc pertinentia in ſe continet, vera, & certa ratione inueniatur, inuentumque in apertum proferatur, eſt vero hoc, Diuinæ naturæ cognitio: cui quidem homines illos, qui temperantia, iuſtitia, pietate antecellunt ſeruire neceſſe eſt. Ante verò quam hoc ratione certa comprehēdatur, nefas eſt, aut philoſophari, aut leges vllas ad rem diuinam pertinentes ſciſcere; namque hoc ante experiri ſtulti certè, atq; arrogantis hominis eſt, nedum Politici, aut Theologi, aut Pontificis Summi. Atque ideo neceſſe eſt hac de re fuſius aliquanto differere. Poetæ itaq;, ac de antiquis quicunque, aut fabulas, aut picturas edidere, turbida ſuperſtitione, & miraculis fidé omnē excedentibus omnia nobis referta tradidere. Nam quum à Phrygibus Aegyptijs, Thracibus, ceteriſque alijs Barbaris gentibus maiores noſtri ceremonias, ac cetera rei diuinæ inſtituta accepiſſent, eaque omnia vera ſanctaque cenſerēt, patrijs, ſibique ſolemnib. admi-

ſcuere,

ſcuere,ex quo euenit, vt temporum curſibus, neque adeo longis, multiplices Deos Græcia veneraretur,& Dęmonas,ac dum ſuis,aut nouos aut aligenas admiſcet,ingēs ſuperſtitio in eā inuaſerit,& cere moniarum & religionis confuſio. Ille enim inclytus Orpheus, ille inquam qui myſteria Athenienſibus demonſtrauit, Corybantas, verbigratia, inuexit,alter quiſpiam Curetas,alius Telchinas, & Dactylos Idæos, Alius porrò Metragyrtas, neſcio quos. Denique omnigena Deûm, & Dæmonum monſtra, quæ vel memorare etiam viro philoſopho nefas. Quid quod præclarus Heſiodus, vt quæ fabulæ ætate ſua de Dijs ferebantur, decenter abſolueret,carminiſq; lepôre authoritatem eis adiungeret, Deûm ipſorum genituras, bella, pugnas, exilia, ſeditiones, denique innuptas nuptias, enormi impudentia vſus, carminibus tollenda ſuſcepit. Ergo vatis iſtius ſponte,induſtriaque didicimus,ecquis quem Deum genuerit, quoque modo quaque in terræ mariſue, aut cæli regione, quæque quemque mater pepererit. At enimuerò Homerus horum omnium anteſignanus,quique vatis nomenclaturam ſibi vendicat, & ſi multa, eaque perabſurda, communemque hominum exiſtimationem exuperantia, & fidem, præſertim de tribus illis Staturni liberis prodiderit,quoque modo vniuerſitatem hanc hæreditario iure, ac more familiæ herciſcundæ inter ſe diuiſerint,lepidiſsimis carminibus fecerit. Idem tamen videtur nonnunquam poëtica quadam crapula(vt ſic dixerim)edormita,& exhalata reſipiſcens, ſeque ipſū colligens,quædam haud omnino inepta,de natura diuina, ænigmatibus ea inuoluens cantare, quæque, & quàm grandis ſummi Dei poteſtas ſit innuere. Ipſum enim Iouem, quaſi in ſcenam inducens, fingit iubentem Deos ceteros auream cathenam cœlitus aptantes, omneſque mares iuxta ac fœminas eam detorquentes, periculum ſuarum vnius virium facere. Aenigmate hoc vates anſam nobis offert dignoſcendi, quam probè intelligeret, quæ, & quanta huius mundi Imperatoris,ac temperatoris Dei eſſet potentia,& virtus exiſtimanda. Porrò autem quod immortalis,& ſempiternus, non ipſe modo ſit, ſed tota eius familia, hoc etiam expreſſe docuit cum dixit:

Nam priuata dolore omni,priuata periclis
Ipſa ſuis opibus pollet.

Quid quod rebus noſtris diligenter eoſdem proſpicere, piorumq; & impiorum rationem habere,idem oſtendit,cum ait.

Nec

Nec facta impia fallacium hominum cælicolis placent.

Cui etiam ſententiæ, & Pindarus adſtipulatur, quum ſenem illum ſapientię pręſidem in ſaltibus Pelij morantem inducit, vnum duntaxat Saturnium venerari, ſuadentem Achilli, ceteros poſt habere. Atque hæc ea ſunt, quæ poëtica natio obſcuris, de more, vera inuoluens, nobis minoribus, de Dijs immortalibus, & eorum religione, & veneratione facta, tradidit. Veruntamen minimè omnium decet, ciuitatisque & legum conditorem Deorum immortalium cultum, & Antiſtitum munia ad amuſsim hanc exigere, dico autem poëtarum, & fabulatorum, quin veritatis ſemitam ſummo ſtudio, & induſtria exquirere, ac cætera omnia, quæ huc contendunt, indagare, vt quæ opus ſunt perceptis, & cognitis, in omnibus valeat collimare.

Neque enim leuia, aut ludicra petuntur
Præmia.

Ingens igitur Politico ingruit neceſſitas, vt modum reperiat illum, quomodo pars hæc, quæ pietatem & religionem continet, reliquæ ciuitatis inſtitutioni, conuenienter reſpondeat, namque parte hac decenter, & appoſitè ab eo conſtituta, & confirmata, præmunitur iter legum conditori, ad eam ipſam legum repagulis vallandam, & in æternum, vt ſic dixerim, roborandam & ſtabiliendam.

Iam quidam è noſtris maioribus de rebus his ſic explicauit. Nam quum de natura Deorum immortalium agens, veram certamque rationem à primo inſtituiſſet, multaque haud certè inepta argumenta de Theologia collegiſſet, neceſſaria pietatis ac religionis fundamenta iaciſſe videri poterat, niſi longius orationem prouehens, quodam conſuetudinis æſtu abreptus, doctrinam, legumq; compoſitionem, bene ſemel inſtitutam, æque ac vulgares homines peruertiſſet, inque eam deflexiſſet, quæ & Politicum, & Legiſlatorem, veram pietatem profitentem, vſquequaque dedeceret. Iouem enim, & Iunonem in medium adduxit, Dæmonaſque innumero numero, & Herôas hiſce adiunxit, atque hos non vno quidem è genere, vel vna ex familia, quin multiplici ſemine, vt poeticè loquar cretos. Quoſdam enim fecit æthereos in hypeccaumate, quod dicitur ſublime habitantes (namque ſolemne homini eſt, quod nos hypeccauma nominamus, ſemper æthera appellare, diuinum verò corpus ignem) alios præterea aëreos, alios, vt ait Empedocles, humoris alumnos, fontanos ſcilicet & maritimos & fluuiatiles, deniq; etiam

ſub terris abditos. Iſte igitur, quum Theologiæ fundamenta, eiuſdque puræ vti diximus, & ſinceræ, iecisſet hanc ipſam, ſuperſtitione vſitata, ac per longum tempus deducta admiſcens, ſtatim perturbauit, ac pene, vereque ante dictis fidem, atque authoritatem dempſit, iſtos omnes venerari iubens, legeque, talium numinum cultum, ac venerationem ſanciens. Addidit præterea Iocinoris naturam ſic ſplendidam, vt eſt, à Deo eſſe procreatam, vt vates, & extiſpices indè facile poſſent, *indicia occultæ diuûm mentis* (vt ait Lyricus) *perquirere*. Idque adeo extis adhuc ſpirantibus licere, ſpiritu extincto non licere. Verum enim vero nos quæ diuerſa ab his fuerant antiquiora habentes, in omnibus à nobis inſtitutis tractationibus perficiendis, à Poëticis fabulis abſtinuimus, ac veræ, eidemq; fundatiſſimæ Theologiæ inniſi ſumus. Namque dum naturę arcana ſcrutaremur, apertè oſtendimus, Deum & naturam rem nullam fruſtra, neque attentare, neque efficere, vtique exiſtimatio hæc firmè, & ſtabiliter in hominum mentibus infixa inſideret, inhæreretq;, rerum quæ ſunt omnium primordia, & cauſas indagantes, omni ope nitebamur, res illinc deductas rerumque ipſarum euenta, ſuis primordijs, & cauſis, & communiter, & propriè, quæque ſubiungere, atque ordine & modo, humanis mentibus eadem aptare, eatenus hæc ſcrutando prouehentes, quatenus ad rerum omnium Principem ſupremumque Imperatorem perueniremus, atque huic ipſi corporum animorumque cœleſtium productionem, & conſeruationem, vnà cum eis reb. quę ortu & obitu permutãtur, acceptã referremus, atq; in extremo epilogũ hunc adijceremus Quoniã mundi, & rerum, quæ mundo continentur, ea eſt natura eaque conditio, vt turpiter, & flagitio è gubernari horreant, neceſſe omninò eſt principem vnum, vnumque Imperatorem eſſe, cuius quidem certè opus, officiumq; immortalitas eſt. Porrò autem, quod ipſe idem reb. noſtris omnib. conſulat, nec vulgari ſane modo conſulat, hoc in eis diſputationibus, quæ de felicitate habitæ à nobis ſunt, definiuimus, atque adiecimus. Naturam illam optimam, & præſtabiliſſimam eo hominum genere in primis delectari, qui ad eius ſimilitudinem atque imitationem facti ſunt. Sunt verò hi ſapientiſſimi & optimi, quique plurimam vitæ partem in mente, & intelligentia excolenda conterentes atque ob hoc Deo amiciſſimi euadentes, nulla deſiderant vaticinia, nullam prædictionis famam anxiè exquirunt, ac multò etiam minus ſomniorum miſſionem, atque interpretationem, quippè qui

ſe ſe

ſeſe totos ei illi commiſerint, & dicauerint, qui bonorum omnium largitor eſt, nempè intellectui, & menti. Quæ igitur de cultu, & veneratione numinis diuini, & de pontificatu maximo, tota denique pietate, ciuili philoſopho diſſerere fas erat, quæque ad ciuitatem ritè inſtituendam, & temperandam pertinere neceſſariò omnes faterentur, qui rerum diuinarum iuxta & humanarum naturam, rectè & ingenuè exquirere ſatagunt, hæc atque huiuſmodi ſunt. Iam ſi quis (id quod credibile, atque adeò neceſſarium eſt) multa his deeſſe exiſtimet, qui legum conditor hiſce inſiſtet monumentis, quæ à nobis relicta ſunt, ea facilius poterit, & ſupplere, & interpolare. Denique quæcunque ad felicitatis ſcopum contendunt, legum conditione expedire, præſertim cum diuinam illam poëtæ hortationem in memoria habeat.

Telemache at tu iam nunc per te ſapere aude,
Fata viam inuenient reliquis, nam non ſine diuûm
Numine tanta paras.

LIBRI X. POLITICORVM FINIS.

LAVS DEO, HONOR ET GLORIA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE